Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Melchior Cerda de la

Camporum Eloquentiae In Causis, Enumeratione Partium, Genere, Coniugatis, Adiunctis, longe lateq[ue] patentium, Volumen ...

2 : Campi Eloquentiae In Similibus, Comparatis Exemplis, Longe Lateque patentis

Editio Tertia, nunc correctius edita, Coloniae Agrippinensium: Kinchius, 1637

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Ep. El. 531 p. Jud
Jud. 4. 535
1819 p. Jud
17 12

Bibliothecae Acad. Rostoch.
me annumero
ex donatione
P. Ciesij. Iur. Doct.
Rostoch.
die 20. Sept.
1727.
A. c. 3290.
8°

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn810785692/phys_0002
DFG

CAMPI

ELOQVENTIÆ IN SIMILIBVS, COMPARATIS EXEMPLIS, LONGE LATEQVE patentis,

Auctore MELCHIORE DE LA CERDA, *è Societate* IESV, *& Hiſpali Eloquentiæ Profeſſore Primario.*

VOLVMEN SECVNDVM.

CORRECTIVS QVAM VNQVAM ALIAS IN Germania editum.



COLONIÆ AGRIPPINENSIVM,
Apud IOANNEM KINCHIVM, ſub Monocerote ANNO M. DC. XXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0003
DFG

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO D. ANTONIO CAPATA Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali.

Melchior de la Cerda, P. F. P.

CÆSAR ille, Illustrissime Reuerendissimeque Cardinalis, qui propter merita sua in Romanum Imperium, Augusti nomine celebratur, Poetam porrigentem libellum, ita timidè, vt trepidans modò porrigeret, modò retraheret, timiditatis arguit in Procerum suorum conspectu, puerum appellans, qui nummulos Elephanti porrigeret, quos non sine spectatorum admiratione Elephas proboscide corripiebat, nihil damni id temporis puero faciens. Factum comitate Augusti terrarum Domini dignissimum, qui sic ad bene merendum de patria litteratos excitabat, vt omnibus tantâ facilitate optatos aditus patefaceret. Felicissima profectò tempora, cùm Roma Marones, Horatios, Hortensios, Ciceriones, & aliarum artium peritissimos effunderet in Orbis gentium theatra, neque minus litteris quàm armis floreret. Imperatoriæ dignitatis si tuam similem extulero, Cardinalis præcellentissime, non adulari certè quidem videbor; quo de, quod olim de Pompeio Magno, omnis memoriæ facillimè Principe, iactari audio, qui cum dignitate Princeps par benignitate, comitateq; omnibus esse videare, cùm in tam altissimâ dignitate positus vrbi Romæ, & Orbi terrarum clarus & illustris illuceas, nihil quasi potestatis, & maiestatis inaccessæ habere videare in pileo illerici fulgentis celsitate sublimi. Hac Iulius Cæsar confectis bellis ciuilibus constitutâ Republicâ Romanâ plebem & nobilitatem sibi conciliauit; hac virtute Traianus Imperator, bonus ab omnibus appellatus, accusantibus nonnullis Proceribus, quod Imperatoriam maiestatem abiceret, cunctis se comem benignumq; præbens, respondisse fertur, Talem se velle priuatis præbere, quales optaret Reges Imperatoresque sibi priuato. Vox Imperatore

dignissima, & in tuam comitatem benignitatemq; cadens, Princeps celsissime. Quem non Principes nominati facilitatem hanc morum docuisse visi sunt, sed qui ad se mansuetum & mitem speTandum discipulos suos hortatur Christus Agnus mitissimus. Ita quidem ex arce Romana in summi Pontificis aula omnibus ad bene de tuâ comitate sperandum, quod de Cæsare Dictatore olim in Marcellinâ celebrauit Orator, quasi signum aliquod sustulisse visus es. Hac excitatus benignitate, præ multis aliis causis, præter primum volumen, tuo nomini dicatum, dedico & consecro præsens Campi Eloquentiæ secundum, vt auspicio tam felici progressus faustos fortunatosq; euentus in voluminum reliquorum serie progressuq; optatos mihi polliceri non desinam. Non id nouum cuiquam, qui Horatium Mæcenati diuersa opera dedicantem legerit. Et qui semel Duce Principe clarissimo rem bene sibi cecidisse videt, non alium aditi gnotum, quanquam nominis celebritate clarum. Athenas bonarum artium inuentrices Iapygæ ventum vnum feliciter & in Græciam flantem optauit & obtinuit Virgilius. Vlysses etiam eodem flante secundissimo vento, procellis omnibus, & fluctibus compressis turbulentissimis, sedato, placatoq; mari portum tenuit optatum. Qui potentem aliquem gratia, & opibus florentem Patronum adoptauit in vrbe Româ, hunc idem tenuit in exitum vsq; vitæ, neque ad alterius opem, nisi primo è viuis excedente, confugit vnquam. Quid coloniæ, quid prouinciæ, cum in populi Romani ditione fuissent, de eadem vrbe ad suas res agendas eosdem Patronos habuerunt retinuerunt q; constantissimè? Ipsæ exteræ gentes Metellos, Scipiones, Marcellos propter potentiam, & sectatam in adeundo facilitatem, vt adoptarunt, & conseruarunt suarum rerum Patronos claros & ingentes? Quem ego velim alium adoptatum, adeptum, & gloriosum nobis, nisi te Cardinalem excellentissimum, quibus de in primo dedicato volumine, maximis iustissimisq; de causis? Accipe igitur, Princeps clarissime, secundũ volumen, quod maximâ demissione deuoueo. Quod quoniam, vt primum, Campus Eloquentiæ inscribitur, quæ Principes, quæ Reges, quæ Romanos olim Imperatores ad sua fastigia augustissima celsissimaq; euexit: quæ Orbi terrarum plurimas maximasq; vtilitates & accessiones innumerabiles attulit: qua sine artes omnes atque disciplinæ iactare se nõ possunt, neq; quid splendoris habent, ostentare celebrioribus Orbis gentium Gymnasiis: atque in vrbe terrarum dominâ sine eadem neque tam pulcherrima & tam insignia monimenta minimè constitissent vnquam. Illud tibi Cardinali summo celsissimoque in communem Christiano Religionis vtilitatem & amplificationem incumbenti gratum & gratissimum opus fore confido.

CORO-

CORONAM

Grati animi, Eloquentiæ

R. P. MELCHIORIS DE LA CERDA Teutonica Pegasis imponit.

QVando feraces per Pharios tumens
Se Nilus agros, perque virentia
Floræque, Pomonæque prata
Exonerat, vitreâque latè
Effusus vrnâ plurima spumeis
Adlambit vndis mœnia, plurimas
Domosq; e, turritasque sedes
Largifluis sinuat fluentis;
Fœcundá reddit prædia, fertiles
Campos, & hortos pinguibus efficit
Limi saginis, copiosam
Sic referens opulentitatem.
Tunc læta passim per sata floridas
Ducunt choreas Naiades, & rosas
Cum Lilietis, cumque calthis
E sinibus, calathisque fundunt.
Pomona malis tunc petit aureis
Crœsos, & Iros: Triptolemeia
Tunc dona Mopsos, Tytirosque
Ampla domi faciunt beatos.
La-Cerda Suadæ Christiadum sacræ
Flumen profundum non secus aluëo
Fertur redundanti, vomitque
Eloquij latices politi:
Qui Tullianæ fonte loquentiæ
Sacratiori flumine per sata
Et per *patentes* arte *Campos*
Rhetoricæ melioris vndas
Ructat feraces frugis olympicæ;
Siue Ille *causas* explicat abditas
Mysteriorum, queis supremis
Terrigenæ sociantur astris;

Seu de profundo fonte reconditas
Rerumque *partes*, & *ſpeciem*, & *genus*
Progurgitat; ſeu *coniugata*
Voluat aquas, & opes Suadæ.
Prô ſancta Pallas! quantus in omnia
Procurrit iſtis fluctibus æquora!
Quo copiæ-cornu *patentes*
Rhetoricæ beat ille Campos!
Progurgitanti quam ſimilis mari
Res ambit omnes! quamque tumentibus
Mox Comparatorum fluentis
Chriſtiadum rigat arua Diuûm!
Quos Ille fruges, quæ thyma, quas roſas,
Quæ liliorum lumina, quem crocum,
Qualemque Narciſſum, & alba
Cum violis generat liguſtra!
Pæſtana nunquam par viridaria,
Nec par tulerunt Heſperidum ſata.
Hæc Suada La-Cerdæa poſt ſe
Haud gradibus videt ire paucis
Vrbs i vetuſto portige Tullio;
Nos Chriſtianæ ſerta Loquentiæ
Damus La-Cerdæ dignus Eius
Rhetoricâ labor eſt *Coronâ*.

ELEN-

ELENCHVS PRÆCIPVORVM CAPITVM.

VOLVMINIS SECVNDI.

DE Similitudine. pag. 540
De dissimilitudine. pag. 541
De Contrariis. 542
De Comparatione. 554
Exercitatione Similium cum rationibus amplificandi. 557. & seq.
Similia ex accommodatione. 555. & seq.
Secunda exercitatio ad similitudinem superioris ex descriptione, accommodatione per alteram descriptionem cum dissimilibus, & exemplis. 563
Dissimilium exercitatio tractatur eisdem modis, quibus similium vsus. 569. & seq.
De repugnantibus & contrarijs. 580
De Comparationis Amplificationibus cum exemplis. 590
De aliis modis amplificandi à Comparatis, ex Cicerone potissimum petitis. 598
Vsus & exercitatio exemplorum & testimoniorum. 615
Exemplum de fide Regum Magorum. 617
Exemplum paupertatis B. Francisci. 621
De aliis rationibus amplificandi ab exemplis, & testimonijs quæ remotorum argumentorum nomine continentur. 626
Exempla per præteritionem cum repetitione. 652
Epilogus ab exemplis. 659
De exordijs componendis ab exemplis. 663
Locus communis Eloquentiæ ab exemplis. 666
Locus communis de Iureiurando ab exemplis & minoribus, loca-

locupletatum effectorum grauitate. 667
Locus communis ab auctoritate, exemplis, comparatione, de studio litterarum. 668
Locus communis de perfidia Iudæ, ex variis exemplis, & aliis constans argumentis. 670
Locus communis de Prætore. 672
Locus communis in laudem virtutis, cum exclamatione & exemplis, & acclamatione. 673
Locus communis de consuetudine peccandi in vnius hominis exemplo. 674
Genera amplificãdi ab Etymologia in laudẽ B. Ignat. Cõfeß. 675
Præexercitationes ad Similia reuocata. 681
Præceptiones Fabulæ. ibid.
De Chria. 686. & seq.
De Sententia. 690. & seq. De Æthopœia. 694
De loco communi cum præceptionibus. 704
De Thesi. 709
An dialectica discenda sit. 710
An Astrologia discenda sit. 720
An Philosophia discenda sit. 729
Comparatio Annibalis Publÿque Scipionis. 736
Comparatio B. Chrysostomi & B. Ambrosii. 740
Comparatio Complutensis Academiæ cum Salmaticensi. 744
Comparatio demissionis cum Patientia. 751
Pugna Dauidis cum Goliath. 760
Vtra sit præstantior Poesis, an Rhetorica, in declamatorio Genere, & ad comparationem relatæ orationes duæ. 772
Declamatio Rhetoricæ contra Poesim. 783
Oratio in laudem Medicinæ, ex superioribus argumentis. 805
Oratio in laudem Iurisperitiæ, ex superiorib. orationis locis. 818
Oratio in laudẽ Sacræ Theologiæ, ex superiorũ argumentis. 831
Prima Oratio ad petendum gradum ex simili. 848
Secunda oratio, ex simili, accommodatione, comparatione, dissimilibus, & exemplis. 851

Tertia

Tertia oratio ex eisdem locis ad gradum Baccalaurei. 855
Quarta Oratio ex mercatorum similitudine in petitione Baccalaureorum pro Complutensi Academia. 857
Quinta Oratio ex militum similitudine. 861
Sexta Oratio ex similitudinum conglobatione ad lauream petendam. 864
Septima Oratio ad laureæ petitionem, ex Nautarum similitudine. 867
Octaua Oratio ad petendum Gradum ex Græcorum antiqua consuetudine. 870
Nona Oratio ad Gradum petendum, ex triumpho Romanorum. 873
Vltima Oratio ad Gradū petendum, ab exemplo petita. 876
Oratio ad lauream deferendam. 874
Oratio ad petendum vetus Salmaticense Colleg. ex similitudine. 879
Oratio ad Collegium Complutense maximum B. Ildefonsi appetendum ex simili. 882
Oratio ad publicam prælectionem in Cathedræ contentione, pro Complutensis academiæ competitoribus, ex simili. 884
Oratio ad Canonicatum Hispalensem appetendum, ex simili. 887
Oratio ad Religionem B. Augustini appetendam ex Dauidis exemplo petita. 890
Orationes ad publicas disputationes decidendas, ex simili. 893
Oratio virum illustrem ingredientem in gymnasium, ex simili. 895
Amplificatio ex descriptione ad similitudinis modum tractata cum exemplis ex Christi Iesu vitæ præcipuis mysteriis. 900
Oratio Domini in horto, ex eadem locis. 905
Comprehensio Domini, ex eisdem locis. 908
Virgæ Christi Iesu, ex eisdem locis. 913
Lacryma B. Petri, ex eisdem locis. 915
Spinea corona, ex eisdem locis. 920

Christus Iesus Crucem suis humeris portans, ex superiorum exercitationum locis ostenditur. 924
De Christo Iesu cruci affixo, ex eisdem locis. 931
De lamentatione Virginis propè Crucem, ex superioris exercitationis præceptionibus. 936
De solitudine V. M. ex his locis superiorum exercitationum. 942
In eum qui alapam inflixit in Annæ Pontificis ædè, ex superiorum exercitationum locis. 949
In Pilatum qui Christum Iesum mortis damnauerat, exercitatio ex superioribus locis constans. 952
De Christo Iesu à mortuis suâ diuinâ virtute suscitato, ab exordio, descriptione, simili, dissimili, exemplis, obsecratione, & commodis, quæ attulit idem Dominus ascendens in cœlum. 958
De aduentu Spiritus Diuini, ex eisdem locis exercitatio. 969
De oratione funebri, ex Argumentis superioribus, auxilio tamen aliorum ornata. 979
De primo modo. In obitu Domini Ioannis ab Austria, fratris Philippi, hoc nomine secundi, Regis Hispaniarum potentissimi. 980
De secundo modo orationis funebris in morte Sebastiani Regis Lusitanorum. 990
De Consolatione. 1001
De Querimonia. 1013. *& seq.*

FINIS.

CAMPI

CAMPI ELOQVENTIÆ IN SIMILIBVS, COMPARATIS, ETYMOLOGIA, Exemplis longè, lateque patentis.

VOLVMEN SECVNDVM.

QVOD in primo patentis Eloquentiæ Campi Volumine fecimus, vt præceptiones breues & necessarias argumentis excurrentibus in amplificatione præponeremus, id nos operæ pretium est facere in hoc secundo foras exeunti libro. In quibus igitur exultat Rhetoricæ scientia generibus argumentorum, ea nobis nominanda prius, vt eorum ex ordine suis in locis tradantur solita breuitate præceptiones. Similia primum, & Dissimilia sibi vendicant locum: Contraria proximum, & Repugnantia: illis proximiora sunt Comparata: in extremam classem reiiciuntur Exempla, & testimonia; ita tamen, vt sedem Exemplorum antecedat Etymologia, cuius excursio, & amplificatio latè patens ex similibus originem suam traxit. Descriptionis etiam amplificatæ his, ex locis in vltimum ferè libri partem cadentibus præcipua vitæ Christi spectacula ante oculos statuent, vt ex illis cum Rhetoricæ præceptionibus pietatem imbibant boni Rhetores. Incipiamus igitur præceptiones à Similibus.

Quid sit Similitudo.

SImilitudo est, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. *Vel*, est duorum aut plurium longè

longè diuersorum in aliqua re similitudo: vt, quemadmodum morbo ac sensus stupore cibi suauitatem, non sentiunt, sic libidinosi & auari veræ laudis gustum non habent.

Quàm varia sit.

SImilitudo varia quidem est: vel simplex illa est, vel partes habet. *Gloria virtutem, tanquam vmbra hominem sequitur.* Sæpe constat duabus partibus, Protasi, quæ Latinè Propositio, & Apodosi, quæ Redditio dicitur, *vt Phil. 8. In corpore, si quid est eiusmodi, quod reliquo corpori noceat, vri secarique patimur, vt membrum aliquod potius, quàm totum corpus interat: sic in Reip. corpore, vt totum saluum sit, quidquid est pestiferum amputatur.* Hæ partes ita statui possunt, vt res illa nota, cui conferatur id, de quo loquimur, modò antecedat, modò postponatur. Similia vinciuntur his particulis: *ita, vt, sic, vt quemadmodum, vt tanquam, sic: Hoc aduerbio similiter: & alijs huiusmodi:* interdum carent notâ.

Vnde ducatur.

PAtet similitudo tam latè, vt nulla res sit, vnde duci non possit: ex Factis: *Vt Annibalem iuueniliter exultantem Q. Fabius Maximus suâ patientiâ mollichat; ita nos puerilem impudentiam tolerantiâ nostrâ reprimere debemus.* Ex dictis. *Quemadmodum Cæsar dicebat, domum Cæsaris non modò crimine, verùm etiam criminis suspicione carere oportere; ita nobis curandum est, vt vitam nostram ab omni culpâ, cuique suspicione remotam esse prædicare possimus.* Ex Euentu: *Sicut delicia Campanæ reddiderunt exercitum Annibalis effœminatum; ita mollis hæc vita nostra vires animi corporisque debilitat ac frangit.* Ex Fabulis: *Vt olim membra cum in ventriculum coniurassent, ventrem alere recusarunt magno suo malo; ita maximarum artium Doctores, si negent suum officium adolescentibus, breui sentient se suo consilio perituros.*

Quemad-

Quemadmodum efferantur Similia.

SImilia possunt triplici verborum & sententiarum varietate distingui, si considerauerimus alia pura, alia plena, alia media dici posse.

Puræ similitudines sunt, quæ nudis verbis, omniq́ue amplificatione detracta proponuntur. Qualis hæc est: *Vt terra cultu, sic animus noster disciplinis melior & vberior euadit.* Et: *Vt igitur in seminibus est causa arborum, & stirpium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.*

Plenæ sunt copiosæ, grandiloquæ, & quasi spiritu quodam poetico prolatæ. Cuiusmodi est illa pro L. Muræna: *Nam vt tempestates certo aliquo cœli signo, commouentur, sæpe improuiso nullo ex certo aliquo cœli signo commouentur, sæpe improuiso nullâ ex certâ ratione, obscurâ aliquâ ex causâ concitantur: sic in hac Comitiorum tempestate populari sæpe intelligas, quo signo commota sit; sæpe ita obscura est, vt casu excitata videatur.* Tum illa pro Archia: *Saxa & solitudines voce respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis, non Poetarum voce moueamur?*

Mediæ sunt temperatæ, vt hæc ex Oratione post reditum ad Quirites: *Sed tanquam bona valetudo iucundior est ijs, qui è graui morbo recreati sunt, quàm qui nunquam agro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quàm assiduè perfecta delectant:* & hæc pro Roscio Comœdo: *Quid agis? nonne vt ignis in aqua coniectus continuò restinguitur, & refrigeratur: sic referens falsum crimen in purissimam vitam collatum statim concidit, & extinguitur?*

Quemadmodum internoscantur Similia à Comparatis dicemus in Comparatione.

De dissimilitudine.

DIssimilitudo, est duorum aut plurium in diuersâ qualitate. Vt *si barbarorum est in diem viuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Hic barbari

cum

cum hominibus cultis conferuntur in diuersâ qualitate viuendi.

Triplex est Dissimilitudo. Prima communis, quâ cum ab alijs, cum à nobis sæpè distamus. *Vt stare, sedere, ambulare, regere, disputare.* Altera propria, quæ ducitur ab accidente, quod separari non potest, *vt candor in Cygno, nigror in coruo, & Aethiope.* Tertia maximè propria, barbarè, essentialis appellata, quæ addita generi nouam speciem constituit, *vt rationis particeps. Nam animali adiuncta procreat hominem.* His differunt omnia, quæ inter se differre possunt: *vt orator, & citharœdus; virtus, & voluptas; constantia, & pertinacia; homo, leo.*

Vnde ducatur Dissimilitudo.

DIssimilitudo ducitur ex factis, dictis, euentis, fabulis. Ex Factis: *Iunius Brutus occidit filios proditionem molientes; I. Manlius virtutem filij morte mulctauit:* A Dictis: *Alex ille Magnus tanti fecit Homerum, vt cùm in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset, dixerit; O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem habuisti:* Plato verò *illum, & omnes Poëtas è Reubl. eiciendos esse præcepit.* Ab Euentis vt: *Milo Crotoniata viribus confisus interijt; ijsdem praditus Hercules, multùm fuit auxilio,* à Fabulis vt: *Formica totâ æstate tritici grana in horrea congerunt; Cicadæ semper eodem tempore cantitant: illæ repositis alimentis famem hyeme depellunt; hæ coguntur esurire, & ab illis victum mendicare.*

De Contrarijs.

AD Dissimilia referuntur Contraria, quæ non possunt eidem rei simul, eademque ratione conuenire, *vt sapientia, stultitia,* quorum species quatuor sunt, Aduersa, Priuantia, Relata, Negantia.

Aduersa sunt, quæ sub eodem genere comprehensa, plurimùm inter se differunt, *vt virtus & vitium,* sub habitu animi, *candor, & nigror,* sub colore, *amor & odium,* sub

pertur-

perturbatione. *Vitium fugiendum est, igitur amplectenda virtus.* His Cicero passim vtitur, tum Oratione pro Roscio Comœdo: *Et illa fuit pecunia immanis, hæc parùula: illa honesta, hæc sordida: illa iucunda, hæc acerba: illa propria, hæc in causa & iudicio collocata.* Et paulò pòst: *Venit ad Claudium; quem hominem? leuem? imò grauissimum; mobilem? imo constantissimum; familiarem? imo alienissimum.* In his te geres, vt in Similibus tractandis.

Sed animaduerte Contraria duplicia esse alia, inter quæ medium nihil est: *vt Pax & bellum, virtus & vitium:* alia, quibus medium interpositum, *vt albo & nigro pallidum, rufum, flauum rubrum, viride, & alijs coloribus affecta.* Priuantia sunt, quæ priuationem habitumque rei significant, *vt, dies, nox; lux, tenebræ; diuitiæ, paupertas; sobrietas, ebrietas; aspectus, cæcitas.* Vel alteri, addita præpositione in: *mortalis, immortalis: dignus, indignus: doctus, indoctus: humanus, inhumanus.* Cic. pro Marcell. *Doleo, cùm Respublica immortalis esse debeat, eam in vnius mortalis anima consistere.*

Relata sunt, quorum vnum ad alterum refertur, *vt Pater, filius: Dominus, seruus: Præceptor, discipulus: cliens, patronus: miles, Imperator: dare, accipere.* Hinc Cicero: *Discipulus sum Archiæ, ergo iure præceptorem defendo.*

Negantia vulgo dicta contradicentia sunt: quorum vnum ait, alterum negat; vt, *orator, non orator: docet, non docet.*

In Dissimilia coniicienda sunt etiam Repugnantia, quæ habent speciem quandam Contrariorum; sed neque certa lege, neque certo numero se ostendunt, qua ratione à Contrarijs dissident. *Sic enim repugnant hæc: amare, nocere, ladere, consectari, displicere:* sunt enim Repugnantia, quæ cum re, cui repugnant, cohærere non posse videntur, *vt Tiberij Gracchi mortem in concionibus deplorare, & ciuem bonum esse, & Reipub. commodare velle.*

De Com-

De Comparatione.

Comparatio est collatio vnius rei, cum alterâ.

Comparatio est duplex, par, aut impar.

Impar est duorum aut plurium cum elatione, vel submissione collatio. Sunt enim eius duæ partes: Maiora, quæ efferuntur, minora, quæ deprimuntur. Maiora tantùm ad refutandum, minora ad confirmandum plurimum valent, *vt Hercules duobus resistere non potest, ergo nec tu parentes suos non obseruat, nec diligit, & obseruabit, ac diliget amicos?* Hæc à maioribus ad minora refutanda dicuntur. A minoribus ad confirmanda maiora hæc Cic. pro L. Man. *Maiores vestri sæpe mercatoribus ac nauicularijs iniurioſius tractatis bella gesserunt, vos tot ciuium Romanorum millibus, vno nuntio atq; vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?*

Illud etiam animaduerto, maiora & minora comparari his quatuor Categoriis, substantia, quantitate, qualitate, & relatione: *vel, vt Cic. loquitur in Topicis*, specie, numero, vi, & ad res ipsas affectione. Substantia, *vt quæ propter se expetenda sunt, præferuntur ijs, quæ propter aliud, & naturalia non naturalibus.* Quantitate, *vt plura bona paucioribus bonis anteponenda sunt, & diuturna breuioribus.* Qualitate, in qua spectatur vis & facultas, *vt efficiens causa grauior, quàm non efficiens: & quæ seipsis contenta sunt, meliora, quàm quæ egent alijs.* Relatione, *vt quæ ad meliorem finem referuntur, anteferenda sunt ijs, quæ ad alium. Virtus iure anteponitur ijs quæ ad valetudinem pertinent.*

Par Comparatio est æqualis duorum, plurium, sine elatione, vel submissione collatio. *Quando ego non curo meum, tu ne cures meum. Abhorret à continentia, ergo fugit abstinentiam.*

Quema!-

Quemadmodum Comparata & Similia internoscantur.

COmparata maiorum & minorum facile à similitudine distinguuntur elatione & submissione, cum similia nec efferri, nec submitti possint. Parium autem & Similium, cum æqualia sint, hæc est distinctio. Nam comparatio est, cum duo aut plura, in tertio aliquo conferuntur. *Si Catoni licuit partes agere Pompeij, ergo & Ciceroni licebit. Commune fuit vtrique agere partes Pompeij.* Similitudo est, cum suum cuique tribuitur: vt: *Quemadmodum morbo ac sensus stupore cibi suauitatem non sentiunt; sic libidinosi & auari veræ laudis gustum non habent:* vtriusque gustus attenditur, sed ille cibi, hic laudis perspicitur.

In similia cadunt Exempla, de quibus vltimo loco dicetur, quæ in tractatione suâ Similium ac Dissimilium rationem sequentur, præceptionibus facultatis oratoriæ.

In hunc quoque conferenda locum videtur, ad sui exercitationem Etymologiæ, cùm in Similitudinis mortem, vt ostendemus, tractanda sit.

Est autem Etymologia, quæ verborum originem inquirit, id est, veriloquiũ, cum ἔτυμος sit nobis verus, & λόγος sermo. Cic. in Topicis Notationem appellat, quasi verba rerum notæ sint; sequutus Aristotelem, qui σύμβολον id est, notam appellauit. Est autem verbi notatio, interpretatio nominis: *Dialectica ars disputandi, à διαλέγομαι: Rhetorica, à ῥέω fluo: Theologus, qui de Deo loquitur: hinc Verrem, à verrenda Sicilia Cicero appellauit:* hinc argumentum: *Si consul est, qui consulit patriæ, Cicero consul appellandus, qui ex Catilinæ manibus eripuit.*

Non est adhibenda fides Agricolæ, qui Etymolo-

giam insitum esse locum negauit. Nam etsi nomina naturalia non sunt, sed rebus significandis ab hominibus imposita: tamen cùm temerè non fuerint indita, sed pro naturâ rerum, fit vt simul cum ipso nomine rei natura explicetur. Quod Ouidius testatur hoc versu,

Conueniunt rebus nomina quæque suis.

Duplex est Etymologia: Prima voce, & significatione, *vt Consul à consulendo*: altera, voce, non significatione, *vt*:

Est via sublimis, cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

A notatione laudamus, & vituperamus, *vt laudandum esse Senatum Romanum, qui à senibus prudentissimis appellatus est. Vituperandus Bambalio, quod satis vel nomen ipsum declarat ab hæsitantia linguæ & stupore cordis.* Hinc suademus & dissuademus, *vt Philopono laborandum esse, quòd studiosus laboris appelletur.* Hinc coniecturam facti explicamus, *vt mirum non videri factum à Verre furtum, qui solitus erat omnia verrere.*

Quoniam in exercendis Similibus, Comparatis, & Exemplis egemus passim Adiunctis, & Enumeratione, & hæc argumenta vel similium & Comparatorum, Exemplorumque facultate illustrantur, vel amplificantur, aut cum ornatu & luce Comparationis & Similitudinis & Exemplorum illustratur, præceptiones Adiunctorum & Enumerationis præponendas censerem, nisi in primo Volumine Campi Eloquentiæ, quod adire poteris, pro nostri instituti ratione tradidissem.

EXER-

EXERCITATIO SIMILIVM.

Prima ratio amplificandi breuis est per solam similitudinis propositionem de homine negotio abruto.

SIC equidem vites, quamuis primum diligenter satæ; si postea cultura earum negligatur, cum partibus suis quàm optimè se habere non poterunt, si herbis, & spinis segetum cuique generi pernicioſis obruantur.

Secunda ratio amplificandi Similium propositione, & assumptione.

VT hyemali tempore propter asperitatem, & glaciem horrida tellus videtur & deformis; neque arborum bonitas internosci potest, quoniam omnes foliis, & fructuum vbertate carent: at ineunte Vere arbores bonæ vestitæ foliis ac floſculis, & fructibus onustæ facilè diiudicantur, & quid inter fructuosas, & steriles intersit sua bonitate mortalium oculis obiiciunt: Sic equidem in hoc sæculo, quòd hyemis non est dissimile, probi & improbi permixti confusique versantur, & virtutum & ornamentorum illustrium pretium & æstimatio, ornatus & splendor latet & occultatur in tenebris, ad illam vsque sempiterni Veris pulchritudinem & venustatem eximiam, cùm inuolucris & tegumenis vitiorum detractis, à bonis, & sanctitate præstantibus, scelerati ac nefarij homines disiuncti deijcientur in obscuras & caliginosas inferorum sedes.

Tertia ratio amplificandi cùm adhibetur similitudo ad probandum, nulla adhibita assumptione, neque conclusione.

SEd quid rem tam claram rationibus & testimonijs amplius confirmare studeo? Quid plura affero de bo-

norum virtutibus egregiis, extremâ die iudicij in theatro frequentissimo celeberrimoque omnis generis, virorum, ac mulierum, in conuentu tanto societatis infinitæ bonorum, & improborum, debitis præmijs, & honoribus à Christi Iesu liberalissimè magnificentissimeque cumulandis. Id fiet equidem & in oculis, & in ore cunctorum, eo tempore post tertiarum deflagrationem, & viuorum ex hoc sæculo discessum cunctorum, & in amœnissimo florentissimoque æstatis tempore arbores quæcunque bonæ sunt, & fertiles, venustatem suam & vbertatem, & fructuum multitudinem præstantiamque copiosè nimis, & abundanter ostendunt.

Quarta ratio amplificandi constat contentione siue collatione, quâ dilata i Similia possunt, & adiunctu & exemplis augentur. In laudem Beati Ignatij Martyris.

VT ignis accensus & inflammatus hanc vim habet à natura insitam, vt illustret eas terræ partes suæ lucis claritate, quarum fulgore collucent, & illustrantur, & quæ iacebant in tenebris atra quadam caligine circumfusa, pateant oculis exposita mortalium: si tamen locis aliquot admoueatur ignis ille, populetur & absumat omnia quæcunque peruaserit, neque vestigium pristinæ pulchritudinis relinquatur vllum: sic equidem B. Ignatius Christi Iesu igne clarissimè collucenti flagrans, lucem afferebat eximiam & illustrem generi mortalium vniuerso, patientiæ, fortitudinis, constantiæ, amoris in animorum salutem maximi, & in DEI sempiterni decus & gloriam immortalem charitatis accensæ: quarum virtutum splendore tantopere fulgebat illustratus, vt non solum ipse suis virtutibus splenderet, & illustraret Christianæ Religionis diuersa maximeque disiuncta loca, sed ex inimicorum mentibus tenebras disijceret, & idolorum cultum, & religionem extingueret: Quacunque autem contendebat, vbicunq; nomen Pontificis audiebatur, excitabantur, & inflammabantur omnes ad veram amplectendam colendamq; Fidem. Ita quidem non immerito dicebatur ignis Ignatius errores absumens, & animos veritatis radijs late collucentibus illustrans. Ignis luce sua splendere facit quæcunque terrarum loca, in

quibus

quibus accensis colluceat splendescatque: Ignatius virtutum suarum claritate, diuersas gentium, & Ecclesiæ, præsertim Antiochenæ sedes illustrat. Ignis tenebris obducta loca densissimis flammarum splendenti lumine statuit ante oculos aspicienda: Ignatius hostium Fidei mentes, caligine tenebrarum obscuratas, Christi luce splendidissimâ, veram Religionem & verum Deum intueri facit, præferens facem veritatis accensam. Ignis quascunque res flammis ardentibus peruadit, eas conficit & absumit: Ignatius igne cœlesti, quo micabat & splendebat, fallaces & commentitias nostrorum hostium turres, fraudulentis erroribus excitatis, ad nihilum redigebat. Ignis quò magis ac magis materiam admoueas, magis ac magis inualescens, ac vires sumens maximas, incendia maiora excitat, flammas spargit circumquaque & tollit in sublime: Ignatius quò magis ab aduersarijs vexabatur, & grauioribus cruciabatur supplicijs, maiores suæ virtutis flammas excitabat. Si ignis iste sublatus in sublime, se diffundere videatur, & spargere latissimè flammarum in omnes partes volitantium ardores longo quidem interuallo cernetur: Ignatius propinquiores valdeque distantes locorum partes, vltimos etiam terrarum angulos flammis ardentibus illustrabat. Denique ignis notas sui ipsius & vestigia ad temporis diuturnitatem impressa relinquit: Ignatius ignis illius, cuius ardore viscera flagrabant, mirum in modum signa reliquit expressa, ad sæculorum omnium memoriam sempiternam. Atque eò magis illustria signa fuerunt ignis huiusce relicta, quò magis ab hoc, quem aspicimus, Ignatij inflammatus ignis differebat, qui cælestis erat ac diuinus, Deum immortalem attingens, diuini spiritus ardore excitatus, Christum Iesum in ipsius animi visceribus ac medullis infixum & inhærentem habens. Quod declarauit euentus, ac periculum tanta inuictissimi Martyris laude factum, qui cum passim & singulis momentis Iesum suis sermonibus vsurparet, cum Iesum semper in ore haberet, ac Iesum loqueretur semper, & Iesu nomen diuinum cum tantâ animi suauitate cælesti repeteret, & iteraret, cum nihil aliud vnquam proferens, Iesum in corde insidentem & impressum habere se constantissimè confirmaret, vbi dissectum medium corpus, & viscera parefacta fuerunt, patuit profecto veritas, & illustrata fuit, sermonis de Christi Iesu nomine toties à se, tam frequenter, imò semper vsurpato. Quod vt legimus, litteris insculptum & impressum, diuino splendore

micans, visum fuit, atque perspectum. Hic erat ille ignis Agni mitissimi, cuius fulgore collucebant, & illustrabantur cœli palatia celsissima, nullâ alterius ignis magis micantia luce splendenti. Hic erat ignis ille, quo socij & comites Christi Iesu, post tanti Domini accensum in cæli sedes altissimas, illustrati per totum terrarum orbem Fidei Christianæ radios tam immensa claritatis magnitudine diffuderunt. Hic denique ignis ille, cuius ardore flagrantes Martyres inuictissimo, primis nascentis Ecclesiæ temporibus, tyrannorum flammas, & rogos accensos aduersa iorum ingenti stupore superarunt. Quantum ergo claritatis splendore ignis diuini collucens Ignatius, sibi, & vniuersæ Reipub. Christianæ attulerit, iterum atque iterum consideremus, si tanta luce circunfundi mentes nostras animosque desideramus.

Quinta ratio amplificandi, cum intercedit sola contentio ad amplificandum.

VT vitis humilis, serpens multiplici lapsu & erraticè, cùm adminiculis fulcitur sustentaturque, aut ad vlmum adhæret, egregios & præstantes fructus suos ferre videbitur maturos & opportunos: sic equidem diuites, cùm diuitijs abundent, & omnibus bonorum copijs affluant, si ad inopum & egentum miserias subleuandas applicuerint sese, illorum precibus Beatorum immortalitate dignissimos fructus ferent, nec iacebunt terræ sordibus ac cœno demersi. Vitis vt fructus ferat, ad adminicula necesse est, aut ad culmum adhæreat: Diues rebus sæculi distentus, inopum egestati subueniat, vt egentum precibus adiutus, supera & cælestia auidissimè petat. Vitis adhærens ad adminicula sustinet sese, & vuas fert, non solùm abundantes, sed vinum maximè necessarium ad vsus & vtilitates humanę vitę: diues si locupletari magis, & augerè diuitias, quas habeat, concupierit, egentibus stipem corrogantibus opem ferat. Vitis crescit in miraudam altitudinem vlmi fulta præsidio: diues cumulabitur, & augebitur magis ac magis in dies diuini numinis liberalitate, qui munificus & liberalis fuerit in calamitosos & egentes homines. Vt videas diues, qui tantis opibus abundas, quantum momenti situm sit in inopum egestate subleuanda.

Sexta

Sexta ratio amplificandi ex Similium conglobatione.

CVr ergo in Dei gratiam non redis, ne fœdus, ac deformis; horribilis, & execrandus Deo, hominibusque infestus videaris? Vt enim noctem, propter caliginem, & tenebras; vt monstrum aliquod, propter deformitatem suam; vt serpentem, propter terrificum aspectum; vt venenum, propter grauitatem damni; vt pestilentia infectos, propter contagionem; vt postremò dæmonem, propter fœditatem & diritatem suam, insidias passim facientem, & interitum nobis machinantem fugimus, & teipsum omnes boni fugient, & oculis videre non poterunt.

Septima ratio amplificandi cum Antithetis & Comparatione.

AN vero non delectemur magnopere ingenij tui monimentis, hac illustri gloria, quam literarum varia multiplicique cognitione patriæ tuæ comparasti? Arbores bonæ, hortis & solo, in quo satæ sunt, laudem eximiam afferunt: ingenij acumine præcellentes viri patriæ suæ decus & ornamentum insigne sunt. Illud solum præcipuè commendatur, in quo poma ferunt arbores, & fructus præstantissimos: illa celebratur insignis vrbs, quæ viros tui similes, & litteratos, & doctos admodum protulit. Illi tandem horti in magno pretio & æstimatione sunt, qui varijs fructibus abundare videntur ad delitias, & ad hominum victum quotidianum: illa patria magni quoque æstimatur & habetur, quæ claros & omni litterarum laude cumulatos viros ad sustentandam conseruandamque Rempub. profert. Atque eò magis, quòd arbores illæ ad oris suauitatem, & ad corporis conseruationem fructus conferunt: patria viros doctissimos, litteratissimos, ad Rerum publicarum constitutionem obseruationemque moderatores idoneos tribuit. Arbores cùm fructibus suis corporibus alendis inseruierunt, amplius nihil emolumenti afferre possunt: sapientes nouis in dies incrementis mortalium animos cumulant, & adaugent. Quid? fructus harum sæpe arborum non omnibus æquè hominibus prosunt, multis sæpe nocent, & perturbant humores corporis præclarè

constitutos: litterati cùm magis ad salute[illegible]cubuerint, plura rebus publicis afferunt emolumenta, vi[illegible]e detractis, virtutem dominationem & principatum amplissimum tenere faciunt.

Octaua ratio amplificandi, cùm res ipsa proponitur, deinde rei propositæ ratio redditur, postea subijcitur confirmatio, vel certè exornatio per similitudinem, similitudini assumptæ additur assumptio siue redditio, ad quam aliquid aliud adiungi solet.

INter alia multa, quæ Basilius ille Magnus de virtutibus & absolutâ sanctitate scripta posteritati reliquit, ad sacras Religiosorum familias ex Christi Iesu consilijs & sanctissimâ disciplinâ gubernandas, illud imprimis Præfectorum cuiuscunque Ordinis memoriæ commendatum esse voluit, quod ad Spiritum spectat, sine quo, quemadmodum neque sine lucernâ nocturno tempore domum lustrari minimè posse contendebat. Similitudo profectò tanti Patris virtute, illius litteris & consilio, honorificentissimo Magni cognomento, & alumnorum optimo perfectissimoque parente dignissima. Videbat enim quemadmodum sine lucerna nemo obire posset cubicula aliquot, neque partes ædium sine offensione, aut metu periculoque passim prolabandi: sic in viam virtutis, & iter sanctitatis absolutæ, nisi Spiritu Sanctorum Patrum, & Christi Iesu ductum & excitatum inire, neque persequi posse; passim autem illum miserrimè lapsurum, & multas grauesque animorum offensiones, & lethales, commissis in Deum immortalem flagitijs & sceleribus grauissimis suscepturum esse. Quin ille concentus & harmonia Religionis, ille ornatus & splendor, tanta Patrum sanctissimorum exempla, à maioribus accepta, nisi posterorum incitatione, quæ maiorum spiritum præ se ferebant, in tenebris & caligine iacere solent. An verò hæc congruere posse quisquam sanâ mente præditus confirmabit? vt, nisi quis spiritum ducat, vitam cum hominibus agat, inter illos versetur, & actiones viuentis suscipiat, qui simul atque spiritum extremum edidit, efflans animam, diem tandem suum obijt. Vt nauis ingressa mare, portum nunquam appellet, quam scientissimus gubernator non moderatus fuerit? sed tempestates subibit turbulentissimas, & fluctibus iactata

ctata demergetur in profundum cum oneribus omnibus, & mercibus maximis, quibus in Indiam onerata duce scientissimo Gubernatore perueniret: Sic equidem cœtus sacrarum familiarum, nisi duce & principe Spiritu diuino consilia Christi Iesu sequi nequeunt, neque veris & solidis virtutibus præditi in cælestem Indiam peruenire: sed passim facient naufragia maxima, opprimentur dæmonis insidijs, & fluctibus mundi scelestissimi obruentur. Caro autem bellum semper faciens, suis illecebris & lenocinijs superabit, atque conficiet. Quid enim Mundus, nisi honores & iactationem sæculi inanissimam obiicit: Spiritus Dei contemptionem & despicientiam rerum humanarum? quid dæmon, nisi laqueos intendit, insidias parat, dies noctesque animum acriter ac vehementer oppugnans: Spiritus dæmoni seipsum opponit, præscriptiones Ordinis, consilia Patrum sanctissimorum, facta maiorum egregia, & sanctitatis absolutionem ostendit? quid caro, nisi illecebras voluptatum, mollitiem & teneritudinem, atque omnes titillationes, ad integritatem eripiendam, toto corpore perfundere conatur: Spiritus Dei illas virginum palmas, illas virentes, quæ perpetuò florere non desinant, virginitatis coronas, similitudinem quandam & expressum Diuinarum mentium effigiem ante oculos statuit, & in mentibus insigniter admodum imprimit? Hunc Dei Spiritum B. Dominicus præ se tulit splendore suæ virtutis tot annos ante generi mortalium prænuntiatum, iam inde ab illo tempore, cùm mater catulum inflammatam facem in ore ferentem se gerere dicebat in vtero: cùm stella eximio & illustri fulgore collucenti frons illius pueri adhuc, & in cunis vagientis, lucem circunstantibus cælestem afferre videbatur. Hoc Spiritu, tanquam facibus inflammati ardentibus, illius alumni suis concionibus, vitæ præclarissimis exemplis, omni virtutum splendore clarissimo totum terrarum orbem illustrarunt. Hoc eodem Spiritu ductus Beatissimus Ignatius, Fundator nostræ Societatis insignis, tantam sæpe, & fronte, & oculis, ac vultu lucem præferebat, vt Dei cælestem Spiritum præferre videretur, atque cùm alijs temporibus, tum illo præcipuè, cum Barcinone, cùm Parisijs, cùm in vrbe Roma sæpe visum est eximiæ claritatis radijs caput & ora vultusque collucere. Quæ cùm clara, cum illustria sint, tum illa multo clariora & illustriora lumina claritatis, quæ Alexander Petronius, medendi scientissimus Aesculapius, oculis suis videre visus, iacens in lecto, & graui

periculosoque morbo affectus. Cuius cubiculum cùm sanctissimus Ignatius ingrederetur obscurum omnino, fenestris & foribus conclusis, statim in Sanctissimi Beatissimique Patriarchæ ingressu visum est eximia claritate circunfundi, quàm clarissimè splendere, & media die lucem clariorem diffundere. Sed quid mirum, si lux in illius ore vultuque cælestis ac diuina splenderet, qui lumen Patris Æterni, & imaginem tanti numinis Filium Iesum Principem suæ Religionis imitandum, sequendumque suis alumnis filiisque proposuisset? Id quod declarauit nomen Ignatij, ignem inflammatum, & faces diuinæ claritatis ardentes spirans, & diffundens toto orbe collucentes. Quid dicam de alijs sacrarum nostræ Religionis Familiarum Ducibus & antesignanis clarissimis, eodem suis in præscriptionibus, in suo præstanti instituto, in norma seueriore-que disciplinâ diuinâ claritate micantibus? Sic equidem populus Solymorum medijs in tenebris noctis obscurissimæ iter persequebatur suum, vt præeuntem columnam & tenebras illustrantem suâ claritate suspiceret gens in delicijs habita summo prapotentique Deo. Quòd Reges Magi itinera confecerunt non longa solùm, sed periculosa via: quòd primùm in vrbem Solymorum, deinde in porticum peruenerunt, sidus nouo splendore perfectum causa fuit & duri itineris tantâ alacritate susceptI confectique. Quare qui societatem aliquam, qui cœlum, qui familiam bene moratam, & præclare constitutam habere voluerit, principem actionum suarum præbeat Spiritum Diuinum, si à veritate nunquam voluerit aberrare: quo præsente, omnia ex Christianæ disciplinæ auctoritate, & diuini numinis sanctissimâ voluntate procedent. Quam enim causam afferet aliquis perturbatæ domus, deprauatæ familiæ, filiorum omnibus vitijs inquinatorum, ludorum omnis generis, maximè aleæ, pictorum foliorum, perditæ & euersæ gentis omnino, nisi boni Spiritus absentiam, flagitia patris, & vitam omnibus flagitijs contaminatam? Quòd multi à sacra Religione defecerint, & Lutheri sectam amplexi fuerint, in Anglia, in Germania, in alijs prouincijs labe hæreseos infectis, bonorum inopia magistrorum, qui sunt Spiritus & vita, rectè præclareque agendi initium, sæpe mali attuliti-stiusmodi, occasionemque deserendæ Religionis. Quorum salutaribus præceptis multi continerentur in officio, & non iuissent tanta cum calamitate animorum perditum sese. Neque enim deficiente Phonasco concentus & harmoniæ duce, cantores

tores persequi possent dulcedinem ac suauitatem mirificè semperque concinentem, qui acutas, medias, & graues voces mirificè congruere facit ex omni parte singulas modulationes, pro debita proportione suauiter ac concinnè præscribendo moderandoque. Quare singulis in rebus, quid Spiritus præstet, & quantum lucis afferat, diligenter consideremus, si nolumus rebus demandatis tenebras & obscuram noctem offundere.

PRæter rationes amplificationis ex Similibus allatas, ordine suo præcipuas aliquot ex Cicerone petitas afferemus, quibus officia continentur Similitudinis varia, suis argumentis locupletata, & schematibus illustrata clarissimis.

Similia ex accommodatione.

ETenim si Deus optimus ac maximus sæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore, aut morbis inuectis, & latius grassante pestilentia fruges perdidit, vrbes deleuit: quorum nihil odio hominum, sed diuino consilio facit; vt scelera puniat, & ad officium reuocet malis adductos mortales: Atque ea commoda, quibus vtimur; lucem, qua fruimur; spiritum, quem ducimus; à Deo nobis dari & impertiri videmus: quid non intelligimus parentes, à quibus geniti fuimus, & in hanc lucem susceptri, diuinorum consiliorum rationem fuisse consequutos? cùm nos instituendos regendosque habuerint, cùm tot commodis & emolumentis quotidie auxerint, & quidquid habuerint bonorum & honoris, id nobis tribuerint, & post mortem libentissimè liberalissimeque reliquerint, si nos aliquando, vt officium faciamus, & ad meliorem frugem redeamus, reprehendendos puniendosque curauerint? Nisi hoc mirum est, vt quod vim diuinam facere videmus, id mentem parentum nostrorum humanam persequi nolucrimus.

Secun-

Secundum genus Similitudinis ad rationem reddendam, cum particulis.

NAm quemadmodum turpe est, petere quod non debetur; sic improbum est, negare quod debeas. Æqua enim ratio est vtriusque, vt & petere, quod non debeatur, sit in signis impudentiæ; & alterum, nolle soluere, in hominem insigniter impudentem cadit.

Tertium genus ad causam quærendam per contentionem, sed primum similia præeunt.

SEd quemadmodum auxerit rem familiarem videamus. Emit agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia prædiorum, qui ager neque villam habuit, neque ex vllâ parte fuit cultus, sed quasi ager quidam desertus, atque derelictus longo interuallo, quod bella in locis, in quibus ea geruntur, diuturna esse solent atque calamitosa. Nunc multo pluris est, quàm tunc fuit, atque ex illius fructibus annuis creuit adeo res sua familiaris, vt sit in hoc statu atque fortunâ homo, quâ contentus viuit: tunc erat ager cultus sine tecto, nunc est cultissimus cum optimâ villâ: tunc nulla vinea, nulla oliueta; nunc vitium, & olearum multi ordines: tunc paucæ arbores satæ, nunc omnis generis arborum multitudo maxima: tunc illum paucis quidem nummis dominus mercatus est, nunc maximo pretio propter vtilitates suas non vendet: tunc propter calamitates temporum nullæ delectationes, nullæ amœnitates agri, nunc propter fertilitatem annuam & culturam, voluptates & iucunditates maximæ percipientur: denique tunc, qui nullas incultus habebat vtilitates; nunc cultus, & alijs hortis & prædijs vicinis auctus, satis est, & ad alendam, & ad locupletandam honoratissimam familiam.

Quartum genus Similitudinis, ex simili cum dissimilibus ad laudem B. Dominici.

CVm puer esset B. Dominicus, arbitror sex annos nondum natus, humi iacere malebat, quam in lecto molliter strato, quàm in sinu complexuque parentis aut nutricis acquiescere. Itane vero puer delicatus, in teneris annis, in infantiâ, cum parentes

parentes ad somnum capiendum in lectis mollissimis, omnes domestici, nutrices præsertim inuitarent, & vna mater obsecraret, toto corpore lacrymis, & ploratu plurimo mollitiem huiusmodi respueret? Et cum ille, sic se comparet ad omnes vitæ annos sanctissimè degendos, vt omnem teneritudinem & mollitudinem carnis amandauerit, non laudem eum, non omni ratione commendandum putem? Quid quiin eâ ætate iam cernitur, vt annos multo plures nactus sit, robori & virium tantum habeat, quantum necesse sit ad vim hanc & magnitudinem laboris perferendam? Enim vero perferendi non sunt, qui corroborata iam ætate, magnis viribus, vtroque crure porrecto, corpore sæpius volutato, tanquam suas noctes, & magnam dierum partem iacent in lecto, cum maximâ corporis pernicie, atque adeò animi exitio pesteque teterrimâ, excitante venere motus animi obscœnos, & cogitationes impuras. At quam rem faciunt, atque adeo scelus committunt, vt neque in manibus, neque in auribus, neque in sensibus cæteris, neque in vlla bona cogitatione suscipienda quouis puncto temporis homines se Christianos præbeant. Ita multum in tempus dormiunt, vt agendam rem nullam habere videantur: Ita arctè vt Endymionis somnum capere videantur; ita præterea stertentes, vt omnes persentiant.

Quintum genus in vituperatione, cum enumeratione, exemplis, præoccupatione.

ET enim quæro, si quis proditor Principe arcis occiso, custode necato, apertâ arce, traditis clauibus, milites qui erant in arce tradidisset, vtrum is clemens & misericors, an inhumanus & crudelissimus haberetur, qui in hunc proditorem non animaduertisset? mihi ferreus & crudelis, qui non supplicium à legibus statutum, & exemplum debitum, vt ad proditorem pœna, ad cæteros metus perueniret, sumendum curaret. Atque hic cæteris ad quoduis simile proditionis scelus committendum ianuam patefecisset in posterum. Quo enim se non propipiet audacia scelerum impunitate proposita? Sic nos corpori huic, huic fœtidæ ac putridæ carni, quæ nos ipsos, quæ gratia Dei immortalis, quæ gloria cœlorum, quæ præmiis Beatorum spoliare vult, quæ id egit, quantum in se fuit, vt suis blandissimis voluptatibus & lenociniis nos à

Deo

Deo separaret aliquando, & traderet in virtutem inferorum Principi nequissimo, omnibus modis succensere debebimus, & si vehementissimi in illam fuerimus, cæli um similes habebimur: sin remissiores esse voluerimus, extremæ nobis dementiæ in animarum nostrarum perniciem infamia subeunda est. Nisi verò cupiam B. Franciscus, vir sanctissimus, Christi Iesu imitator; crudelior per omne vitæ tempus visus fuerit, cùm corporis, cùm suæ carn's auiditatem ita domandam coercendamque curauerit, vt illam, tanquam iumentum, & animal oneribus perferendis emptum, paleis & hordeo ad summum pascendum, omni seueritate tractauerit. Atque alij clarissimi Christi milites sic se gesserunt, vt tanquam hostem omnium teterrimum, carnem suam vinculis & ferro constringentes, persequuti fuerint, ne quid de summa comparatæ cœlestis gratiæ minueretur. Caro ad animi fundamenta euertenda sensus omnes accersit, titillationes concitat, voluptates euocat, delicias appetit, attribuit nos trucidandos dæmoni, animosque nostros præcipitandos in sedes inferorum, per omnem sæculorum æternitatem inflammandos, dilaniandos, excarnificandosque legionibus Dæmonis immanissimis. Veremini censeo, ne in hoc hoste omnium nequissimo teterrimoque nimium seuerè statuisse videamini, cùm multo magis sit verendum, ne remissione pœnæ crudeles magis in animum, quàm ne seueritate animaduersionis nimis vehementes in acerbissimum hostem fuisse videamur.

Sextum genus ex similitudine, oppositis, & comparatione, ad laudem.

ADamas tanta firmitate dicitur & stabilitate præditus esse, vt robur illius & vim maximam nullis malleorum ictibus, nullâ contentione virium, non ipsius omnia vastantis ac depopulantis ignis flammis ardentibus quisquam superare possit; tantum autem abest, vt virtus Adamantis admiranda frangatur ac debilitetur, vt ipse contra vim omnem & grauitatem adhibitam, ad infringendum & labefactandum robur inuictum, duritiem quamcunque frangens ac debilitans incredibili virtute contendat, nec vnquam molliri valeat aut leniri, nisi hircino sanguine superatus. Sic equidem B. Damasus, diuinâ virtute præditus, adamantis admodum

similis

similis, nullis vnquam aduersæ fortunæ flatibus, nullis temporum iniuriis, neque procellis concitatis, nullis denique periculis vitæ suæ dies ac noctes imminentibus, de statu suo dimoueri potuit. Adamas maximâ virtute, valdeque commemorandâ celebratur: Damasus incredibili & inuicto robore commendatus prædicatur. Adamas frangi non potest, neque debilitari virium quacunq; magnitudine memorabili: Damasus nullis inimicorum telis acerrimis traiectus, neque transfixus fuit vnquam. Adamas vim omnem & contentionem malleorum frangit ac labefactat. Damasus inimicorum impetus ac furores repressit, & debilitauit. Adamas vnius duntaxat hircini sanguinis naturam superiorem agnoscit: Damasus Christi Iesu sanguini, quidquid potuit, quod fuit maximum ac memorabile, tribuit atque concedit: illius ad tantas dimicationes capitis pro Religione subeundas inuictis viribus prodiit in mediam inimicorum aciem, cum eisdem grauissimas quæstiones habuit, certamina vitæ periculosissima lætus & alacer adiit, ac denique victorias reportauit, & insignia victoriarum clarissima. Atque in hoc Adamante superior Damasus: Adamas enim res mutas, & animâ carentes mollit: Damasus virtutem, principio visam & habitam hominibus difficilem, & horridam, ostendit facilem, & expeditam. Quòd si Adamas ferrum & gladium sua virtute mollem reddit ac lenem: cùm Damasus feritatem tyrannorum diram & immanem ad Christi voluntatem flectat, & intorqueat; quantum inter vnam & alteram duritiem interfit, nemo sanæ mentis ignorat; cùm tigribus, ac leonibus immanissimis, & belluis omni diritate tetrioribus teterrimi Christianæ gentis inimici sua feritate præstiterint. Atque ille sanguis hircinus comparatus ad Christi sanguinem, cuius virtute munitus Damasus tot res præclarè gerebat, & mortem ante oculos versantem sæpe contemnebat, atq; adeò iugulum ipse pro Religione crudelitati carnificum dedit, & alios eiusdem virtutis viribus armatos libenter dare coegit, quid habet laudis & prædicationis? Non immeritò quidem Damaso Adamantis nomen inditum,

Septimum genus amplificandi, ex simili per descriptionem accommodatione.

EX *Similitudinis amplificandæ arario multiplici variq; datur libera facultas & copiosa ornandi diuersa sacrorum*

crorum Annalium loca, quæ Similibus potißimum continentur quorum nonnulla afferemus exempla.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

COmprehende mentis oculis auem aliquam, pulchram ac venustam, pennarum varietate distinctam, in solitudine lætam atque alacrem, vagam ac solutam, & in camporum planicie modo considentem, salientemque interdum, aut in arbores inuolantem, insidentemque in ramis, huc & illuc oculos conuertentem passim, mouentem caput suum lepidissimum, & prospectantem latè ac iucundè, & quatientem pennas, corpusculumque interdum, & collo promisso sublatove edentem cantus iucundissimos, quos ad tempus exiguum intermittat, repetit postea, persequiturque concentu & harmonia mirabili: donec passis alis sublatisque volatus suscipit in aerem sublimes, vel demissos in terram vsque: quam percurrit, & quasi lustrat, quæritans escam, & rostro eruens, & ore, quoniam tempus æstiuum est, grana colligens. Illa nescia insidiarum, ignara laquei, quem auceps tendit, hac illacque vagatur, & soluta errat, capienda procul dubio, si in laqueos, si in retia aucupis inciderit. Sed quia vel cum paratos laqueos prospiceret, vel quia cum iam parum abesset, quin in insidias incideret, effugit declinauitque laqueos, volatus celeres incitatosque suscipiens, manus effugiens aucupis, se saluam & incolumem conseruauit: quæ in caueam aliter includeretur, aut obtorto collo conficeretur. Similis est procul dubio ratio hominis, cui dies noctesque, singulis horis atque momentis dæmon improbus insidias parat, & omnibus modis atque rationibus capere vellet, & in suam seruitutem adducere, ab immortalis Dei gratia disiunctum abstractumque, modò deliciis & illecebris carnis, blanditiis & lenociniis voluptatum turpissimarum, modò gaudiis, & voluptatibus falsis, modò diuitiis & opibus huiusce sæculi petituris, modò honoribus obiectis, & dignitatibus, ad quas homines per flammas, per vitæ pericula feruntur, capti cæca cupiditate dominandi. Homo verò vbi effugisse manus dæmonis, & intentos laqueos declinasse vidit, cum particeps rationis fit, fugiet profectò quascumque occasiones, ne in foueam incidat, & obruatur,

natur, & studiosus diuinæ gratiæ conseruandæ, ne illam effundat, auxilio diuini numinis, quasi pennis sublatis, aliò se recipiet, neque domum ingredietur ludi, non habebit societatem cum improbis, non inibit gratiam cum libidinosis, postremò aucupabitur omne tempus, & cautione prouisione que diligentissima conatus & insidias nequissimi hostis eludet. Passer enim cùm effugit retia aucupis, illuc non reuertetur vnquam: homo nuntium remittit in perpetuum locis periculosis, & animi commodo infestis. Passer nec punctum temporis immoratur, quin saluti suæ consulat: homo puncto temporis animum periculis omnibus liberat. Passer pennas effert in sublime: homo mentem & cogitationem ad omne salutis præsidium opportunè comparandum excitabit. Auis euolat longissimè, & in aera effert sese: homo ad cœlorum gloriam, ad Beatorum præmia animum eriget, & efferet sæpissim. Denique auis ab eo tempore non illius loci recordatur solùm, sed loca perscrutatur omnia, naturæ solùm instinctu ducta, in quibus possunt insidiæ sibi periculaque parari: homo operam omnem adhibebit ad laqueos omnes inimici omni loco, omnique tempore diligenter studioseque declinandos. Atque eò magis, quòd particeps est rationis, & humanitatis sensu præditus, & iis omnibus armis munitus, quibus nisi volens, nunquam in hostis teterrimi manus incidet. Quid quòd pluris habenda sit animi, quàm corporis salus & incolumitas? Agitur enim animi procul dubio salus, aguntur immortalia cœli bona, agitur felicitas, & dignitas nunquam amittenda, si in Dei immortalis gratia homo ex hac vitâ discesserit. Hanc diligentiam Vates diuinus adhibebat, qui sciens insidiarum dæmonis, optabat pennas sibi columbæ dari, quibus elatus in sublime, fugeret hominum celebritatem & concursum, & euolaret in solitudinem, vbi dies noctesq; diuinæ contemplationi vacaret, superas domus lustraret assidua cogitatione, gaudia repeteret & voluptates Beatorum solidas, liber ab aulæ regiæ negotiis, solutus curis omnibus, quas Regia sedes, & intoleranda imperiorum moles Regibus & Principibus afferre solet. Idem omnes adhibent studium & contentionem cultores regilionis absoluti, & numeris omnibus sanctitatis expleti, quos volare Isaias inquit nubium instar, & in superorum efferri palatia, vt ab his terræ sordibus animos abstrahant, flatu spiritus diuini ducantur, & animis euecti in cœlum ascendant, cœlestium ornamentorum splendore collucrant, & diuinam referant similitudinem, & imaginem clarissimam. Quæ Deus im-

mortalis iubeat & velit, quæ consulat, & optet scimus; vt homines animorum singulari propensione virtutem complectantur, & lacrymarum suarum multitudine veniam deprecentur scelerum, quæ obliti sui Creatoris in diuinam maiestatem suscipiunt: denique vt virtutum suarum exemplo, & actionum sanctitate maximarum vberes ac fœcundas reddant quascunque sedes & oras, in quibus principes perfectionis tam consummatæ vigeant, & inseruientes diuino semper numini cum mortalibus versantur. Ecce enim nubes quocunque flatus eas ventorum incitata celeritate propulerit, celeriter aduolabunt; si remissior & lenis fuerit, lenitatem & suauitatem flantis auræ sequentur: Christi milites nihil præter voluntatem Dei, præter mandata eius quærunt, nec agunt; nec vehementius, nec lenius commouentur. Nubes ad Dei voluntatem flante vento idoneo aquas in sola terrarum, ad terræ fœcunditatem, fertilitatemque mittunt: concionatores sanctissimi cœlestes aquas diuini Verbi, ad irrigandos & vberes fœcundosque reddendos mortalium animos, è publicis celebrioribusq; suggestis effundunt. Nubes volatu celeri velocique admodum aeris spatia longissima breuissimo temporis momento præteruolant: viri sanctitate præstantes, quæ loca non obeunt, quæ oppida, quas ciuitates non lustrant, quos gentium ac nationum disiunctissimarum fines vltimos non penetrant, vt ad diuini Numinis cultum religionemque expertes nostræ Fidei traducant? Nubes, quâ sæpe videntur formâ? quàm nitida & illustri? viri religionis celebritate clari, quo candore, quo gratiæ decore, quo splendore diuinorum ornamentorum insignes cernuntur? Nubes denique cùm radiis solis fulgentibus vestiuntur, & ex omni amiciuntur parte, quem auri splendorem claritate solis illustriorem, diffundunt ex omni parte? Viri virtutis præstantia celebrati, diuini Numinis gratia illustrati, sempiternæ iustitiæ solem, Deum ipsum immortalem, suæ sanctitatis splendore referunt, & ante mortalium oculos constituunt: quorum aspectu componere se homines ad virtutis studium, corrigere morbos deprauatos, & exemplo tantæ claritatis æterni Numinis sanctitatem in viris sanctissimis agnoscere, & modis omnibus imitari conantur.

* * *

Secunda

Secunda exercitatio ad similitudinem superioris, ex descriptione, & accommodatione per alteram descriptionem, cum dissimilibus & exemplis.

Erraui sicut ouis, quæ periit.

OVis vagatur & errat, ab ouili disiuncta segregataque suo, per nemora, per campos, per montes, per valles altissimas, per loca frondibus ac virgultis intercluſa, difficultatibus ac periculis pleniſſima, sui ipsius inscia, nescia gregis, nescia reliquarum ouium, & errans, & vagans huc illucque circumspectat, consistitque nonnunquam balans, si quam sui generis sociam, si pastorem prospiciat, & balatu plurimo se desertam ac solam in solitudine vasta queritur: lupus autem procul prospectam inuadit inhiante ore; discerpensque ac dilanians deuorat faucibus apertissimis. Quid igitur homo faciet, qui peccatum capitale committens, perfidiæ scelere contaminatus, à Domino Creatoreque suo defecit, qui vias iniquitatis & nequitiæ multos dies ambulauit, & tanquam ouis vagans & errans, faucibus mortis, inferorum tenebris iam pridem addictus, ab illo puncto temporis, quo à diuini Numinis maiestate turpiter ac nefariè desciuit, cruciatus & flammas inferorum commeruit in perpetuum? non periisse iam diu, non mortem obiisse teterrimam, non mirum videri debet illum in noctis sempiternæ sedes, luctus ac mœroris pleniſſimas, & flagrantes ardore flammarum æterno defectum vi non diu fuisse? in tantis præsertim dæmonis inimicitiis, in tanta sanguinis mortalium hauriendi cupiditate maxima, in ruina miserabili, in ærumnæ mortiferæ luctuoso calamitosoque casu. Quis ab ouili discesſit; homo à Creatore suo. Quis reliquit gregem sui generis; homo Deum; ad cuius similitudinem & imaginem creatus est. Quis in dumeta sentesque horrificos incidit; homo in foueas, & prærupta peccatorum præcipitia. Quis sine pastore, sine custode, luporum ori ac faucibus præda derelicta est; homo Christi Iesu gratia destitutus, dæmonis execrandæ crudelitati expositus. Quis ore ac dentibus lupi discerpta, periit miserabiliter; homo rabie hostis crudelissimi, principis

inferorum excarnificatus, quas plagas, quæ vulnera letalia sæpissimè in animo accepit? Quis per syluas, per montes vagans & errans, balare non desinit, si pastoris sibilum audit, quo reuocetur; & in gregem amissum retrahatur: homo quid aliud debet facere, nisi gemere, nisi lamentari, nisi collacrymare dies noctesque, nisi deplorare calamitatem suam, execrari perfidiam, detestari scelus, lugere ruinam ex tam alto cœlestis gratiæ gradu per scelus & nequitiam amissæ, constanter policeri promittereque diuino Numini mores alios, & aliam in posterum vitæ rationem; denique non modò libenter & vltro fateri delicta sua, verùm etiam precari veniam, & boni pastoris Christi Iesu de cruce pendentis, & peccatorem in suam amicitiam reuocare cupientis, & in vulnus lateris sanctissimi patens & apertum accersentis, sibilum expectare: vt ignoscat, ignoscat, inquam, & in amicitiam suam lugentem ac deplorantem flagitia sceleraque commissa recipiat. Sic bonus ille paterfamilias filium perditum ac profligatum, post exhaustum patrimonium, post dissipatam hæreditatem suam, & in turpes & in nefarias libidines effusam, & libidinum ac turpissimarum voluptatum pœnitentem, & in patrios redeuntem lares, ac patris opem & misericordiam deposcentem, sordidatum & squalentem non excepit solùm, & recepit in amicitiam suam, sed obuiam eidem prodiens, & amplexus & osculatus, veste candida pellucentique induit; & conuiuium concelebrauit magnificentissimum, tota familiâ gestiente gaudiis omnibus ac lætitiis, atque adeò musicæ concentu suauitateque iucundissimâ totâ domo personante. Sic bonus pastor, mitis & mansuetus Iesus, vagas & errantes oues singulis momentis ad peccatorum veniam, & ad reditum in suam gratiam inuitat. Qui quâ est infinitâ mansuetudine, quâ misericordiæ magnitudine præditus, non vult peccatoris pestem & interitum vltimum; sed vt ad se redeat, & veniam peccatorum efflagitet. Id latro bonus palàm ostendit, qui quamuis nefarius, & infamis, & humani sanguinis effusi crudelitate percitus, tamen veniam petens, vna duntaxat regni cœlestis mentione facta, vna obsecratione supplici, vt sui ipsius meminisse vellet Christus Iesus, cùm regni cœlestis solium celsissimum ascendisset, non modò veniam consequutus est, sed illo die ex ore Christi Iesu audiuit, cœlestis aulæ regnum immortale consequuturum esse, & quidem sine dubitatione. Quod eò magis sperare debet homo,

mo, quibuscunque peccatis & sceleribus inquinatus, quo pastoris nomine magis dignus est Christus Iesus, qui in montis Calua riæ verticem ac summa iuga conscendit, vt sparsas, & dissipatas; vagas, & errantes oues ab ouili suo, compellaret sibilo suæ benignitatis, & vt ex ore ac faucibus Leonis rugientis, & animorum perniciem sitientis, eriperet post tot iniurias, post virgas, post spineam coronam, post crucem suis humeris comportatam, spiritum extremum exhalauit in ligno crucis sanctissimæ pendens, inter duos interiectus latrones.

Tertium exemplum ex eadem ratione amplificandi.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

CVm quis negotij conficiundi causa locum aliquem petiturus est, non modò festinatione summâ properando accelerandoque magnis itineribus diurnis, & aliquando nocturnis contendere consueuit; sed mutatis ad celeritatem equis, currendo quanta velocitate potest, & tantos faciendo processus, vt non currere, sed auolare videatur. Sic equidem, viri omni sanctitate cumulati cunctorum vitæ suæ dierum viam ita pergunt, nec consistendo minimum, neque à contento semel cursu, semper regia non solum & directa mandatorum Dei immortalis, sed Christi Iesu consiliorum semitis angustissimis; vt superatis difficultatibus, fractis & compressis carnis perturbationibus, alacres & erecti, assiduo constantique cursu progressiones maximas faciant. Tantus autem cursus est illis in itinere perfectionis absolutæ, sic euolant & feruntur in cœlum, vt ab humanis abstracti, cursus in cælestem aulam dirigentes, admirabili celeritate currant. Dant operam homines, vt iter arripiant cum celeritate: viri optimi summa etiam velocitate contendent. Illi currunt, vt eò, quò contendunt, celerius perueniant: hi cursus maximos suscipiunt, vt in perfectionis viam velocius progrediantur. Illi sic currunt, vt si opus fuerit, per depositos equos properent, & accelerent: hi sic cursus currunt velocissimos, vt singulis momentis, accuratis, & ex Christi Iesu disciplinâ, ad cursus virtutis incitandos susceptis optimarum actionum exerci-

tationibus vtantur. Illi sic currunt, vt auolare videantur, cursu maiore multa velocitate facto: hi eò vsque volant, & tam altè, vt altius euolare non possint, pennis diuini Spiritus in cœlum sublati, & cum Beatorum agminibus nunquam non cogitatione versantes. Is erat profectò Dauid qui, quanquam regni negotiis grauissimis distentus, in medio concursu conflictuque suarum occupationum, nunquam immortalis Dei cogitationem ex animo deponebat, media autem nocte surgebat, & somnum intermittens, diuinæ Maiestati laudes summa cum religione tribuebat. Tanti autem habebat præcepta diuini Numinis, & illius placita sanctissima, vt auro gemmisque pretiosissimis præponeret. Ab illo verò tempore cum B. Ermenegildus Læandri salutaribus monitis & adhortationibus ab hæreseos paternæ prauitate traductus fuit ad nostram Religionem, quanta cum alacritate verum Religionis iter suscepit? in retinenda Religione non minus enixus fuit, quàm in vita conseruanda elaborare & eniti solent homines vitæ cupidissimi, ac multo quidem vehementius, tanâ veritatis luce perspectâ, tot ac tantis Beatorum præmijs cognitis. An ille quidquam amplius facere potuit, cùm in medias acies pro Christianâ Religione seipsum coniecit? cùm filium Principem & hæredem regnorum, cùm Ingundim vxorem charissimam, splendidissimamque fœminam, Regum Galliæ stirpe procreatam, obsides Ducibus Italorum dedit? cum se passus est in custodiam conici, in carcerem angustum & caliginosum detrudi, vinculis omnibus acerrimis, & pondere premi catenarum grauissimo? cum denique iugulum crudelissimi carnificis offerre securi non dubitauit, regno, vitaque, quæ duo generi mortalium charissima sunt, spretâ, magnanimiterque contemptâ. Quid ille Sanctissimus, Beatissimusque Galliarum Rex Ludouicus fecit, fidei Christianæ cultor eximius? quantâ fuit integritate & innocentiâ, qui nulla per omnem vitæ suæ cursum mortiferi criminis labe suum animum infecit? quam Religionis studiosus extitit, qui colere, tuerique fidem sic studuit, vt ætate sua felicissima Galli diuinum cultum mirè propagatum amplificatumque viderint? qua demissione? qua abstinentia? qua pietate? qua denique patientia fuit, & charitate singulari? qui inediam corporis multos dies ferebat omni vitæ decursu, non solum solennibus matris Ecclesiæ ieiunijs contentus: cum ipse Xenodochia, quamuis in regia dignitate collocatus, obiret; & iacentes in lectis pauperes ægrotantes inuisere, consolari,

solari, omni humanitate complecti soleret? cum Assertoris Iesu Christi exemplo succensus, abiecto ornatu regio atque cultu, maiestate augustissima celsissimaque venerando, regali solio & insignibus regijs relictis, suæ celsitatis altissimæ prorsus obiitus, ad pauperum pedes abiecerit sese, & eos regijs manibus attrectauerit, & abluerit, atque adeò summa demissione fuerit & oculis collacrymantibus osculatus? cum denique propagandæ Religionis cupiditate flagrans, exercitus omni copiarum genere abundantes, rebus omnibus ornatos & instructos, in hostes fidei Christianæ teterrimos eduxerit; cumque in illorum oculis & ore castra posuisset, & prælium committere, signa acriter & vehementer conferre vellet, in ipsa prælij ineundi cogitatione, graui pestilentia de medio sublatus excesserit? Sed Reges omittamus alios, omittamus exempla nostræ Religionis Heroum, & Regis celsissimi cursum è cœlorum sedibus in hæc infima terrarum sola, instar Gigantis fortissimi valentissimique, contemplemur è cœlo in Virginis vterum, ex Mariæ visceribus in præsepe, è præsepi in Ægyptum, ex his & alijs terrarum & prouinciarum locis pro generis humani salute peragratis, in crucem, cursum quanta cum celeritate cucurrisse videbimus? Hæc equidem exempla sanctissima & nos magis incendere debent, & ad virtutis iter magis inflammare, quanto magis in clarioribus & cum dignitate florentibus viris, & in ipso Sanctitatis & Religionis auctore Christo Iesu eminere, & elucere cernimus. An verò patiemur homines huiusce sæculi pro rebus fluxis ac perituris, pro mercatura exercenda, pro quæstu faciendo non adeò sæpe magno, tot itinera facere, tam longa, tam difficilia, tam multis periculis expósita; maria transmittere plurima, & aliquando minimè ad nauigandum idonea tempestate: pro gloria Beatorum, pro regno immortalitatis obtinendo, tantopere otio ac desidia langueſcere, tanquam tardas pecudes, & ventri semper obedientes? sic in his facultatibus sæculi comparandis, tantam homines diligentiam adhibebunt, & ijdem in cœlorum diuitijs desides ac negligentes erunt? gloriam huiusce sæculi ardentibus animis sitient? gloriam cælestis aulæ non omni studio comparandam curabunt? honores eiusdem sæculi tanto cum animorum periculo contendent? nulla contentione corporis nec animi ad Beatorum dignitates aspirabunt? Quod humanum, quod caducum est, terra marique quæretur? quod

cæleſte, quod æternum eſt, repudiabitur, abiicieturque? Denique ad fæcem, & ſordes tam alacres & læti feremur; ad decus, & ad gloriam cæleſtem ſic erimus abiecti, iacebimusque proſtrati more rituque rationis expertium, & Chriſtiana Religione carentium? Quæ eſt iſta tanta mortalium deſidia? qui languor? quæ tanta ſuorum animorum obliuio? Decurrebant viri ſanctiſſimi virtutis curſum tanta cum alacritate, quòd præſidijs maximis muniti, quòd omnibus diuinis adiumentis excitati, ſtare quidem, neque ſedere potuiſſent otioſi: ardebant illi flagrantibus accenſi amoris æterni facibus, ſubſidijs cæleſtibus, tanquam calcaribus & ſtimulis admotis, progreſſiones faciebant mirabiles: vt Aquilæ regiæ & excelſæ ſublimi admodum volatu ex hominum oculis abducebant ſeſe; homines verò negotijs huiuſce ſæculi, curis, & occupationibus diſtenti, occaſionibus plurimis, & foueis, in quas paſſim incidunt, hac imbecillitate carnis, atque adeò tot hoſtium immaniſſimorum multitudine deprimuntur in profundum. O cæcam hominum amentiam! O furorem & inſaniam intolerandam! Quaſi illi viri, tanta ſanctitate cumulati, natura veſtra, veſtra hominum conditione non fuerint, & rebus omnibus, quibus vos implicati veſtros animos miſerrimè dicitis, non illi bellum fecerint grauiſſimum & aſſiduum? Vos etiamſi idem feciſſetis, non de tot ac tantis inimicis capitalibus prædas maximas facturos eſſe ſperaretis? Idem, idem inquam, Deus eſt præpotens, & inuictiſſimus, qui profectò, ſi vos compararetis veſtros animos ad ſuorum munerum largitatem, eoſdem cumulatè ſatis magnificèque locupletaſſet: & quod Dauid de ſeipſo, vos de vobis omnibus lætè nimis ac iucundè prædicaretis. Cucurriſſe igitur ſe, dicit Dauid, viam mandatorum diuinorum incredibili concitataque celeritate: quando precor? cùm Deus Optimus Maximus animum illius conſolabatur, cùm ſuauitate iucunditateque ſua demulcebat, cùm afficiebat muneribus ac donis cæleſtibus, cum ſic reficiebat & recreabat abundantia diuinæ gratiæ, ſic incitabat & inflammabat facibus amoris æterni flagrantibus, cum ſic donis dona, munera muneribus cumulabat, & augebat, vt alacritate mirabili non iter, ſed curſus inaudita celeritate, gaudijs omnibus ac lætitijs exultans ac triumphans, facere videretur: Vſque eò, vt nullis neque moleſtijs, neque angoribus, nullis caſibus neque ærumnis, nullis temporum procellis, neque fortunæ viciſſitudine deficeret,

ceret, neque frangeretur, neque debilitaretur animo. Amabo non eorum omnium bonorum participes fieri vos poteritis? non abundare omnibus his copijs & opibus Sanctorum? non sic affluere redundareque tanta multitudine magnitudineque voluptatum, iucunditatumque veriſsimarum, ſi eſſetis illi vos omnes, qui debetis eſſe? ſi Deo immortali egregiè fideles? ſi crebrò per Confeſsionem animos elueretis? ſi ſacro vos cæleſtique pane octauo quoque die reficeretis? ſi ſeruandæ legis diuinæ tanta vobis cura fuiſſet & ſtudium, vt non modo capitale peccatum odio habuiſſetis maximo, ſed leuiorum culpam quamcumque? Si nihil niſi ex voluntate Diuini numinis appeteretis, ſi meditationi, ſi contemplationi rerum diuinarum tempus impertientes, veſtras ad Domini voluntatem, & Sanctorum facta præclariſsima, veſtras inquam actiones conformaretis; quod Dauid ſanctiſsimus, id vos ſine dubitatione conſequeremini.

DISSIMILIVM EXERCITATIO
TRACTATVR EISDEM MODIS, quibus Similium vſus.

Amplificationes Diſsimilium ex Cicerone petitæ. Primum genus, ex comentione Diſsimilium ad vituperationem & laudem.

HIc fuit humili genere natus, ille claris ortus parentibus: ille inops & egens rerum, hic locuples & copioſus: ille obſcurus & humilis, hic clarus & illuſtris: ille nullo nomine, nullis litteris, hic celebritate famæ, conſpicuus, omnibus litteris atque ſtudijs inſtructus: ille deformitate oris, & corporis prauitate, hic dignitate oris, & omnibus corporis lineamentis politus & ornatus: ille horridus & incultus, barbarus & agreſtis, hic omni cultu & humanitate politiſsimus, ad ſpeciem & elegantiam aulicorum. Denique cum ille ſordidus, hic honeſtus: ille flagitijs omnibus

contaminatus, hic omnibus virtutum donis ac muneribus instructus. Vt si hominem deterrimum quisquam fictis, conquisitisque vitijs deformatum vellet inducere, si idem virum maximis, & clarissimis virtutibus præditum, in illo turpitudinis, in hoc virtutis exemplum apparet.

Secundum genus, cùm paria paribus referuntur, ad vituperationem.

EX hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc libido: hinc diligentia, illinc desidia: hinc pietas, illinc impietas: hinc Religio, illinc hæresis: hinc Fides, illinc fraudes: hinc temperantia, illinc ebrietas. Denique demissio, liberalitas, patientia, virtutes omnes certant, cum arrogantia, auaritia, iracundia, cum vitijs omnibus: postremo bona mens cum deprauato iudicio, prudentia cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac prælio nonne, etiam si hominum studia deficerent, Deus ipse immortalis coget à præclarissimis virtutibus tot à tanta vitia, à bonâ & Christianâ causâ prauam ac perditam superari?

Tertium genus, cùm crebra crebris opponuntur, ad laudem.

ATque ego sic existimo, in hac contentione, in hoc appetendæ cathedræ certamine, Academiæ potius, quàm mei ipsius; scholasticorum, quàm nostræ vtilitatis; honoris publici, quàm priuati; officij debiti, quam patriæ; iustitiæ, quàm vllius offensionis à me verba esse facienda.

Quartum genus, ad conciliandum ex numerosâ Dissimilium circumscriptione cum Enthymematis.

SEd pro Religionis Christianæ dignitate atque gloriâ, quoniam bellum contra Anglos susceptum est, videte quem Hispanis animum retinendum putetis. Carolus Imperator sæpe exteris gentibus obsidione pressis, occurrendum non dubitauit: nos tot incommodis & damnis acceptis, quo tandem animo

animo esse debemus? Barbarossa, quod longè ab Hispanis prædabatur, tunc Carolus Imperator totius Africæ propugnaculũ, quoad cepit, oppugnare vehementissimè non destitit: vos Draquen prædonem inultum esse relinquetis? qui multas equidem Hispanorum insulas, & vrbem Lusitaniæ, florentissimam Vlyssipponem tentauit inuadere? Carolus externas gentes, & nihil ad regnum nostrum spectantes, ab hostibus obsessas & oppressas obsidiones periculo liberauit: vos vestras fortunas, merces & classes negligetis? prædas procul ab Hispaniæ sedibus factas bello Carolus Imperator persequutus fuit: vos tot insularum, & vrbis maximæ obsidionem, & impetum audacissimum inultum relinquetis? Videte ne, vt Carolo pulcherrimum fuit tantam nobis rei bellicæ gloriam reliquisse: sic nobis turpissimum sit, quod à tanto Imperatore propositum fuerit Hispanicnsis gloriæ defendendæ exemplum minimè petijsse.

Quintum genus, ad reprehensionem.

IAm hoc prope iniquissimè comparatum est: quòd in corpore ornando, vt quisque est locupletissimus, ita vestes sumptuosæ pretiosæque nimium quæruntur: in animi cultu, vt quisque potentissimus est, ita negligentissimus, sordidissimusque videtur. Nisi fortè hæc causa est, quòd corporis ornandi multum periculi est, animi verò summum & maximum discrimen, scilicet homo corpus vestitu contrahit, demittit spiritum, nulla intumescit arrogantia, non obest animo, multò paratior est ad obtemperandum.

Sextum genus, ex Dissimilibus duntaxat, cum gemina repetitione ad iracundiæ affectus.

ARma defert Vlysses, qui eloquentiâ præcipuè florebat: adimuntur Aiaci, qui fortitudinis laudem ex contentione deportauit. Arma defert Vlysses, qui Aiace Telamonio fortitudine fuerat inferior: adimuntur Aiaci, qui secundus fuerat ab Achille Græcorum fortissimo. Arma defert Vlysses, qui non modò maiorem in bello gloriam non comparauerat, sed neque æqualem: adimuntur Aiaci, sine quo Græci sæpe superati fuissent. Arma defert Vlysses, qui consilium attulit in castra Græcorum: adimuntur Aiaci, qui res præclaras gesserat, & strages maximas ediderat inimicorum,

Aim

Arma defert Vlysses qui propter eloquentiam legationes obierat, & dicendo vtilitates aliquas præbuerat: adimuntur Aiaci, qui propter fortitudinem dux inuictissimus pugnis & prælijs acerrimis vires fregerat atque contuderat Troianorum. Denique arma defert Vlysses, qui neque gladio, neq; armis vnquam vsurus esset in hostes: adimuntur Aiaci, qui si ea detulisset, superstes in Græciam reuersus, hostilia æternaque bella confecisset omnino.

Septimum genus, ad debacchandum, enumeratione, naturâ, legibus, officijs hominis.

TE nunc, nobilis Antoni, te, inquam, lectissimum & ornatissimum adolescentem appello, abs te officium tuum debitum generi & virtuti requiro & efflagito. Cur in Sebastianum, qui laudem honoremque familiæ vestræ detrahere conatus est, non inueheris? cur genus tuum defendendum non arbitraris? cur alij illius partes suscipiunt? cur onus tuum sustinent? cùm leges sæculi iubeant, vt partes generis ita sui quisque defendat, vt illud nec minima quidem iniuria affici permittat? In istum non vlsciscéris? qui violauit magnâ ex parte nobilitatem generis Gusmaniorum, & tot probris & contumelijs parentem tuum affecit? Quisnam igitur, per Deum immortalem, tuebitur patris tui memoriam mortui? quis laudem atque decus conseruabit virtutis, si tu eam relinquis atque deseris? neque solum spoliatam honore suo patiere, sed etiam spoliatorem auctoremque inultum relinquens? adsunt homines serui tui, parentis semper egregiè fideles administri, certiorem te faciunt, nobilem Diegum parentem, maximis rebus gestis nobilitatem maiorum suorum conseruasse, atque apud cæteras nationes & inimicas Hispaniarum, memoriam sui nominis reliquisse, hanc aduersarium tuum familiam multis nomini suo contumelijs, & iniurijs impositis delendam extinguendamque curauisse. Orant te atque obsecrant, vt parenti tuo honorem, generi tuo laudem gloriamque restituas, vt quam claritatem parentum tuorum maiores amplificauerunt, eam ab inimicis tuis violatam, per te redditam ac restitutam videant. Quid aut his respondere honestè potes, aut illis facere, vt à te officium ac pietatem patri debitã implorent? adsunt & implorant, potes tuis oribus paternæ laudis amplitudinẽ Antoni tueri, potes præsidio

tuorum

tuorum plurimo, potes robore ac virtute, potes alijs multis rationibus. Omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur: non præripio fructus officij tui, non alienam laudem alijs appetendam defero. Non est pudoris fratris tui, minoris natu, nobili Antonio, natu maximo, florentissimo adolescente, viuo & incolumi, se præcipuum propugnatorem patris dedecorati vltoremque profiteri; si suscipiunt paternæ laudis patrocinium, fratrem adiutorem non solùm adesse paternæ defensioni oportebit, sed etiam omnes prædicare conciues, nobilis Antonij eiusmodi esse virtutem, vt patris honos, ab eo, qui tenet mortui locum, filio maiore natu defendatur. Sin aliquid te impediet, sin hoc, quod abs te postulo, minus ad pietatem filij pertinere arbitrabere, non frater minor solùm, sed etiam aliquis Patri amicus succedet vicarius tuo muneri, suscipiet partes, quas tuas esse videbat: ne cineres patris tui, ne tanta virtus conqueratur, patriam suam hominibus de Republicâ bene meritis, & defensoribus acerrimis ingratè non adfuisse, illorumque honorem sui similibus defendendum minimè demandasse. Fuerit apud alios fortitudo decorata Ducum, ornati fuerint Imperatores momimentis & triumphis glorioſis, in æternâ fuerint gloriâ defensores Rerumpub. (neque enim hominibus de suâ familiâ solùm, sed vniuersæ ciuitati commendati videbantur) & non erit pro patre tuo aliqua conciuis pars virilis eius ciuitatis, quam pater tuus sua gloria claram illustremque reliquit? præcipuè quòd in his artibus boni ciues pro sua parte simul vna versantur, custodia, defensione ciuitatis, odio improborum: quæ cognatio studiorum, & artium propemodum non minus est coniuncta, quàm ista, qua cognati delectantur generis & nominis. Repeto abs te Sebastiane nomen nobilis Diegi: repeto gloriam & virtutem istius inuicti Ducis: honos eidem restituatur per vos principes virtutis, clarissimosque viros, patriæ Reique publicæ studioſos. Hæc abs te non sanguine coniuncti, non nobilis Antonius, non inquam nobilis Antonius, filius illius maximus natu postulat, sed qui laudem gloriamque defensorum patriæ tuendam conseruandamque susceperunt. Non vereor ne hoc officium meum Antonio non probem, qui cùm res maximas gesserit, monimentaque suarum rerum maximè conseruare velit, atque in hoc elaboret, profectò volet, hæc non solùm suis posteris, verùm etiam omnibus viris fortibus, & bonis ciuibus defendenda nobis Diegi ornamenta

menta non eripienda improbis tradere. Non vereor hic Antoni, ne iudicium hoc tibi displiceat, cuius amplissimum in hac potentissimâ ciuitate clarissimumque trophæum est, quàm plurimos detractores alienæ laudis & virtutis maximè inimicos constantiam & virtutem tuam exhorruisse. Et quidem amissione bonorum ita moueor, vt ea repetenda non censerem; in honoris verò iacturâ, in spoliatione ornamentorum, in communi laude & gloria violata, sic boni viri affici solent, vt nihil sibi indignius ferendum videatur. Sebastianus ignauus ac timidus, fortitudinem nobilis Diegi, tam plenam animi, plenam virium, plenam trophæorum verbis imminuet? Sebastianus infirmus & imbecillis nobilis Diegi res præclarè gestas, militibus, commeatui, locorum opportunitati, socijs atque comitibus attribuet? sed quas vlterius maculas nomini inustas acceperim, pudet me dicere: nec iam præ iracundia loqui possum. Non peto, vt vlciscaris, deferendo Sebastianum in iudicium; nolo in singulare certamen prouoces; nolo percutias, occidas, quidquam mali inferas; sed vt pro patria respondeas, quis ille fuerit, qualis ac quantus ostendas, denique, vti planè loquar, mendacij coarguas Sebastianum, & indictum quamuis non possit esse, quod dixerit, illum tamen fac pœnituisse verborum, quæ fecerit. Intueantur omnes, & dicere noluisse, dixisseque iracundia elatum omnes intelligant, & si fieri possit, quod salua conscientia fiat, ex illius ore conciues audiant.

Octauum genus ex Dissimili, cum frequentatione Dissimilium, per interrogationem vrgentem, & præoccupationem cum Ironiâ ad Dissimilitudinem ostendendam.

VIde inter ingenium tuum, & indolem Ioannis quantum intersit. Ioannes, cùm temporibus vacationum, vt in patriam discedat, vt menses duos cum parentibus sit, parentum litteris euocetur, vt quod prælegendi tempus intermittitur, id vigilijs & laboribus compenset, orat multum & obsecrat, liceat sibi per illos in vrbe, vbi est Academia, manere, ne saltem à libris abstrahatur: tu cùm vetinijsse vides, cogitas de Aprili Martium consequente, vt in illius exitum, quod tempus est curriculo præstitum, non expectatis vacationibus,

bus, in patriam proficiscaris, & magnum te feciſſe facinus arbitraris, ſi Aprilem exeuntem expectaueris, cum multo ante abieris, quàm quiſquam de Academia, quàm qui proximi ſunt patrijs ſedibus, quàm qui iuſtum ac legitimum curriculi tempus expectant, quòd inopia rei familiaris, amplius dies aliquot commorari non poſſunt. An tibi curriculi, an progreſſionum ratio habenda fuit, reliqui temporis prælectiones, aſſiduitas & frequentatio negligenda fuit? cùm ita conſtitutam Academiam videas, vt ſcholaſtici non minus prælectiones frequentent, nec minimum etiam præceptores de contentione prælegendi remiſerint, tu profectus es in patriam? Manſit in Academia Ioannes, nec ſolùm æſtatem in vacationis vſque tempus, ſed totos quadraginta dies, qui dantur vacationum, & tu ſtudioſior, quam Ioannes? tu progreſſionum & ſcientiæ cupidior? tu magis profectus in eadem facultate? tibi lacerdotia deferuntur abſolutis ſtudijs? Ioannes priuatos intra parietes delitescet ſemper, maximos tu honores conſequeris? te depoſcent, & efflagitabant cœtus Eccleſiarum, nominis ac famæ celebritate commoti; Ioannis nulla mentio fiet, iacentis in obſcuro ſemper tenebrarum loco? Quæro ſi ipſe excogitare velis, quemadmodum minimum proficeres, an diſceſſum iſtum & abitum in patriam tam immaturum, tam alienum amorem relinquentium Academias, cogitaſſes? Ille quidem tum ſe ſcholiaſticum minimè fore putauit, ſi ſententiam ſuam vlla in re, & in hac præſertim profectione mutaſſet, qui ab Academia, quod nemo bonus, niſi neceſſitate coactus, niſi aduerſa valetudine compulſus, poſt conditas Academias fecit, diſceſſiſſet. Quin & negligentes, & parum de ſua vtilitate cogitantes, ſimulant cauſam aliquam, propter quam proficiſcantur, atque adeo affingunt, propter quam proficiſci videantur, ne cupiditate patrij ſoli, & parentum viſendorum abijſſe videantur tot diebus antè: Quin hoc fere omnes conſilio veniunt in Academiam, hac offirmata mente, non vnquam vt in patriam reuertantur, niſi quinquennio Iuriſperitiæ confecto: Et tu te comparas ad Ioannem, qui idem fecit, qui quinquennium & eo amplius manſit, qui procul dubio, ſi veniam hanc dediſſent parentes, & tempus relegendi in Academia poſuiſſet. Scilicet inter parentum blanditias, inter fratrum colloquia, inter amicorum ſermones, inter viarum & vicorum omnium luſtrationes, diſcuntur bonæ litteræ, non in Academijs, non in Gymnaſijs, non cum Doctoribus & Magi-

Magistri huiusce facultatis, non vigilijs, non laboribus susceptis. Sic mihi videntur affecti scholastici illi, qui ab Academijs discedunt, & à frequentatione prælectionum, vt eæ terræ solent, quæ cultæ dies aliquot, cùm virere nitereque cœpissent, subita calamitate vastatæ fuerunt, antequam fructus videre potuissemus: qui verò se literis abdiderunt, nullo intermisso impetu contentioneque studiorum, vt agricolæ, qui in segetibus maturum, qui in areis tritum, qui in horreis asportatum frumentum & conditum viderunt: vide igitur, si iniquè facis, dum te cum Ioanne comparas.

Nonum genus Dissimilium, ex Præmunitione, cum Enumeratione, descriptione de Academia, post catarrhum.

NOn profecto mali augendi causa dicam, lector optime, sed quem accepi ipse oculis animoque sensum, hunc verè apud vos, &, vt potero, planissimè exponam: nam cùm mense vno post in vrbem rediissem, sic mihi affecta visa fuerunt studia, ac ciuitates solent, in quibus grauis ac vehemens fuerit pestilentia: quas classes, officinasque literarias cùm florentissimas frequentissimasque vidissem, has ita derelictas nunc ac desertas videbam, vt Gymnasia ipsa, præceptores ipsos desiderare ac lugere viderentur. Prima classis, secunda, tertia, atque quarta Humanitatis ita relictæ erant ex magna parte, vt non solùm nobilium scholasticorum, sed etiam mediocrium & infimorum multitudinem quæreremus. Rhetoricæ verò Gymnasium, quod solebat esse completum, & quod princeps est, Lycæum sacræ Theologiæ, cuius antea species hæc erat, vt cùm aliarum subsellia vacassent, huius semper completa viderentur, sic erat deforme atque horridum, vt in infinita Auditorum multitudine numerum perexigium quæreremus: labefactarat enim vehementer classes caritas superioris anni, & inopia rei frumentariæ, morbi catarrhi funditus euerterant. Et ego hisce meis oculis videre classes, & obire Gymnasia potero, tam longè alia, atque antea fuerunt? Ego in tanta orbitate, in tanto & tam acerbo casu, cùm in scholasticorum numero, & in præceptorum bonitate studia consistant, euersis funditus scholis, relictis Gymnasijs, orbatis præceptoribus suggestis, cum in Academia tam florente, tam referta,

referta, non modò formam Academiæ, sed neque spem quidem vllam pristini status reliquam catarrhus fecisse videatur, aliquod simulachrum studiorum putabo videre, cum videam tacere bonas litteras, silere præceptores, ipsas scientias squalere? omnia denique in luctu & in sordibus esse?

Decimum genus ab historia, cum Dissimilibus.

TArpeiam accepimus ex Romanorum Annalibus ea cupiditate, vt cùm vidisset armillas in Gallorum sinistris, vt historiæ narrant, ex auro pretiosissimo, pulchritudine & æstimatione armillarum incensa, arcem, cui pater præfectus erat, proderet inimicis: sim lis est auarorum cupiditas: hoc etiam acrior, atque insanior, quòd illa cupiebat, id quod viderat, neque se loco commouebat, nec putabat non promissa hostes præstituros esse, & tamen nunquam id illos facturos esse, in mentem venit, vt pro arce prodita, vitam adimerent: Auarorum libidines non solum oculis, sed etiam auribus exc tantur, atque conquirere pecunias terrâ marique non desinunt, & in hoc studio & solicitudine congerendarum opum non solùm vitam, sed gratiam diuini numinis effundunt: nec etiam parente solùm, sed etiam Deum immortalem amittunt. Reclamitat ipsa conscientia propter argẽti & auri cupiditatem inimicus fieri diuinæ Maiestatis, & à patria cælesti extorres fieri, strepitus in animo terrificos cieri, pulsari præcordia vehementer, & accusari palam insaniam ab immortali Deo, item ab Angelo custode, neque videre, quid ageret de animo, quò progrederetur, rem sordidam esse atq; turpem, insanire homines, perire animum auaritia, nisi cauisset. Quid humana, cum diuinis; quid terrestria, cum cælestibus; quid fluxa ac citò peritura, cum æternis & immortalibus diuitijs; quid postremò caduca, sordida & abiecta cum veris ac solidis, splendidis & amplissimis haberent honoris & dignitatis? Illi referti pecunijs, & amplius se referciendi cupidissimi, non audire pulsus voceſque conscientiæ videbantur: tantum iam cupiditate prouecti, vt nihil esset, quo furor auarorum vel paululum timore reprimeretur.

Vndecimum genus in Epicureos ex dissimilibus & effectis, cum præoccupatione antecedenti.

ODistis, Epicurei, Stoicorum vobis aduersantium scholas, irridetis eorum præcepta, contemnitis frugalitatem, voluptates corporis appetitis, & has vestris in scholis extollitis, temperantiam & castitatem depressam extinctamque cupitis, corpus & ventrem adamatis: ita credo profecto, quòd nisi corpori consulatis, vitam ipsam amittetis, quam seruandam custodiendamque leges & iura diuina atque humana proclamant. At nihil saluti mortalium magis aduersarium, & infestum potest esse, quàm ventris ingluuies? quàm corporis voluptates? Si cui homini vestra domus patet, libidinosis, & heluonibus, atque compotoribus præcipuè: hunc ianitores, hunc cubicularij norunt, hunc famuli, hunc serui, domesticique omnes alloquuntur: hic cùm venit, extra ordinem excipitur, hic solus introducitur, cæteri sæpe frugalissimi homines excluduntur. Ex quo intelligi potest, eos vobis esse charissimos, qui ita vixerunt, vt Veneri Bacchoque indulgeant. Quid? hoc cuiquam prudenti, honestoque laudandum putatis esse, vos ita viuere in intemperantiâ vestrâ, vt prorsus nihil retinere velitis, vt valetudinem, vt dignitatem hominis, vitæque ipsius curriculum, atque cœlorum immortalitatem vestra nihil interfit curare, ventremque ipsum, cibis omnibus vndique congestis, intemperanter redundantem, tetram popinam exhalare, ipsius Bacchi mensis cubicula vestra, mensasque poculis & escis extrui: præsertim cùm vos temperare vosipsos, & modum tenere oportuisset? Cogitare debuisse tis ventrem atque libidinem (quæ duo portenta vestris in ædibus regnent) monstra esse spurcissima, quæ castitati temperantiæque bellum indicant, vt plura corporibus & animis vestris, quàm inimicus alius capitalis, quam vos ipsi damna feciſſe videamini: plures strages, quam ipsa pestilentia, manibus vestris plusquàm homicidas sanguinarios edidisse: & ipsi libidinosi erunt ob hanc causam vobis cariores, vt vos auidissimè vestram ad libidinem vestris cupiditatibus inseruiatis?

Duodecimum ex differentibus, cum Repugnantibus.

VErùm alia ratio tum Ioannis fuit, alia nunc Antoni tua est. Ille, cùm à præceptore premeretur, quodcunque diceret, honestius diceret, si quod arguebatur feciſſe fateretur: te

verò

verò illud idem, quod tum reprehensum, & vituperatum est, respondisse non demiror; qui enim credibile erat futurum, ne os & vultum iratum ei Antonius ostenderet, qui læsisset fratrem, & quod ille maximè querebatur, & inimici explodebant, & ejiciebant, iniuria quidem.

Decimum tertium genus ex dißimili per interrogationem.

QVis dum diceret, hunc mentem mutaturum esse? quis nunc audet negare? quis tunc posset arguere sub Ildefonso aliquem tentatum fuisse ad maleficium? quis hoc tempore inficiari potest? cui tunc licere nominare Ildefonsum reum factum esse, tum denique, cum aliquot condiscipulos abstraxisset ab audiendis prælectionibus, & infamem in domum pertraxisset, decipiens fallensque quasi honestam in partem aliquam, & quo boni conuenissent aliquando? mutatum iam esse Ildefonsum, & in alium conuersum adolescentem, & in aperta, quod olim dixisset nemo, perditum prorsus infamia versari.

Decimum quartum genus ad consequutionem spectans, gradatim ascendens similium & dißimilium & pugnantium conflictione, in petitione Cathedræ: schemata sunt, Interrogatio, Repetitio, Antithesis, & Incrementum.

SIn repulsam patiar, & quod candidati metuere solent, nobis eueniat, vt nulla suffragatoribus merita nostra videantur, quid agendum est? qui locus adeundus? cuius auxilium implorandum est? quæ denique querela, qui mœror dignus inueniri calamitate tantâ potest? miserum est non obtinere cathedram, miserius litterarum: acerbum est ab aliquo superari, acerbius ab inferiore & humiliore: calamitosum præmijs excludi litterarijs, calamitosius cum magna litterarum cognitione: ærumnosum debitos honores non adipisci, ærumnosius post tot labores & vigilias: indignum matri Academiæ glorioſum alumnum adimi, indignius ab ijs, qui veri sunt tantæ parentis alumni, filijque præstantes nuncupantur: luctuosum hominem inopem, & nihil bonorum habentem ad se alendum, luctuosius & inopem, & nobilem, & litteratum, & suo suorumque fratrum in litterarum curriculo consumpto patrimonio horribili, meritis suis in adipiscendæ cathedræ spem erectum; luctuosius & meritis & opinione vulgi, & voce cunctorum cathedram domi conditam & prope exploratam habentem.

Decimum quintum genus ex dissimilibus per repetitionem cum frequentatione.

NOn boni adolescentes distantiam locorum, non exilium diuturnum patriæ, non fratrum absentiam, non parentum indulgentiam communem, non orbitatem eorum, quæ sibi fuerant in patrio solo carissima, quibus alij mœrere conflictarique solent, conqueruntur: sed incommoditatem loci, importunitatem multorum, valetudinem aduersam, aquam hyemalem, æstiuos calores, inopiam librorum, condiscipulorum languorem, seditiones improborum, morbos & pestilentiam, vacationes studiorum datas, cæteraque offensiones, & impedimenta, quibus plurimum de literaria contentione remittere diligentes etiam auditores videmus, ægre ferunt atque deplorant. Atque hic dolor tantus est, vt eo sæpe mœrore contabescant.

DE REPVGNANTIBVS, ex contrariis.

QVoniam repugnantia & contraria similem cum dissimilibus habent amplificandi rationem, nonnulla primum repugnantium genera ad amplificationem spectantia proponam, deinde contrariorum, ac tandem accedemus ad comparatorum & exemplorum, in quibus similis est forma dilatandi: omnes autem rationes amplificandi petentur ex Cicerone.

Primum genus amplificandi ex repugnantibus ad veritatem ostendendam.

VIde quantum distet argumentatio tua à re ipsa atque veritate: quod consuetudine istius Gymnasij facimus, id quasi nouum reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris: quod iuuenum excitandorum causa, id ad perdendum delendumque Gymnasium spectare: quod honoris gratia præceptor discipulis concedit, id eum vtilitatis suæ causa fecisse dicis: quod ad progressiones litteratias, id ad illarum perniciem referri confirmas. Neque hæc tu non intelligis, sed vsque eo, quod arguas non habes, vt non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra morem, contraque consuetudinem Gymnasij, contra opiniones mentemque omnium.

Secunda

Secundum genus amplificandi ex repugnantibus, in laudem B. Ignatii Confessoris.

QVâ in re hostes fidei ridiculi esse visi sunt & stulti, qui Ignatium ignem videbant, & non illorum mentes adusturum esse: eundem ignem ferre dicebant, & non illum per se, per suos in hominum mentibus accensurum esse: eundem ignem & clarum agnoscebant, & non tenebras ignarorum, & deceptorum fraude & fallacijs Lutheri discussurum ex eorum animis. Eundem denique ad illustrandas terraram partes, ignorantiæ tenebris circunfusas venisse, & non radijs eadem loca, quæ ille, quæ suile suitę perlustrassent, cæli clarissimis radijs illustraturos esse.

Tertium genus amplificandi ex repugnantibus, cum enumeratione, & repetitione, & interrogatione, in B. Ignatij Confessoris laudem.

NOnne cùm è patria discessisset sua B. Ignatius, cùm suorum consuetudinem & conuictum reliquisset, cùm seruos, cùm equum dimisset, cùm pauperis & pannosi vestes induisset, elegantium & equitum pretiosis vestibus exuens corpus, & inopum more ostiatim corrogare cœpisset, nonne repugnabat & aberat ab eo rerum humanarum cupiditas, & sæculo huic inanissimo inseruiendi, quod nemo negabit?

Quartum genus amplificandi à repugnantibus, in eiusdem B. Patriarchæ Ignatii laudem, cum præoccupatione.

DIcet aliquis, cùm B. Petrus Ignatio Beatissimo Patriarchæ, ac Fundatori Sociorum Iesu, visus fuerit, cùm Virgo sanctissima eidem se visendam spectandamque præbuerit in clarissima luce, hæ duæ visiones pulcherrimæ iucundissimæque, plenissimæ lucis & splendoris diuini, quonam aliò spectarent, nisi ad militem tantum & Ducem, à sæculi militia, ad Christi Iesu cælestia stipendia traducendum, atque ad illud vsque decus consequendum, vt Dux esset, & Patriarcha cælestis Sociorum Filij Iesu, qui in orbis terræ

sedes vltimas signum Christianæ Religionis inferret fortis & inuictus; & spolijs, & manubijs, quas sibi tot bellorum victor effecisset, exultans ac triumphans in cœlestis Regni regiones celsissimas, gloriosus ac magnificè triumphans ingrederetur?

Quintum genus amplificandi ex repugnantibus, per subiectionem, in Beatissimi Ignatij Fundatoris Societatis Iesu laudem.

SEd quis neget, nisi stultus, & à diuinis rebus abhorrens, tuã, Ignati Beatissime, sapientiam diuinitus acceptam? cum in ipsius traductionis tuæ cunabulis nullis litteris præditus, nondum Grammaticæ rudimentis primoribus, (quod dicitur) labijs degustatis, librum exercitationum spiritualium composueris, rerum diuinarum, & altissimorum Dei mysteriorum plenissimum? Cùm alterum, quod homines stupentium, & attonitorum similes reddit, de reconditis & abstrusis sanctissimæ Triados arcanis, à communi hominum intelligentia remotissimis, excultum & ornatum, qui in hunc vsque diem Romæ, pro miraculo ac prodigio cœlesti seruatur, inter alia tua beneficiorum ab immortali Deo acceptorum monimenta diligenter religioseque asseruatur, litteris mandaueris? Cùm idem nullis in Academijs versatus, sacrarum litterarum ignarus, diuinæ cœlestisque Theologiæ prorsus expers, in prauatis sermonibus de Deo agens, & in plateis, & vicis celebrioribus, sacco crasso viliqúe indutus, res altissimas, & cœli recondita mysteria, plenus animi, plenus scientiæ diuinæ, plenusque Dei sempiterni multitudini circunfusæ, & ad verba audienda confluenti, magno animorum sensu semper enuntiaueris? Id negat nemo, & omnes ingenuè fatentur, diuinitus tibi datam, & impertitam fuisse rerum diuinarum scientiam atque cognitionem immensam.

Sextum genus amplificandi à repugnantibus, in sanctissimæ Confessoris B. Patriarchæ Ignatij laudem, per conglobationem cum articulis, & adiunctione.

Ingre-

INgredi in mare Ignatium, & nullo secum in nauiculam illato cibo, non horrere nauiculam vetustam, rimas penè agentem, & plenum fidei, plenum spiritus diuini nauigare; vehi ventis feliciter aspirantibus, & flatu secundiore, præalijs magnis nauibus onerarijs prouehi, portum tenere optatum, & saluum & incolumẽ appellere Hierosolymam; diuinis consolationibus, solidis ac veris animi voluptatibus perfrui, tantâ Religione perfruentem Christi Iesu vestigijs sacrata loca inuisere, Christum eundem præeuntem eidem Ignatio videri, cùm audiat, cùm legat aliquis, non ad magna munera, non ad eam, cui præfectus fuit, ducis Sociorum Iesu excellentiam delectum tantum & tam ingentem Patriarcham, nisi amens fuerit, vel à veritate auersus, verè constanterque confirmabit?

Septimum genus amplificandi à repugnantibus, in Beatissimi Patriarchæ Ignatij laudem, per adhortationem.

SIgna diuinæ virtutis intuere, quâ sine hæc duo accidere non posse video, vt Beatissimus Ignatius octo dies & noctes continuas cibo potuque abstinuerit, & saluus & incolumis manserit. Vt ille etiam totidem dies & noctes, ab vno in alterum vsque Sabbatum, abstractus ab humanis rebus, sensibus correptus ad supera, in rerum diuinarum contemplatione ante Virginis simulachrum, vt viuum multi non putarent, visus fuerit, idemq; visus quasi à somno suauissimo excitari, & nomen Iesu dulcissimum, & melle sibi dulci suauius vsurpare, cœlesti ac diuinâ lætitiâ voluptateque perfusus.

DE CONTRARIIS.

REpugnantibus proxima sunt Contraria, quorum sequentes tradentur amplificandi rationes. Atque hæc Contraria non summo iure sed latius, vt Contrariorum speciem præferunt, à me exercentur.

Genus primum ex Contrariis solis conglobatum.

POteſtis igitur ſuperbos demiſſis, auaros liberalibus, libidinoſos caſtis, iracundos patientibus, ebrios ſobrijs, edaces temperantibus, deſides diligentibus, iniquos æquis, improbiſſimos & ſceleratiſſimos, optimis & innocentiſſimis anteponere?

Secundum genus, cùm paria paribus conferuntur.

CVr te non barbarum, non ſeuerum, non hoſtem, non calamitatem litterarum dicam? neque tam ſeruus aliquis dominorum, quàm tu otij: neque tam fugitiuus à domino, quàm tu à laborioſus ſtudiorum: neque tam barbari lingua & natione illi, quam tu non Latino ſolum, ſed vllo ſermone litterario: neque tam hoſtis quiſquam domino, quam tu politioribus Muſis. Neque vlla tanta poteſt interuenire calamitas, quę ſic fruges ac ſata deuoret, quàm longuor, atque deſidia tuum perdidit ingenium & voluntatem ad litteras. Quæ igitur tibi ſunt inimicitiæ cum litteris, quibus indignitate ſeruos, barbaros inſcitia, fugitiuos laborum fuga, hoſtes odio, calamitates pernice ſuperare videaris?

Tertium genus per Præteritionem, & Repetitionem.

NAm vt omittamus de multorum caſu cogitando recordari, vno mentis aſpectu complecti poteſtis eos, qui cum B. Thomâ Cantuarienſi, cùm Pontifice tanto libertatem Eccleſiæ oppugnatam defenderint, & contra nefariam tyrannidem ſuſtinuerint, mœſtos, ſordidatos, exules & extorres à patriâ, & bonis omnibus euerſos, de famâ, de honore, de tranquillitate, de reductione contendentes: eos autem, qui Romanam ſedem violarint, oppugnarint, vexarint, & in Angliæ partibus penè euerterint, non ſolùm alacres lætoſque volitare, ſed etiam improbos & proditores, bonis atque fortiſſimis defenſoribus captis periculum intendere, ſe quoque apud reginam extollere. In quo cùm omnia ſint indignia, tum illud eſt valde deplorandum, quòd iam non per latrones ſeipſos,

non

non per insidiatores, & flagitijs omnibus perditos, sed per speciem læsæ Maiestatis, & regni proditi Catholicorum multitudinem perdendam conficiendamque curant: & quos insidijs, quos ferro, manu, coniuratione, alijs modis delere non potuerunt, eos hac specie & simulatione proditionis, & falso testimonio, per summum dedecus & infamiam, vitâ priuare non dubitarunt.

Quartum genus ad Complexionem.

REstat igitur, vt hoc efficiatur, vter potius præmijs ornari debeat, is, qui cùm locuples esset, facultates & patrimonium suum in litteris absumpsit: an qui cùm nullas haberet diuitias, litteris eas se acquisiturum esse sperat? is, qui causa studiorum factus fuerit egentissimus: an qui semper egens fuerat? is, qui ardens cupiditate sciendi, se suaque bona consumpsit: an qui suam personam, cum bonorum nihil haberet, contulit in litteras? is, qui semper ita vixerit, vt cum bonis valetudinem amiserit: an qui in eadem fortunâ permanens, bonâ vtatur valetudine? Is, qui si litteris ad gradum aliquem dignitatis non ascendet, seipsum suosque fratres in perpetuum afflixit: an is, qui propter litterarum studiorumque rationem obscuram familiam ex tenebris in lucem vocauit? Verum, Auditores (id quod ad dignitatem omnium sententiâ maximè pertinebit) qui se litteris dederit, vt si non nancisceretur, patriam, & maiores relicturus esset: an qui, vt maioribus suis lucem afferret, litteris operam nauauit: qui si quemadmodum iacuerunt, adhuc iacerent in posterum, in hominum obliuione, atque silentio, nullum illi damnum fecissent? Postremò vtrum ille, qui cùm patrimonium haberet tantum & copiosum, vndè se, famulos, equos, & domum honorificentissimè aleret, ad litterarum studium animum, mentemque contulit: an qui ætatem suam in litteris egerunt, vt illarum præmijs emergerent ex mendacitate, in quâ ipsi semper parentesque sui fuerant? Is, in quo plurimæ litteræ reconditæ & exquisitæ fuerunt: an ille, in quo paucæ fuerint, atque illæ vulgares communesque? Denique ille, qui si litterarum itinere non contendisset, equestri studio, & arte militari maiorum gloriam consequeretur: an qui litterarum, viam non ingressus, in sordibus parentum suorum iacuisset? Hæc meus competitor tot & tanta si nactus esset in suâ persona

quamdiu diceret causam suam confirmans? quo se modo iactaret? tempus profectò illum citius, quàm oratio deficeret. Etenim singulis in rebus eiusmodi materies est, vt dies singulos posset consumere, neque ego non possem: sed modum habiturus est apud sapientes de suis rebus, & virtute verba faciens.

Quintum genus ad concludendum, cum Enumeratione.

QVare si istinc turpitudo, istinc audacia, istinc impudentia, istinc pecuniæ, istinc denique omnis fraus & peruersitas spectatur: hinc summa castitas, hinc timor, hinc pudor, hinc inopia; hinc denique summa virtus & integritas: mutate, Auditores, veritate patefacta, atque errore sublato, mentes sententiasque vestras, atque eo patiamini transire istius sceleris suspicionem; vbi cætera maleficia consistunt: ab eo omnem amouete suspicionem, quem omni culpâ carere videtis.

Sextum genus ex Contrariis, cum Comparatione.

PAter occidit filiam Barbaram, conferte parentem cum filia: parentis infidelitatem, cum fidelitate Barbaræ: huius parentis accusationem, cum filiæ confessione: pertinaciam patris, cum constantia filiæ: parentis crudelitatem, cum filiæ mansuetudine ac patientiâ: gladium parentis districtum, cum oblato à filiâ iugulo: parentis libidinem filiæ mortis inferendæ, auiditatem filiæ pro Religione occumbendi: à parente odio habitam religionem, à filiâ acceptam, summaque religione cultam; mortem patris infelicem, & discessum Barbaræ felicem atque glorioſum. At iam illa omitto, quæ dispersè à me aliquot in locis dicta sunt, gladium parentis, qui in omni sæculorum memoria purus a filiorum cæde seruatus est, cum crudelitate vnius hominis, filiæ sanctissimæ sanguine imbutum fuisse; locum profundendi sanguinis, qui vix piorum hominum oculis videri potest, ab hoc appetitum, & calcatum fuisse filiæ vnius iugulandi causa. Mitto manus allatas filiæ, gladium in iugulum infixum, vitam in conspectu mortalium ablatam, officium carnificis tributum, quæ in nulla vnquam barbarie commissa sunt, neque crudelitatè, neque profundendi sanguinis consuetudine, neque communi insitâ

insitâ bellorum feritate, neque suscipiendi maleficij cogitatione: mitto, inquam, hæc omnia, quæ in hoc maleficium conuenire videmus.

Septimum exemplum, cùm paria paribus conferuntur, cum exemplis.

HAs litteras, qui summâ contentione percipere voluerint, cuiuscunq; sint ordinis, verè scholastici sunt; quoniam præcipuè labore summo, tanta munera sustinent. Huic scholasticorum generi fateor, vt ante dixi, magnos esse experiundos & subeundos labores: sed sibi omnis ratio est cum virtute, nō cum vitio: cum vigilijs, non cum somno: cum labore, non cum desidia: cum honestate, non cum turpitudine; cum dignitate, non cum indignitate: cum honore, non cum ignominia: Cum ijs loquimur, qui se patriæ, qui mortalibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui corpori, non qui sibi, non qui delectationibus, non qui lustrationibus natos arbitrantur. Nam si qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris, & cupiditatum lenocinijs dediderunt, missas faciant litteras, nec attingant rem litterariam, patiantur studiosos adolescentes, laborum patientes, ad studia rapi incredibili voluptate, qui bonam famam litteratum, & litteris præditi honores consequi volunt, & seruire hac ratione mortalibus. His sudandum est magnopere, pro tantis commodis totos dies laborandum, vigiliæ suscipiendæ, cum vitijs, cum otio, cum reliquis hostibus acerrimè confligendum. Hæc accepimus de litteratissimorum consiliis & factis: hæc legimus, hæc hausimus, neq; eos in laude positos videmus, qui non incubuerunt modis omnibus ad studia, vt qui desidia & multo tempore languere voluerunt: at quos diligentes, industrios, vigilantes & constantes in litteris assiduo labore vidimus fuisse, hos cathedras deferre, præfecturas obtinere, honores gerere, rerum potiri, & orbem terrarum suis humeris, tanquam Athlantem cælum sustinere viderunt mortales. Ac ne quis ob difficultatem literarum percipiendarum, & laborem necessarium viam hanc pertimescat, proponat sibi lumina cuiuscunque facultatis ac disciplinæ: Ciceronem, Principem Eloquentiæ: Hippocratem, Galenum, coryphæos medicinæ: Paulos, Sulpicios, Papinianos, & reliquos Iurisconsultos: Beatum Thomam, decus & lumen sacræ Theologiæ. Iam arbitror, etsi à suscipiendis laboribus

abhorrea-

abhorreat aliquis, fama ac celebritate tantorum Principum seipsum ad bonarum artium & disciplinarum studium excitabit.

Octauum genus amplificandi ex Contrarijs, cum minore.

CVius igitur culpa putanda est? Præceptoris minimè, nisi summum ius, iniustitia; nisi honos, ignominia putanda est.

Cuius igitur? reuera scholastici, eius ipsius, qui de præceptore queritur. Qui si adductus studio aliquo, minus idoneum scholasticum præmio affecisset; qui etiam si bonum scholasticum, sed non ita meritum; si denique aliquid, quod non contra ac liceret, factum diceretur, sed contra atque oporteret, tamen esset omnis eiusmodi mali reprehensio à discipulo repudianda. Nunc verò quid dicitur? quid ait discipulus feciſſe præceptorem, quod ei facere non licuerit? quod grauius est, quàm si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Hic ego non coner agere, non esse fas dubitare, quin quod præceptorem iudicasse constet, id non solùm decuisse, sed etiam debuisse fateatur? Quid enim abest præceptori, quod si adesset, iure hoc tribui & concedi deberemus? vsusne dicendi, qui adolescentiæ tempore ferè primum principium habuit prælectionum atque munerum, & officiorum præceptoris maximorum? Cuius plerique coætanei minus sæpe magistros audierunt, quàm hic illorum munera prouinciamque sustinuit? qui tot habuit orationes, quot ferè fecit; & tot ferè typis excudit propter elegantiam suam, & vnum in illis Ciceronem luculenter expressum, quot ferè composuit; qui tot consequutus est Rhetoricæ laudes, quot sunt officia, partesque dicendi? An ingenium? cùm etiam ipsa suarum orationum, ex intimo Rhetorices artificio inuento petita, rerumque ad artem spectantium multitudo varietasque in publicum prolata quotidie maximo & acerrimo præditum ingenij acumine testetur? In quo vno sic viua Ciceronis imago, & expressa videntur lumina, vt omnium iudicio tantum, quantum potest Cicero, minus quàm orator tam eximius nunquam obtinuerit? An dispositio? an eloquutio? an venustas agendi? an vocis splendor? an memoria, quæ custos est & thesaurus eloquentiæ? an facilitas sermonis, & ex tempore incitata celeritas in præceptore vnquam reposita est? Quem Complutensis Academia,

quem

quem Gymnasium Rhetoricæ, quem theatri amplitudo, quem reliquæ Academiæ his ornamentis neq; præstantiorem, neque illustriorem viderunt? Quid dicam de lectione Auctorum, de cognitione vetustatis, de notitiâ nostrorum Annaliū? quæ tanta est in illo, quanta in omnibus, quos historiæ scientes commendamus & prædicamus, cùm multæ aliæ Academiæ suam Rhetoricæ cathedram, cum annui stipendii amplificatione, non petenti sæpe, quemadmodum scitis, non accersendo solùm per litteras; sed summopere rogando concederent, huius de facto, id est, de præmio potius alteri, quàm tibi delato, ita queri, vt id agatur, licuerit ne decernere, quod decreuit; an verò non licuerit, si concedam, turpe quidem & indignum plane videbitur.

Nonum genus ex Contrarijs Exemplis, cum Descriptione.

COEnobium quoddam est, satis longo à ciuitate interuallo disiunctum, quo pauci solent accedere propter loci distantiam; hyeme, propter asperitatem temporis: æstate, propter solis ardores. Quod tanta religione semper fuit, vt non modò præstitutis & notis temporibus: sed neque alijs, propter partitionem horarum quotidianam, nullam diei partem alumni tantæ familiæ vacui aut labore soluti possint esse. Istuc se receperat ad ius ciuile recolendum noster Licentiatus, in quo tantâ contentione corporis, & animi inhærebat dies noctesque Iurisconsultorum, & Pontificum Annalibus versandis repetendisque, vt cùm successiuas horas sibi sumant aliqui sectatores huiusce facultatis, & ad valetudinem sustentandam, ad se reficiendos ex maximis laboribus, vigiliisque studiorum, animos has ille nec tribuendas vnquam corpori suo decreuerit. Cum verò multi ijsdem in ædibus Religiosorum aliquos de familiâ sacrâ solent amicos acquirere, quibus cum quod datur ab studijs vacuum tempus, cum eis colloquentes libentius consumere consueuerint; hic nec dandum istud valetudini, nec communi consuetudini iudicauit, quòd aliquando suauitate sermonis, & parta familiaritate, studia detrimenti quidquam accipiant, dum producuntur sermones, aut ex eo, quod commemoratum est, maneant reliquiæ, quæ mentem à cogitationibus litterariis auertant. Nemo illum vnquam cum alio colloquentem, nemo deambulantem cum aliquo militare religioso, ne-

so, nemo, nisi rei diuinæ audiendæ causa, cui nullo die deerat extra cubiculi parietes vidit vnquam. Habent alii delectationes aliquas hortorum, aduentus amicorum aut hospitum, aut alias iucunditates ad leuandos labores in litterarum studiis positos: Hæc omnia Licentiatus noster, quod semper impedimenta duxerit, & offensiones ad rem litterariam, adimenda sibi tollendaq; non dubitauit. Proh Deum immortalem! Quem ego commendo? cuius labores effero? de quo vos sententiam per suffragia laboribus, studiis suis dignissimam tulistis. Dicent litteræ sibi Licentiati delatæ de comprobatione honorificentissimâ cunctorum consensu Doctorum, dicent honores, qui iam illum manere videntur meritò, prædictum à me, nihil istic loci in relegendo iure ciuili hoc toto triennio reliquisse, vt in cubiculum suum amici ingredi potuissent, vbi Religiosis vix dabatur ingrediendi facultas: vt nihil ab illo prætermissum fuerit, vt tam illustre de suâ sapientiâ per vos iudicium fieri mereretur.

De Comparationũ amplificationibus.

Comparata eisdem ferè modis tractantur, quibus Similia & Exempla. Primum vnâ duntaxat periodo, per solam Comparatorum propositionem.

Exemplum primi generis.

ATque ego ita me comparem, cùm tantum & tam graue malum, præ omnium, quæ inferri possent, grauitate maximum, machinari videam aduersarios: Cum aliter meipsum vlciſci nequeam, & vitam meam inter tot, & tanta inimicorum tela versari videam, vt arma capiam ad me tuendum, saluâ semper lege diuinâ, qui machinam nullam commoueri velim.

Secundum genus, ex comparatorum propositione & assumptione.

ET id Thrasybulo datum fuit, vt propter tyrannidem depulsam, præmiis debitis & honoribus ab Athenienſibus afficeretur: & Ciceroni, qui tela iugulis omnium intenta de manibus

bus coniuratorum extorsit, & faces ad vrbis exitium, & ad totius Italiæ vastitatem, & ad imperii interitum accensas protulit & extinxit, non dabitur vt depulsoris & extinctoris nefariæ conspirationis præmia deferat, & honores patriæ defensoribus constitutos assequatur?

Tertium genus ex Comparatione ad amplificationem adhibitâ, & subintellectâ assumptione.

SEd cum in gradu celsiori collocatus fuerim, debeo equidem, si is esse volucro, qui esse debeo, sic meæ vitæ rationes instituere deinceps, & ad meliorem frugem me recipere, vt noua meæ vitæ mutatione nouos mores, & nouam vitam instituant, qui magistratus minores gerunt, & assequuti sunt gradum aliquem in Repub. vt virtute sibi, iure ac legibus mecum agendum esse putent imposterum.

Quartum genus cum Comparatio proponatur, & conferantur singula similibus, & paria aut maiora & dissimilia ostendantur.

De sacra Synaxi.

SVperat equidem, & longissimo interuallo, superat multitudinem magnitudinemque beneficiorum, quæ à Deo optimo ac maximo in hominum genus collata sunt, quamquam magna sint, excelsa, sublimia, & admirabilia: non sunt tamen ad sacram Synaxim vllâ quidem ex parte comparanda. Nam quocunque te animo & cogitatione conuerteris, siue ad elegantissimam hanc totius mundi fabricam, pulchritudinem cœli, summamque venustatem, ætheris ardorem, circunfusam aeris regionem, terræ situm & circumscriptionem, maris immensitatem, & quæ singulis partibus continentur, multitudine innumerabilia, magnitudine sublimia, diuersitate longè differentia, partim ad vsum, partim ad delicias hominum creata sunt rerum genera: hæc autem omnia quid habent laudis ad sacræ mensæ decus & gloriam cœlestem, in quâ Deus ipse summus opifex & architectus cœlorum, & eorum, quæ creata sunt, auctor & creator potentissimus, seipsum generi mortalium panis & vini tegumentis contentum liberatissimè magnificen-

gnificentissimeque largitur? Cœlum istud, à terra tanto interuallo distans, diu solis claritate conspicuum, noctu syderum innumerabilium varietate distinctum, hominum causa Deus creauit, quanto clarius virtutum luminibus clarissimis, quàm cœlum ipsum, Deus idem immortalis animum, domicilium suæ Maiestatis ornat & pulchrius reddit ac clarius solis splendore? Terra fert fructus vberes, ac præstantes, & multitudine varietateque multum dissimiles, ad homines alendos sustentandosque: Sed qui victus ad Corporis & ad Sanguinis Christi Iesu cœlestem escam comparari potest? Fert terra res varias, & multiplices, corporibus alendis necessarias; at esca hæc salutaris, quanquam corpori prosit admodum, & bonæ valetudini conseruandæ, & viribus confirmandis, præcipuè tamen spectat ad animum alendum cœlesti cibo, & ad conseruandum fortem & inuictum, & ad ornamenta virtutum augenda, & dotes cœlorum exquisitas, & ad illam Beatorum gloriam, ad honores & dignitates immortales aulæ comparandas. Quid ætheris habet regio, nisi paruum & clarissimè collucentem ignem? quid aer, nisi salutarem auram, flatum, quo ducimus hunc vitalem spiritum, & viuimus salui & incolumes? quanto purior & clarior ignis è sacra Synaxi profectus, non consumens, sed inflammans ardoris immensitate mortalium animos? Atque viuere quidem non possumus tutò, neque partem vllam veræ quietis, & solidæ tranquillitatis capere, in mortali Deo, Hostiæ sanctissimæ tegumentis contento, carentes. Quin omnia, quæ in quibuscunque beneficiis ab immortali Deo acceptis insunt, & continentur, admirabili modo in Eucharistia sacra inesse videbuntur, nullum autem abesse, quod Vates diuinus, cœlesti Spiritu afflatus, prædixisse visus est, omnium beneficiorum memoriam, & quasi summam quandam, & monimentum diuinorum, istud cœleste sacramentum nuncupans. Atque cœlum istud quoties nubibus obductum? quoties decessu solis contracta terra? quoties noctis tenebris obscurata? Aer verò pestilens & flatu teterrimo infectus, quantum generi animantium vniuerso exitium & pestem vltimam affert? res verò quoties in magna sterilitate fructuum & inopia desunt ad victum communem & necessarium, vt fame atque inedia conficiantur homines, & pastu deficiente brutorum interitus consequatur? Non immerito mensæ regalis nomine & honore afficitur, quæ cibis apparatissimis & exquisitissimis refertissima extruitur, & apparatur: neque

que

que discumbunt alij, nisi magnates & Principes regnorum in auro, in gemmis, in cultu pretiosissimo fulgentes, regiâ liberalitate digni, & apparatu tanto magnificentiaque regali. Non immeritò manna illud Hebræorum species est, & adumbratio cælestis huiusce Sacramenti, cuius robore populus ille, in deliciis habitus, per vastam ac desertam solitudinem progrediens, alebatur, suauitatis magnitudine recreabatur mirum in modum, manna tum guttum cuiuscunque cibi ad vescentis voluntatem, in magna multiplicique degustantium diuersitate, videbatur afferre: At ex sacrâ Eucharistiâ cunctarum virtutum, & ornamentorum diuinorum magnitudinem & multitudinem, deliciarum cælestium suauitates & iucunditates maximas, qui huic sacræ mensæ discubuerit, abundè satis & copiosè percipiet, si ad conuiuium hoc tam splendidè & magnificè ornatum, vt par est, & diuini numinis Maiestatem decet, homo diligenter studioseque comparatus accesserit.

Quintum genus ex Comparatorum conglobatione, sed conuersione, per implorationem, cum similitudine, tum pollicitatione ornatum, & illustratum.

CVm me Deus Optimus, ac Maximus tanto beneficio affecerit, vt sui Corporis sanctissimi pastu cælesti refecerit, & recreauerit, quid agam humuncio nullius pretij, neque æstimationis, tantâ liberalitate magnificentiaque ad regiam hanc cælestemque mensam acceptus? Non agam gratias immortales, & memor tanti beneficii Maiestatem illius Domini summis laudibus efferam? Non me demittam & abiiciam ad Domini celsitatem supremam, studiosius deinde, religiosiusque colendam? si beneficia pro magnitudine compensanda sunt, & par semper gratia referenda est, cum fœcundates opesque suppetunt; si terra fertilis arata cultaque diligenter, aquis irrigata cælestibus, duplicato fœnore fructus temporibus suis profert plures & vberiores; si Arca veteris Testamenti, tanto populi plausu, & lætitia omnis generis hominum gestientium, præeunte Dauide, saltanteque depositâ regia auctoritate, cantibus mirificè concinentibus, tanto studio, religioneque vehebatur; si Virgini ingredienti domum Zachariæ merito obuiam occurrit Elisabeth, & beneficii magnitudinem laudibus eximiis extollit, & se prorsus tanta indignam liberalitate recognoscit atque prædicat: si

cum vulgaribus affecti sumus beneficiis modos omnes & rationes referendæ gratiæ quærimus, & si iniuriam minimam graue ducimus malum, & impietatis crimen execrandum, quibus laudibus hoc beneficium cœleste prosequemur? quas iustas ac debitas pro tantâ magnificentiâ, cœlestique largitate gratias agemus? qua religione? quâ demissione? cum omnium beneficiorum, quæ dici commemorariq; possint, maximum ac præstantissimum acceperimus? An communem naturæ legem agendæ referendæq; suo tempore gratiæ, in hominum animis inhærentem, obliuiscemur? An naturam hominum in fera nam diritatem cõuersi, ferarum diritate teteriores, crudeliter & impie tanti beneficii immemores, exuemus? An agros fertiles ac fœcundos, aratri vomere perstrictos, &, vt ita loquar, grauissimè exulceratos concisosque, referendæ gratiæ dono ac muneræ superiores esse patiemur? Quantum dignitate sua, & donorum præstantia multitudineque Christus Iesus Arcam veteris Testamenti superat? in referendis beneficiis acceptis ab homine, tam diligentes & liberales erimus; in diuinis Christi Iesu in genus hominum meritis, virtute cœlesti sacræ Synaxeos exstantibus, grata memorique mente complectendis, officio nostro deesse non verecundabimur? vos cœlestes Spiritus, diuinæ superæque Mentes, tot Beatorum agmina, vos Confessores sanctissimi, vos castissimæ Virgines, vos Patriarcharum cœtus præcellentissimi, vos inuictissimi Martyres, vos insignes Ecclesiæ Doctores, vos cœtus omnes & Ordines aulæ cœlestis, & inter illos vos præcipuè socii, ac comites Christi Ieiu, tuq; Beate Ioannes, præco assertoris Iesu, tu tandem Regina cœlorum, quæcunq; adeò supra infraque Lunam creata sunt, mecum tantam & tam incredibilem Dei liberalitatem, tam inusitatam, inauditam que benignitatem, tam cœlestem denique ac diuinam largitatem summis laudibus, & præconiis cœlestibus efferte. Si vos enim ad tantam muneris magnitudinem, ad tanti Domini celsitatem prædicandam sufficere quidem non potestis; neq; quisquam mortalium partem aliquam Domini meritorũ minimam pro dignitate sua cõsequi poterit, neq; adumbrare etiã fine intermissione celebrando: quid ego faciam, quid præstare potero tanti Domini Maiestate dignum? Laudetis Deus optime ac maxime, sis in honore maximo, in gloria tua cœlesti, omnium cœli terræque incolarum linguis ac sermonibus prædiceris; neque modus tuis diuinis laudibus statuatur vnquam, in omnium sæculorum memoriam sempiternam. Tu te mi Deus optime ac maxime,

tute

tu te mihi Christe Iesu, te mihi tu Agne mitissime mansuetissimeque trades, & tuo Corpore cœlestiref icies, tua Maiestate, quam neque telluris, neque cœli immensitate complexuque suo capere possunt, inuises locupletabisque. Qui sum ego? qui sum, inquam, ad te comparatus? pulvis equidem & cinis, ex limo & argilla factus, parentum nostrorum aspersus labe in hanc lucem editus, & sceleribus in tuam postea Maiestatem per omne vitæ curriculum nefariè susceptis contaminatus. Tu verò Deus ipse, Filius Patris Æterni, splendor & imago paternæ virtutis, ipsa virtus & sanctimonia summa, Dominus ac Creator meus, Opifex & Architectus, Mundi huiusce elegantissimæ fabricæ, qui nisi meritis ex inferorum faucibus eripuisses, nisi in tuam accepisses gratiam cœlestem ac diuinam, nequissimorum spirituum, & dæmonis teterrimi crudelitati deditus, ac præda, iam pridem inferorum iustas ac debitas pœnas subire meritus essem. Qua potero deinceps remuneratione, qua vicissitudine, quanquam longè pro tuis meritis diuinis ac cœlestibus inæquali, studiorum officiorumque meorum omnem operam & diligentiam, ad inseruiendum Diuinæ tuæ Maiestati polliceor ac defero, meas omnes res, meas actiones ad voluntatem nutumque tuum trado, committoque. Et quoniam tuo diuino Numini nullam mactare victimam gratiorem, neque magis acceptam homo potest, quam si seipsum hostiam tibi obsequentem, obtemperantemque præbeat, me totum tibi Creatori meo, Assertori conseruatorique meo, dedo libens, ac deuoueo. Tu mea vulnera, meas ægritudines, perturbationesque animi, quidquid mihi deest ad rectè sancteque viuendum, oculis tuæ pietatis, & infinitæ misericordiæ benignus ac misericors intueberis, vt adhibita vulneribus ac morbis meis medicina, ex hac sacra Synaxi fructus Beatorum immortalitate dignos feram.

* * *

Sextum genus ex Assumptione Comparationis.

REcordari igitur debemus morte Christi Iesu sic vniuersitatem hanc, res inanimes ac mutas obstupefactas, facti crudelissimi indignitatem exhorruisse, vt velum templi scissum fuerit, & saxa, duritie quamquam incredibili, collisa, fracta, solem (vt alia omittam) è terris excessisse, defectione post homines natos insolita, tenebris, & nocte profunda orbi terrarum offusa. Et nos homines, cùm peccatis ac sceleribus nostris Christo toties mortem afferamus, cùm in crucem quotidie tollamus, non animos ferreos, & lapidibus duriores, facinoris atrocitate perspecta molliemus?

Septimum genus, si prius describantur illæ res, quæ conferendæ sunt, deinde conferantur, & pares, aut minores, aut maiores ostendantur: denique anteponatur id, cuius causa laboramus: hic similitudines, exempla, dissimilia, acclamationes sententiæ interseri possunt.

COntemplor animo, Patres, noctem, quæ simul atque obscuritate sua tenebras orbi terrarum effudit, horrida videtur ac deformis, nubibus præsertim aliquoties obducta, neque stellarum vlla, quæ noctem illustrare solent, & cœli faciem multiplici varietate distinguere, minima apparente. Omnia iacent in tenebris, neque vlla rerum forma videri potest, latet omnis ornatus & splendor crassa circumfusus caligine. Te ipsum ad noctem compara peccator, qui horrore deformitateque tanta cernetis, immortalis Dei gratia priuatus, vt noctis obscuritatem referas, diuinorum ornamentorum, quibus diei alacritate, & splendore solis fulgebas illustrior, amissa veteri pulchritudine. Nox secum obscuritatem affert; peccatum caliginem, & tenebras etiam obscurissimas: nox diei claritatem suis tenebris de medio tollit; peccatum Dei gratia mortalium animos spoliat: nox facit, vt rerum colores nitidi ac venusti oculis hominum videri nequeant; peccatum cultum & ornatum animorum, atque adeò splendorem virtutum maximarum, quasi tenebrarum caligine densissima obscurat & delet. Atq; hoc magis deformis est

animus,

animus donis ac muneribus diuinæ gratiæ spoliatus, vt si peccato capitali constrictum, scelerum fœditate deformatum videndum spectandumque Deus immortalis animum peccatoris ostendisset, seipsum intueri peccator non posset: quicunque autem videret, aspectu terrifico exanimatus humi mortuus concideret, nisi dono ac munere diuino sustineretur. Hæ sunt illæ tenebræ montis Ætnæ, quæ erumpentes densissimæ, & fumum eructantes, vomentesque finitimas regiones obscurabant. Hæ tenebræ Ægyptiorum, quibus homines in media diei claritate circunfusi, plagas & vulnera ab immortali Deo illata, stragem & interitum suorum videre non poterant: sic autem cæci & amentes rueruut, vt suis scelcribus mortem sibi, reductis in suum locum diuini Numinis potestate fluctibus, conscciuerint. Quis ille cæcus est, quem oculorum luce priuatum Christus optimus ac maximus immensæ suæ virtutis magnitudine illustrauit, nisi miser homo lethali crimine confectus, qui mentis oculis captus est, & animi sui deformitatem intueri non potest, nisi Domini benignitate status hominis infelicissimi diuina miserentis? Cum Philisthæi Samsonem ceperunt, nonne præcipuè oculos eruere studuerunt? quos vbi eruerunt, non tanquam animal rationis expers aliquot vinculis obstrinxerunt? non in pistrinum coniecerunt? & molendi grauitatem & onus perferre similem iumenti coegerunt? non denique multis oppresserunt malis? infinitis affecerunt probris, & omnibus iniurijs oneratunt? Præclarè satis has menti tenebras offusas Naas Ammonitarum Rex adumbrauit, qui habitatoribus Iabes Galaad, à se in maximum vitæ discrimen adductis, & pacem deprecantibus, se pacem cum illis facturum esse respondit, cùm omnium eorum oculos dextros eruisset prius. Duobus mentis oculis vnusquisque nostrum præditus est: dextro, quo supera cœlestia quæque contemplatur; & sinistro, quo se abiicit ac deprimit ad rerum humanarum fæcem, & sordes execrandas. Quid agit dæmon, gratia Dei spoliato hominis animo scelere capitali? quò spectat, in peccati nequitiam & prauitatem illum inducens & trahens, nisi, vt mentem cælesti claritate priuet, ne pulchritudinem virtutis, ne præmia Beatorum, ne immortalitatem cælestis aulæ, ne finem postremò, in quem natus est homo & à Creatore suo formatus, cæcus & amens intueatur? vt deformitatem vitiorum, illorum sordes ac labem, & huiusce sæculi inanes & peritu os honores consectetur, quibus captus in sedes inferorum præceps deturbetur,

tanta est caligo mentis, tantæ tenebræ, tamque profundæ, vt homo passim offendat, ruat miserandum in modum cæcitate mentis, quæ plus obest, quàm oculorum: illa siquidem corpori, hæc animo damna facit & importat innumerabilia mala. Quare abstineat à peccatis, qui in tanto furore, & cæcitate mentis esse noluerit.

De aliis modis amplificandi à Comparatis ex Cicerone potissimum petitis.

EXempla ad Ciceronis imitationem libet ad Comparationem illustrandam nonnulla proferre, quibus quæ dicta sunt, magis pateant, & illustrentur.

Primum genus ex propositione, ratione, per comparationem, cum repetitione, dubitatione.

LAudantur oratores singulares atque summi, quòd obscura illustrare dilucidè, quod horrida & inculta expolire ornatè, quòd arida & ieiuna amplificare copiosè, quòd minima augere summopere valeant: nimirum non arte sua solum alijs Oratoribus, sed etiam exercitatione præstant. Nemo enim istorum, quos ita dixisse videtis, ita procedit in medium, vt & personis laudem & honorem tribuisse suis dicendi luminibus non videatur. Nemo ita audit, vt cùm aliquis istorum dicit, non plura dixisse quàm dixerit existimetur. Nemo tandem istorum opinione sua & existimatione plus laudis rebus humanis, quam ille reipsa, quem commendandum susceperit, habeat, non conciliasse dicitur. Nunc verò quid faciam ego, cuius oratio similiter in vulgus exire & emanare non potest? Theologiæne cognitionem facultatum aliarum, & artium clarissimarum laudibus tegam? At hominem Theologum, concionatorem egregium esse, præcipuam sibi vendicat partem in oratione. An omissa aliarum artium scientia, vestros animos ad Theologiæ cognitionem tantæ disciplinæ laude traducam? At liberalium artium, & Philosophiæ partes omittam, iniuriam feciisse nolens.

An

An cùm ornamenta humanitatis, & politioris litteraturæ ſupperant, aliarum Philoſophiæ, & Theologiæ præmijs obruemus? At cùm hæc maiorem & ſplendorem cunctis artibus & diſciplinis præſtantioribus afferant, cur ſilentio præteream? In hoc nomine, atque in eiuſmodi ornamentorum multitudine ad ornandam amplificandamque laudem, quod facerent omnes ſummi, ſingulareſque oratores, ſi hanc orationem haberent, ne tot ornamentorum multitudine obruti, ſuam exiſtimationem amitterent; veniam ad orationem producendam dilatandamque depoſcerent, vt copia ad huiuſmodi laudum præſtantiam ornatuque venirent, neque committerent, vt ſi breues eſſent in dicendo, magnam partem imminuiſſe laudis, vela orationis contrahentes, exiſtimarentur. Quod igitur illi facerent, id ſi nos feciſſe videritis, veniam nobis dandam per vos fuiſſe cenſemus, vt ſi non, quam vellemus, & quam res ipſa per ſe mereatur; at ſaltem, quam potuerimus oratione laudem affe-ramus.

Secundum genus per Interrogationem cum Repetitione, & illuſtratur ratione, & conſtruitur altera Comparatione Minorum.

ECquis homo eſt, non modò in ciuitate noſtra, verùm in oppidulo agreſti, aut iam expers humanitatis, aut etiam tam barbarus & immanis? Ecquis tam auarus eſt, qui pauperem Ieſu Chriſti pecunia, aut fruſtulo panis non adiuuet? & cum trementem frigore viderit, ſi non illum operiat, non tecto atque lecto inuitet? Ecquis erit, qui pauperi corroganti non aliquid eroget mi'ericors, quæ miſericordia non egenti ſolum tribuitur, ſed primum Ieſu Chriſto, cuius cauſa miſericordiam impertimur, deinde communi humanitati, iure fraternæ agnationis, quæ niſi grauis & ſancta fuerit apud Chriſtianos homines, & apud diuites præcipuè, à quo benignitas coletur atque miſericordia? Diuites Chriſtiani pauperem egentem non ſubleuarunt; pauperem dico, leue eſt, pauperem Ieſu Chriſti ſi non ſubleuarunt, miſericordiam denegarunt non homini, ſed IESV CHRISTO. Nam diuiti datæ fuerunt pecuniæ plurimæ, vt ſi pauper illum adierit, non dimittat inanem; homini diuiti & amico

patebit domus tua locupletissima & amplissima, omnibus bonis refertissima, & præcludentur fores in persona IESV Christi tuam opem imploranti? Enim verò meritus esses aditu prohiberi cœlorum: nisi te Deus oculis suæ benignitatis aspexisset.

Tertium genus ex Enumeratione per Comparationem.

QVæ in Cn. Pompeio potuit, homine nato ad militandi singularem quandam scientiam, si prouinciam hanc suscepisset, maior esse fortitudo, industria, consilium, felicitas, quam fuit in Caio Cæsare, qui tantum potuit impertire rei militari temporis, quantum ipse ab ineunte adolescentia ad vrbem Romam capiundam aspirans, à continuis nunquam bellis, neque præliis conquieuit? Quo mihi difficilior est dicendi ratio proposita.

Quartum genus ad laudem ex Comparatione, per Enumerationem subiectione illustratam.

ETenim si nobilis Ioannes ab Austria multos annos post fuisset is Imperator, à quo post vrbem Granatam defensam, & illius oppida finitima, desperatis in rebus auxilium allatum omnes meminissent; cuius pugna nauali cum clarissima victoria de Turcarum nefaria gente reportata, non terras mariaque peragrasset; cuius egregia facinora in Flandria testes non essent, magnam Regnorum potentissimorum partem Imperatoris fortitudine repressam fuisse; quem Populus Romanus singulari acclamatione non excepisset, si nunc apud vos, id quod is facere posset orator, summa laude celebraret, quis non admiraretur? omnes profectò: mors enim cùm extinxisset inuidiam, illius res gestas sempiterni nominis gloria adauxisset. Cuius igitur laudata virtus honori magnum locum tribueret, huius recordatio nostris animis repetita non omni admiratione afficietur?

Quin-

Quintum genus ex Contentione cum Comparatione.

AGe nunc Doctoris litterati scientiam, cum alterius cognitione conferte. Semper ille ante Doctissimus habitus est, & dictus: iste non adeò doctus. Ille in magnâ gloriâ, & existimatione: iste nunquam magnâ opinione. Ille collegijs omnib. obtentis, cum litteratis versatus maximè: iste cùm multa collegia contendisset, obtinuit nullum. Ille primas tulit in renuntiationibus: iste in postremos ferè reiectus. Ille vnam & alteram cathedram moderatus fuerat: iste neque in præceptoris alicuius locum suffectus, semel saltem aliquando. Cur igitur ille victus est? quia non semper doctus à doctissimo, nonnunquam doctissimus ab inferiore superatur: Quia quanquam sapientia præripiebat inferiori palmam, tamen infeliciter sibi res euenerat. Adde potentiam hominis, gratiam, amicitiam, allegationes, pecunias, atque alia eiusmodi, quibus sæpe exultantem triumphantemque iustitiam euerterunt, & perculerunt inferiores. Adde fiduciam & spem nostri Doctoris, qui cùm meritis penè conditam habere cathedram se domi putauisset, nihil de successu magnopere solicitus, dum aduersarij illum fidentem iustitiæ meritisque suis, & nihil curantem inferiorem viderunt, hæsit in his malis, quæ sibi solent ascisscere, operam magnam adhibentes ad eam rem, quâ de re contentio inter aliquos esse solet.

Sextum genus ex Comparatione cum Distributione.

SOleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris vsurpare sermonibus, omnes nostrorum Confessorum, omnes Virginum integerrimarum, sapientissimorumque Doctorum, omnes Martyrum, & Apostolorum clarissimorum, reliquique generis & ordinis Sanctorum virtutes eximias, res præclare gestas, cum Virginis Mariæ virtutibus, nec ornamentorum magnitudine, neque numero virtutum, neque diuersitate infinitâ, neque vllo genere immunitatum, neque donorum cœlestium vllâ ex parte posse conferri, neque propinquiorem Iesu Christo, neque altiorem locum cuiusquam dignitate potuisse obtineri, quàm tu Matris non dicam Christi Iesu celsitate solùm, sed tuis meritis & dotibus infini-

tis consequuta es. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, vt ea minimè, cuiusquam non dicam humani oratoris facultas, sed neque diuini Spiritus mens aut cogitatio capere possit, amens sim.

Septimum genus per præoccupationem, cum testimonijs & interrogationis lumine.

AT hæc homo barbarus & impolitus non videbat. Quis copiosior illo? quis ornatior? quis in arte benedicendi præstantior? Quanquam hoc loco Ildefonsum non tam ornatu & copia, quàm Dialecticæ, Philosophiæ, & sacræ Theologiæ cognitione commendandum puto. Nota est Complutensibus Ildefonsi nostri oratio, nota copia, notus ornatus. Cui porrò, qui modò Complutense theatrum frequentauit, illius orationes disertæ & elegantes, & bonis artibus instructæ non fuerunt auditæ?

Octauum genus per Interruptionem.

AT ego, tanquam cum veterano scholastico mihi sermo esset, non cum tyrone, & recentiore, de Rhetoricâ multa dicens de adolescente nihil dixi. Itaque hodie perficiam, vt intelligat, quantum sibi ad veteranorum laudem adipiscendam desit.

Nonum genus per Incrementum.

SEd hæc, quæ sunt maioris eloquentiæ, omittamus: loquamur potius de notissimo genere leuitatis. Tu isto ore impotunissimo, his oculis flagrantibus, hoc pectore flammis igneisque spirante, tantum virus iracundiæ concipere potuisti in illo certamine, vt ea tibi turpe non fuerit in tanti ordinis conspectu euomere intemperanter? O rem non modò visu fœdam, sed etiã auditu! si inter famulos parentis tui, in tuis rixis & simultatibus quotidianis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò tot & tam amplissimorum Rhetorum, munus maximi Decurionis obiens, princeps Decumanorum, cui vultum iratum ostendere turpe esset, is flagrans ore intemperantissimo, faces ardentes iactante, ordinem vniuersum, & totam Academiam offenderis? Sed hoc tu fateris esse in tuo more quotidianaque consuetudine, veniamus ad grauiora.

Decimum

Decimum genus cum exclamatione.

AT idem gymnasium, & aulam Rhetoricæ? O audaciam immanem! Tu ingredi in illud gymnasium ausus es? tu Rhetoricæ limina honorificentissima intrare? tu illius aulæ disertis & bonis adolescentibus os importunissimum ostendere? quem locum nunquam aliquis violare ausus est, nemo sine honore nominate. Hac te in classe vel paululum immorari non pudet? in qua quamuis nihil sapiens, tamen propter suorum alumnorum probitatem & labores in oratoriâ facultate maximos, propter ordinis Rhetorum gloriam, & decus illustre, nihil tibi fatuo ac barbaro potest esse iucundum.

Vndecimum genus per translationes, cum Correctione ex Enumeratione, crebris articulis incitatum.

QVæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico, quæ si fuit animal, vnum fuit, Oceanus certè quidem vix videtur, tot res, tam amplas diuitias, & tam multis & opimis reditibus auctas & stabilitas, tam citò absorbere potuisse. Nihil erat omnis generis bonorum, quibus homines abundare solent locupletes & copiosi, nihil argenti, nihil auri, nihil vestium pulcherrimarum, nihil lautorum admodum & abundantium Principum supellectilis, nihil vini, nihil frumenti, nihil redituum maximorum; & omnis copiæ diuersitatisque fructuum, quod non nequissimis hominibus pateret. Omnia effusè & intemperanter heluonibus impurissimis & compotoribus donabantur: alia profligatæ mulieres, alia lenones nequissimi rapiebant: domus erat referta aleatoribus, plena ebriorum, totos dies potabatur, atque id locis pluribus, suggerebantur etiam sæpe de foliorum pictorum lucro pecuniæ, omnibus in cubiculis prandia, cœnasque concelebrari videretis. Quam ob rem desinite mirari, bona istius tam breuiter esse consumpta; non modò vnius patrimonium, quamuis amplum, vt illud fuit, sed ditionem dynastarum maximorum quamcunque tanta intemperantia deuorare potuisset.

Duode-

Duodecimum genus à præteritione institutum, cum exclamatione ac dilemmate simili illustratum, & Enumeratione cum Conuersione.

SEd nihil de alijs: tibi certè confitendum est, causam turbulentissimæ gymnasij tempestatis in personâ tuâ constitisse. O miserum te, si intelligis; miseriorem, si non intelligis, hoc solis ominibus iactari, tota Academia diffundi, huius rei nec in minimorum circulis mentionem non faciendam esse! Rhetores ex classe expulsos, cum his Principem gymnasij, qui ordinis amplissimi Rhetoricæ decus ac columen fuit, omnes veteranos, qui per frequentiam & assiduitatem suam, Rhetorum dignitatem & amplitudinem retinere potuissent, Decuriones, Censores sacrorum, delatores Latini sermonis, omnes magistratus, tantum iuuentutis florem, omnem Poetarum & Oratorum cœtum, vnoque verbo, Rempub. hanc litterariam expulsam atque exterminatam suis sedibus, vt tibi parem scelere nullæ scholæ viderint, nec tulerint vnquam. Vt igitur in seminibus causa est arborum & stirpium, sic huius luctuosissimi casus, & euersionis miserrimæ semen tu fuisti. Dolemus decurias omnes Rhetoricæ florentissimæ perturbatas? eas perturbauit Ildefonsus: desideratis clarissimos Rhetores? eos quoque eripuit Ildefonsus. Auctoritas Rhetorum ordinis afflicta est? eam afflixit Ildefonsus. Omnia denique, quæ postea vidistis, (quid autem mali non vidistis?) si rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Ildefonso. Vt Auster mare pacatum ac tranquillum, sic iste sedatã & quietam Rhetoricæ classem, causa pestis & exitij tanti, perturbauit.

Decimumtertium ex pari cum comparatione maiorum, ad amplificationem.

SEd vt, hoc omisso, ad studiorum, atq; artium contentionem reuertamur, qui potest dubitari, quin ad hominum commoditates multos plus afferat vtilitatis iuris ciuilis gloria, quam ars facultasque medendi? Vigilat Medicus, vt humanis corporibus medeatur: Iurisperitus, vt eorum salutẽ, & vitam tueatur. Medicus, vt quò intendit, medicamenta conferat: Iurisconsultus, vt quos defendit, capitis periculo ac discrimine liberet. Medicum humani corporis cõstitutio: Iurisperitum eiusdem salus & incolumitas solicitum habet. Medicus morborum fraudes, & fal-

& fallacias præcidit: Iurisperitus hominum insidias, & maleficia resecat. Medicus cauet, ne sui ægroti moriantur: Iurisperitus, ne capitis accersiti, in idem discrimen adducantur. Medicus tenet & scit, vt vena scindenda sit, noxij humores depellendi: Iurisperitus, vt improborum colluuio exhauriatur, & improborum sentina ciuitates purgentur. Medicus exercitatus, in pestilentia, in alijs pestiferis morbis propulsandis: Iurisperitus in venenis omnibus, & tabe flagitiorum absumenda versatur. Ac nimirum (dicendum est enim, quod planum est omnibus) Iurisperitia præstat Medicina. Hæc fortunas conseruat, honores parit? gloriam comparat, hominem collocat in altissimo dignitatis gradu, maleficia punit, mores bonos retinet, & omnia iure æquabili constituit, pacem facit, simultates ac discordias de medio tollit, gignit concordiam, & Rempub. stantem facit ac florentem, frustra foris arma, frustra reliquæ sunt artes, quæ sine Iurisprudentiæ præsidio silebunt, & vna suspicione seditionis increpante, procul dubio conticescent.

Decimum quartum ex minore, per communicationem & commorationem, adde subiectionem.

SI de prælijs ageretur, vir optime, si in paruula re captionis aliquid vereremis, non statim ad Iurisperitum, ad tuorum aduocatorum aliquem, qui consuluntur, concurrisses? cùm institutio filiorum, & maximi natu ageretur, cùm hos bene instructos, & ornatos bonis moribus, atq; virtutibus relinqui oporteret, hoc tempore, quod tibi datum est, illorum informandæ pueritiæ, nō modò bonum aliquem & eruditum hominem, sed neque ipse quidem te consuluisti, ne ipse quidem ad te retulisti, ne hæc quidem tecum loquutus es: Hoc tempus est filiorum mihi concessum instituendorū, & sunt id ætatis iam, in qua ad præceptorem deducendi sunt, & sunt multi, sed dissimili vita, moribus atque litteris, quid agam, non cogito? Si, me Hercule, hæc tecū duo verba fecisses, quid agam, iniecisset tibi Deus (quæ sua bonitas est) mentem faciendi, quod facto opus esset, aut ad aliquem, qui consulere potuisset, adeundi: tu te ad hoc collegisses, non in eam turpitudinem veniisses, vt hoc tibi esset apud probos viros confitendum quo tempore cogitationem ist usmodi suscipiendam non curaui, eodem filijs per te licuisse facere quod collibitum esset, atque ob eam causam tui ipsius fortunas funditus

ditus euertendi potestatem factam fuisse vides. Ego te pro te nunc consulo, post tempus consulendi in alienâ re, quod tu in tuâ re, cùm tempus erat, consulere oblitus es: Quæro à vobis, equites clarissimi, qui bonorum habetis equorum equilia plenissima, equi mihi sunt aliquot emendi, in quibus filij mei, ego etiam ipse equitem, venditio nunc de duobus equis recens intercedit, neq; sum illorum valde peritus agnoscendorum, tantundem pretij, quantum à venditore postuletur, dabo & ego eidem, nullo arbitrio interposito, fidem habeam, vt me insciente equorum, & pretij fallat? An cum Hispali tot equites sint, qui præstantiam equorum, & vitia valeant agnoscere, hos non ad venditionem adhibeam? quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? profectò, si recte vestram consuetudinem atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis respõsuri. Primum per me spectari equos, deinde si de pretio agere voluerim, peritos adhiberi, quærere boni sintne equi, quanti deinde paciscar, respondere vos quidem necessarium est. Atq; hæc, quæ prædixerim, omnia ante fieri oportere, quam ad equos aliquo certo pretio addiscendos peruenire pergam. Quid ad hæc Parens multorum filiorum? probabis quidem hæc omnia, qui bonitatem & excellentiam equorum, ad lustrationem, ad cursum desiderabis, & speciem & elegantiam equitum præstantissimorum semper requisiueris. Quid tibi esse debet cum bonâ diligentia bonis moribus ac præceptis filiorũ imbuendorum, iam hac comparatione cognosces, & quæ in te desiderentur officia boni parentis, vt quemadmodum illi claris natalibus orti, eodem pacto bene sancteque fient educandi.

Decimum quintum genus ex Comparatione, accommodatione cum adiunctis illustrata.

DE filio, qui parentem violauisse dicatur, loquimur: ratio ab aduersario reddita non est, quam ob causam pietatem filius læserit. Quod in minimis noxis, & in his leuioribus peccatis, maximè, & primũ quæritur, quæ causa maleficij fuerit: id nos in patre violato quæri contendimus oportere. In quo scelere etiam cùm multæ causæ conuenisse vnum in locum, atque inter se congruere videntur, neque leui coniecturâ res penditur, neque testis incertus auditur, neque inimici fraudibus aut mendacijs

res

res iudicatur. Cum multa antea commissa maleficia, tum vita filij perditissima, tum singularis audacia ostendatur, necesse est, neque audacia solùm, sed summus furor atque amentia. Hæc cùm sint omnia, tum extent oportet expressa sceleris vestigia, voi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. Quæ nisi nota & manifesta sint, profectò res tanta, tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest.

Decimum sextum genus ex minore, ad laudem.

QVæremus etiam, quid iste summus Marchio in suis amicis, in cognatis, in propinquis omnibus fecerit: qualis in patriâ, in familia sua cohonestanda fuerit, qui in peregrinis & alienigenis tam liberalis & munificus reperiatur. Dubitamus quis iste in optimorum & honestissimorum patrocinio fuerit, qui de nullo non genere hominum bene meritus prædicetur? Expectemus quid dicant, de liberalitate sua, qui cum homine sunt assiduè versati, cùm ad exteras gentes fama virtutũ illius hominis, & celebritas benignitatis peruenerit. Postulemus testes impertitæ misericordiæ pauperibus, cùm domus illius egentissimorum inanis nunquam aspiciatur, horum venientium, & aliorum exeuntium. Mutuemur laudes aliquas depromptas ex recordatione liberalium & beneficorum, cùm paginas & folia possemus implere verborum, quæ faciunt inopes & egentes, innuptæ & viduæ, subleuatæ suis in miserijs istius hominis admirãda liberalitate. Producam vnum aut alterum modum bene merendi, cùm quot sint liberalium & munificorum monimenta, totis opibus suis & pecunijs statuerit monimenta Xenodochiorum, Sacellorum, & Collegiorum, ad pauperum inopiam egestatemque subleuandam, non in vno duntaxat oppido, sed in multis & celebrioribus Hispaniarum ciuitatibus. Quis vnquam in hac vrbe Xenodochium, quod Sanguinis dicitur; & Sacella vidit magnificentissima, quin liberalitatis, quin munificentiæ, quin misericordiæ testis esset? Quis ex D. Hieronymi sacro Cœnobio venit, aut per portam Macharenam rusticatum iuit, aut itineris faciundi gratia illac transijt, quin in his in vnoquoq; gradu de Marchionum de Iarffa liberalitate tanta commoneretur?

* * *

Deci-

Decimum septimum genus ex contentione minorum, testimoniis illustrata.

ET enim si illud est tam præclarum, quod mihi omnium præclarissimum, maximeque laudabile videtur, ob inopiam aliquorum subleuandam pecunias impendere, sumptus facere magnificos, atque liberales; quanto illud præclarius, laudabilius, & illustrius, cum quis ob Religionem defendendam in hostium manus inciderit, captionem redimere, vt ne vitam pro Religione defendenda desint qui velint & studeant profundere? Præclarum est inopi subuenire? quanto magis ab hostibus capto? quanto præclarius huic in sordibus & squalore iacenti? Pauperem cùm vidisses opem deposcentem tuam, valuit apud te plus is, qui multorum misericordiam, ibi, vbi est, implorare potest; quàm is, qui si auxilio tuo seruitute non liberetur, seruitutem per multos annos seruiet miserrimam? cùm verò fidem, Religionem ipsam, illius, ab hostium vinculis liberati fortitudine tueri possis, & ad eandem defendendam tutandamque innumerabiles excitare, duas res præclarissimas non animaduertes & allatam captiuo misericordiam, & præsidia per te comparanda Religionis? Quem diuitem, quem copiosum, quem vnquam potentem hominem, & bene nummatum audiuimus aut cognouimus, qui cùm in hostium vinculis fortè audierit hominem, & in inopia & egestate alterum esse, & sit misericordiam impertiturus, non huic homini liberando pecuniam attribuat? non certum numerum præfiniat? non seipsum, si lentum habet humanitis, profundat, & exinaniat? Ordo Mercenariorum Virginis Mariæ, qui hominibus ab hostibus redimendis dono & munere præcipuo Pontificum Romanorum institutus est, huic liberationi dicet grandem à petentibus fuisse pecuniam datam. Iurati dicent Patres, huic captiuorum muneri redimendorum præpositi, se vim & multitudinem incredibilem pecuniarum in Africam, in partes alias disiunctissimas ad captiuos hostium seruitute liberandos accepisse. Dicent redempti omnes, dicent quæ gratulationum pro gratijs agendis decretarum, ciuitates plurimæ potentissimæque Hispaniarum pompam, & redemptorum in albis vestibus agmina longissima spectarunt. Dicent etiam testamenta ab initio generis Christiani

ſtiani facta locupletiſſimorum, qui cum alijs miſericordiæ monimentis, tum his pietatis pulcherrimis operibus pecunias maximas & reditus legauerunt.

Vigeſimum octauum genus ex Minori.

QVod ſi nomen Cn. Pompeij, ſi fama illius, ſi illa ſibi eomparata gloria Imperatoris, ſi res auditæ, ſi præſens aſpectus tantum valuit ad gentes omnes & nationes in Populi Romani ditionem poteſtatemque redigendam: valeat apud populum auctoritas magis Imperatoris, valeat præſentia tanti viri, valeant res geſtæ, valeant triumphi deportati, & in ſpectantibus Romanis hominibus acti, valeant imperia, cæteris Imperatoribus præteritis, ad vnum Cn. Pompeium ſummâ cum acclamatione delata.

Vigeſimum nonum ex Maiore cum Adiunctis, cum præoccupatione.

NVnc verò quid faciemus? quid de tanto viro prædicabimus? deſunt laudes & ornamenta, quæ paginas noſtræ orationis expleant? at hominem habemus doctiſſimorum ſapientiſſimum, omnibus ſapientiæ numeris expletum. Expectabitis cunabula ſuæ pueritiæ, & ineuntis ætatis primordia? at puer modeſtior, magis bonus inter pueros, & inter adoleſcentes magis quietus proferri non poteſt. An mores ætatis adultæ? quis illo caſtior? quis ſanctior? quis omni virtute laudabilior? At hæc vi, minis, ſupplicijs præceptorum, & parentum ſuorum ſibi comparauit? quis ab infantia ad bonas litteras propenſior? ad ipſam virtutem paratior, & promptior videbatur? ſic equidem affectus ad ſtudia litterarum & honeſtatis erat, vt magis nemo.

Trigeſimum genus ex Maiori.

SEntentia ſit eiuſmodi tua, tuum iſtud iactetur iudicium, de genere Adoleſcentium ad bonas litteras deligendo, vt locupletes litteras colant, vtilius eſſe Reipub. quam pauperes? miſerum & infeſtum Reipub. ex artibus infimis traduci ad Academias, à parentum viuendi ratione ad libros & ſtudia bonarum artium, ab humilitate ſua ad litterarum dignitatem

atque præstantiam. Cum omnibus sæculis, & maiorum nostrorum memoria, in populis & ciuitatibus Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, Italiæ, cunctarum gentium atque nationum, de pauperum & egentum hominum infimâ fortunâ, qui voluerint in bonas disciplinas tradere sese, ij nunquam excluſi fuerunt, imò, vt collibitum fuerit, admissi: semper ex his maior fuerat pars auditorum, & eorum multitudine subsellia gymnasiorum completa. Vtrum æquius, inopem litteris operam naluare; an diuitem adolescentem? inopem humili fortuna; an locupletem integrâ atque florenti? eum, qui vnde se alat, non habet; an eum, qui suis se pecunijs potest sustentare? Qui laboribus deditinon sunt, quo in numero multi copiosi homines sunt, quid facient cùm hyems fuerit, cùm æstas summa, quæ tempora contraria sunt litterarijs laboribus, & contentioni corporum in litteras necessariæ? Relinquent Academias, intermittent studia, otio se dedent, & languore prorsus hebescent. Reuertentur in patrias sedes, vbi delicias & vitam otiosam consectentur. Verum esto, reperiatur aliquis dies labori non insolens, frequens, & assiduus: qui cùm tantum dederit studijs omni tempore, quantum omnes debere dixerint, nunquam ab studio litterarum vacet, & contra vim omnem grauitatemque contendat: laudo virum hunc, & litterarum studijs idoneum duco: sed expecto numerum aliquem, expecto multitudinem, expecto concursum & frequentiam Academiarum solitam, quæ cùm constet ex hominum genere, quos tu repudias, ne spoliet Academiam, ne litterarias officinas suis filijs & alumnis orbare velis.

Trigesimum primum genus ex Descriptione, & Præoccupatione.

COmplutensis Academia, inter Hispanienses celeberrima, affluens hominibus eruditis, imo totius eruditionis parens, huius hominis scientiam reijceret? At cuius hominis? doctissimi, sapientissimi: qui cùm Doctoribus adesset, doctissimis antecellere dicebatur. Itane verò Ioannem Antonium, aliarum Academiarum decus, Eloquentiæ, Dialecticæ, sacræ Theologiæ pelagus immensum, quo loquente tunc cùm consensus Doctorum hominum cõuenerat, omnes tacebant, hunc ex officinis litterarijs Complutenses ejicerent, alium verò reciperent,

perent, quo doctiores in Academia tunc, cum iste se Complutensibus offerat, cathedram non obtinendam curarint? Verum hoc tempore plurimum inuidia poterit, neque Doctores, qui florent in Complutensibus gymnasijs, hunc adiuuandum extollendumque censent, ne fortè cum cathedram obtinuerit, de eisdem in publicis disputationibus, in magno conuentu atq; frequentiâ frequenter triumphet. In hunc omnium tela conijcientur, huic etiam & aperte omnes detrahent, quos suffragaturos vident scholasticos, hos conuenient, & abducent ab homine litterato per istos, quem volebant, & cui visum fuerat, eidem suffragia lata dicentur, & homini ablata doctissimo? Nihil horum dici potest, qui ab eisdem doctoribus appetitus fuerit, & vt Academiæ suæ maximo fieret ornamento, sæpe per litteras euocatus. Quæ fuit igitur inuidiæ flamma, ne cathedræ honorem consequeretur, qui domi quasi conditam & exploratam omni iudicio habere dicebatur? nescio aliud, hoc vnum scio, reflante fortunâ, sæpe de spe deiectum, qui certam spem habebat.

Trigesimum secundum genus ex variis modis Comparationis.

FAcinus est attingere Christum Iesum, scelus probris & contumelijs vexare, sacrilegium tot in illum suppliciorum genera statuisse, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non his omnibus sacrilega Iudæorum multitudo contenta, crucifigatur, clamabat, & in vertice montis Caluatiæ tollatur in crucem. Non verò hoc loco mediocrem aliquem, non vnum hominem nescio quem vobis ignotum, sed communem libertatis dignitatisque recuperatorem, in ignominiosum istum & tam acerbum mortis cruciatum, in crucem egistis. Iam verò videre est Iudæorum nequitiam, die celebriore, die Festo solennique, tam sacris statisque Ferijs, quibus multitudo omnis conueniret ad spectaculum lugubre satis ac funestum, istiusmodi scelus patrandum decreuerunt, & alios duos latrones sceleratissimos à lateribus crucifigendos ad maiorem ignominiam, infamiamque inurendam, & in loco præcelso, & edito, vnde cunctorum oculis conspici posset, pœnas nostris sceleribus ac flagitijs debitas luens. Quod enim in Iudææ solo vniuerso, in Regni Solymorum principe ciuitate iugum magis excelsum, magis eminens potuit

deligi monimentum crudelitatis Iudæorum? si hæc non ad homines Christianos, non ad cultores nostræ Religionis, non ad eos, qui Christi dignitatem & celsitatem cognoscerent, si non apud homines humanitate cultos, & communi elegantia politos, sed apud barbaros & agrestes, apud feros & immanes, aut etiam, vt longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & ad scopulos conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima, tam indigna facti atrocitate commouerentur. Nunc verò cùm loquar apud cœtum Christianorum, pietate, Religioneque florentem, sui Assertoris & beneficiorum eiusdem Domini valde memorem, quomodo conqueri, & de tot ac tantis suppliciorum accerbitatibus deplorare debeo? Sanè in hominis paulo præstantioris, & claritate maiorum illustrioris iugulatione lacrymas tenere non possumus, & rectè ac merito illustrium virorum, & aliquando secunda fortuna florentium miserijs commouemur. Quid nunc in sanguine Assertoris nostri facere debemus? quid in morte tam ignominiosa pro sceleribus humani generis oppetita? nam Iesu Christi, nostra quoque causa est, quod in cruce salutis omnium, & dignitatis antiquæ recuperandæ, hominumque sempiterno Patri reconciliandorum rationem habuit. Omnes hoc loco Christiani, & qui adsunt, & qui vbicunque sunt, affici vehementer debent. Crux hæc nostram pietatem desiderat, nostrum sensum implorat, nostras lacrymas requirit.

Trigesimum tertium genus ex Comparatione, ad exaggerandum.

QVem enim vnquam condiscipuli scholasticum, nisi hunc, cæteris post habitis, magis quam sua omni tempore admirari sunt? Ab hoc vno scholastico præceptores decreuerunt, vt qui magistratus in gymnasio tenerent, qui Decuriones, Præfectique essent, honorem, decusque mutuarentur. In huius orationibus post conditam Academiam factum est, vt ex cunctis ordinibus auditores, qui rem oratoriam auctam vellent, semper conuenirent. Quem classis Grammaticæ magis requisiuit? quem magis Rhetoricæ gymnasia decorarunt? quem æquè ipsi conuentus audierunt? omnia dictione suâ ornata, nitida, illustria, plena dignitatis & honoris fuerunt. Quæ dies fuit ad dicendum de Sanctorum laudibus præstitutus, in quo

NOR

non expectata fuerit oratio Rhetoris istius summa cum venustate dicentis? Nam quid ego illa de Rhetore tanto præmia reportata commemorem? vel quę in templo maximo delara sunt? Cùm ille adolescens bis in anno post, cùm iam ad Dialecticam audiendam transijsset, Rhetoricæ ordo illius orationem requirebat, theatra lugebant, locus quilibet publicus, æquè atque magnum oratorem desiderabat, omnia suo discessu deserta, horrida, muta, plena luctus & mœroris videbantur.

Trigesimumquartum ex Maiore, per Conglobationem.

RElinquum est, vt Antonium falsum dixisse de Marcello & Scipione contendamus: quod si fecit, qua imprudentia fuit? Eumne vituperauerit, quem Iuratus toties laudauerit? eum refutauerit, cuius vitam priuatim & publicè ab omnibus laudari viderat? cui ipse omnes suæ vitæ rationes commiserat, hunc de vita, de moribus cælare vellet? quem semper consuluit minimis in rebus, hunc in necessarijs & maximis non adiret? à quo tot beneficia se, & patrem suum viderat accepisse, in hunc tam ingratus existeret? Cuius non probabunt aduersarijos, vel vultum læsisse, eundem omnibus modò contumelijs onerasset? quem habebat parentis loco, hunc tam inhumaniter, & impudenter violasset? qui semper virginali pudicitia fuerat, in illorum ore conspectuque, mortalium tantam haberet oculorum, & sermonis impudentiam? Quem modestum & moderatum nouerunt omnes, hunc sibi persuadebunt, bene & nauiter impudentem fuisse? qui nihil habebat, nisi quod liberaliter non impertiretur, nec habiturum se esse sperat, nisi quod ab huius liberalitate proficiscatur, hoc aget, vt se totum euertat ac perdat, & domo eiectus vagam & inopem vitam agat? non hoc credibile cuiquam facies, nisi homini stulto, aut temerario.

Trigesimumquintum genus ex Minori, ad concludendum.

VIx me Hercule, hoc eum suis æqualibus, non suo præceptori, principi vitæ suæ, & bonorum auctori consiliorum dicturum fuisse putarem.

Trigesimum sextum ex Maiori, etiam ad concludendum per Ironiam.

NIsi fortè nihil æquum est, præceptorem de eorum audaciâ dicere, quorum scelera nullis supplicijs, neque exemplis quotidie sumptis reprimi coerceriq́ue possunt.

Trigesimum septimum genus ex Minori, similiter ad concludendum.

ID igitur quisquam summum oratorem ignorasse dicere audebit, quod mediocres Rhetores, quod nullo vsu, nullo studio Rhetoricæ præditi, quod scholastici denique scire profiteantur?

Trigesimum octauum genus in laudem B. Thomæ Cantuariensis, per obtestationem, & acclamationem, secunda comparatorum conglobatione conclusum.

QVæ enim res vnquam, proh sancte Deus, non modò in illâ vrbe, sed in toto Angliæ regno est gesta clarior? quæ glorioſior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? In defensorum Ecclesiæ societatem, tanquam in equum Troianum, cum Principe B. Thoma, boni omnes includi exportarent. Agebat gratias B. Thomas, quoquo animo Rex impius persequeretur? tanta enim res erat, vt inuidiam illam pro Apostolicâ Sede tuenda, quam in illum aduersarij concitare contendebant, cum summa laude non compararet. Quid enim beatius illo, quem aduersarij expulsum à se prædicabant & relegatum: qui locus fuit, aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui Pontificem, quò accederet, non affari atque appetere videretur? Qui homines tam agrestes, qui, cùm illum aspicerent, non colendum obseruandumq́ue putarent? Quæ verò tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ litteræ reperientur, quæ non D. Thomæ sanctitatem cum immortalitatis gloria prosequentur?

Trige-

Trigesimumnonum genus ex contentione parium, comparatorum conglobatione concluſum.

QVis vnquam inimicior, quàm ſuperbis Franciſcus, æquè atque libidinis, & iracundiæ, vt omnibus vitijs animi ſtatum deformantibus? Verba ſemper humiliter atque demiſsè de ſeipſo faciebat, cogitationes demiſſionis ſemper ſuſcipiebat: in eius ore vultuque, nihil non modeſtum, & ex Chriſti diſciplina videretis: fratres ſuos appellabat multo inferiores: verbis factis & cogitationibus laudem & honorem Deo ſemper immortali tribuebat.

Quadrageſimum genus ex Comparatione, Fine, & conceſſionis iniquitate exornatum.

QVis autem fuit tam inſigniter impudens, vt auderet in oculis & in ore verſati patentum, quos tot ſceleribus, & flagitiorum parente impietate grauiter violauerat, ac non illorum ora vultuſque ſubire metueret, ne à domeſticis ſaltem, & à fratribus oculis & animis cerneretur infeſtiſſimis? ſed hoc propriũ illius qui effrenatâ audaciâ proiectus, & inſigni notatus impudentia, liber adeo ac ſolutus agebat, vt metueret neminem.

VSVS ET EXERCITATIO EXEMPLORVM, ET TESTIMONIORVM.

EXempla eiſdem modis tractantur, quibus ſimilia Comparataque: ac primum genus amplificandi vſurpationem exempli cum propoſitione continet.

Primum genus amplificandi ex propoſitione, cum exempli vſurpatione breuiore.

VÆ illis, qui Nabuchodonoſor ſuperbia, & improborum ſpirituum inſolentia, atque adeò Luciferi ſpiritu ſuperbiſſimo efferunt ſeſe.

Secundum genus amplificandi constat ex Exempli propositione, & Assumptione.

SIcut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates, aduersa præposteraque libidine vtentes, iram in se diuini numinis prouocarunt: ita quidem qui nefarios carnis appetitus & effrenatas cupiditates coercere non studuerint, si ad se non redierint, & execrandæ libidinis eosdem non pœnituerit, iram immortalis Dei grauissimaque profectò supplicia, tandem aliquando subibunt.

Tertium genus cùm adhibetur Exemplum ad probandum, nulla subiecta assumptione, neque conclusione.

DAuid Rex erat Solymorum, & in regia sede collocatus, curis & negotijs difficillimis implicatus, quibus Principes clarissimos, & Reges terrarum potentissimos implicati distinerique necessarium est. Et quanquam tanti regni gubernacula tractaret, diuinæ meditationi tempora non solum præstituebat, sed septies in genua procumbens, humiliter ac demissè Deo immortali preces adhibebat, & quod affert admirationis occasionem, & in nostrorum Principum mores depranatos inuehendi materiam, media nocte somnum intermittebat, diuini numinis honorandi, & debitis laudibus celebrandi causa de lecto surgens.

Quartum genus cum antecedit contentio siue collatio, quæ dilatari & amplificari possunt, idque fit cum Exempla sunt imparia, aut dissimilia. Collatio sumitur ex rerum, personarum, temporum, cæterarumque attributionum varietate, quæ augeri potest verborum, schematum floribus, quæ vim habent aut eleuandi, aut attollendi. Atque etiam si pro ratione causæ ostendatur, id quod dicitur esse simile, dissimile, contrarium per maius aut minus, vt si conferas Exemplum Publicani orantis, & Pharisæi; Centurionis fidem, cum Hebræorum infidelitate.

Exem-

Exemplum de fide Regum Magorum.

ATque si rectè fidem trium Regum Magorum clarissimam, & perfidiam Hebræorum execrandam considerare volnerimus, nihil tantorum Regum facto præclarius, nihil Hebræorum perfidia sceleratius inueniemus. Vix enim Reges obseruarunt stellulam, cùm reliquerunt imperiorum suorum gubernacula, & iter ingressi fuerunt arduum, & difficile, per ignota loca, periculosaque, multis difficultatibus affecta, exposita insidijs inimicorum, referta latronibus, & grassatoribus nequissimis, & eo tempore, quod magis à faciundis itineribus alienum erat, hyemis scilicet asperitate summâ, tum cùm omni gelu conglaciant & frigore conficiuntur homines, atque ipsa animalia suis latibulis, aues nidulis ad frigus depellendum continent sese. Adde vim aquarum multis in partibus, niuibus cooperta loca, difficilem transitum, torrentes, & fluuios redundantes, & effundentes sese, atque nullo duce monstrante viam, præeunte duntaxat stellulâ. Prosequebantur iter, adeuntes passim pericula grauia, superantesque difficultates plurimas, incerti prorsus itineris, quod facerent, quemadmodum pergere deberent, quò deflecterent. Cùm verò in illâ sede, quæ proxima iam Hierosolymis erat & in illius populi ciuitatis conspectu essent, non illam è conspectu amiserunt? non quocunque se conuertebant, aspiciendæ stellulæ ablata facultas? Non adeunt id temporis recta ad Regem? non liberè ingrediuntur in aulam, non spectantibus & audientibus Hierosolymæ Principibus percontantur ex Herode de Rege Iudæorum nato? Quod vbi Herodes audiuit, commoueri animus illius, vehementerque perturbari visus est, neque angorem simulare potest: qua tamen simulatione potuit, respondere Regibus non desinit, se hanc rem quæsiturum de peritissimis Legis Doctoribus. Reuerterentur postea, atque omnia, quæ percontantur, simul atque Doctores explicauerint, se redditurum. Denique properat dimittere Reges, cogere peritos Legis, exponere aduentum Regum alienigenarum, & procul à suis finibus venientium, tantis difficultatibus, & periculis plurimis, tam graui difficilique tempore aditis. Regis duntaxat Iudæorum debito cultu religioneque adorandi causa. Illi respondent protinus, quod certum erat, & testatum Oraculis Diuinis, ac prædictionibus Vatum suorum: id scilicet tem-

pus esse, quod præsens erat, natalis diei Messiæ, generi Iudæo-
cum promissi. Quid dimissi Reges agent? quò se conuertent?
quem alium percontabuntur? quam viam inibunt? quid con-
silij capient, vt cogitata perficiant? O diuinam consiliorum
rationem! O summam Diuini Numinis prouidentiam! appa-
rere stellam iterum vident Reges, & præire fulgentem eximiâ
claritate, videre Solymi, mirari secum intuentes in tantâ diei
claritate, sole loca illustrante sua, nouum & nunquam per-
spectum sydus illucens. Reges verò iter persequi properant,
vsque eò, quoad in porticu constitit stellula. Cogitate ingredi
Reges gaudentes lætantesque porticum humilem & contem-
ptum, ad pueri Iesu pedes abiicere sese, diuinis honoribus
prosequi, & religione Dei immortalis affiecre. Denique diuer-
sis itineribus, vt præmoniti fuerunt, deludentes Regem, gau-
dio exultantes, in patrias sedes reuertuntur. Nihil de Iosephi
gaudio, nihil de Virginis lætitiâ, nihil de vtriusque voluptate
singulari dicam: percontabor ex Regibus, quæ hæc tanta etiam
cœlestis ac diuina fides, vt in puero Diuinam ineesse Naturam,
& Regiam simul celsitatem aspiciatis? porticus hæc non aula
videtur Regia, ac multo minus præfert sedem Regis cœli,
terræque potentissimi, sed stabulum brutorum animantium.
Non peristromata cernuntur aureo intexta filo: sed araneo-
rum elaboratæ opera telæ tenuissimæ. Non Aulicorum mul-
titudo frequensque celebritas: sed vnus duntaxat Iosephus
& Maria, parentes pueri. Non puer splendore Regis in solio:
sed indumentis, & fascijs deuinctus. Non tonabat, aut fulgu-
rabat: sed plorabat, & vagiebat infans. Non in aureo lecto
mollissimè strato: sed in præsepi duro admodum & asperri-
mo. Non denique inter Principes aulæ clarissimos, cum
maiestate summâ: sed inter duo interiectus animalia admi-
randâ cum demissione. Atque nihil horum à religione, cultu-
que Diuini Numinis infanti præstando Reges auocare potuit.
Dissimillima quidem est Hebræorum ratio, plenissima scele-
ris atque perfidiæ. Qui cùm in Iudæâ sedem ac domicilium
suum haberent, sic informati essent, & imbuti præscriptioni-
bus antiquæ Legis, vt Messiam expectarent, assertorem gene-
ris hominum, & tempus accepissent illud esse præsens & opta-
cumtatq; cùm alienigenarum aduentu Regum, cùm noui sydo-
ris aspectu cùm Legis peritorum responsis, cùm Baptistæ mo-
nitis & concionibus, cum Christi præsentiâ, sermonibus tanti
Domini cælestibus, miraculis infinitis excitarentur, & confir-
marentur

marentur ad cultum & honorem Messiæ tribuendum ; sic duro ac ferreo pectore fuerunt, vt ab illo prorsu alienati, prorsus ab illius abhorrerent honore. Itaque non modò non curarunt Iesum colendum suspiciendumque ; sed neque legem illius sanctissimam debita religione veneraudam, sed eiiciendum exterminandumque ex finibus humanæ naturæ putabant : quòd ad illorum cupiditates domandas, effrænatasque libidines comprimendas, ad demissionem, ad patientiam, ad consummatæ sanctitatis absolutionem viam rectam ac directam, carnis effrænatis indomitisque cupiditatibus aduersam & infestam ostenderet. Progressa fuit igitur eo Hebræorum cæca & præceps temeritas, vt palam iam, & in circulis suis de Christi Iesu exitio ac pernicie consilium inirent : neque desiterunt, quoad comprehensum flagris discerpserunt, dilaceratum virgis ac dilaniatum spinarum aculeis diris simis transfixerunt, transfixum attritâ nimium contemptissimaque purpurâ per summum dedecus induerunt, inter duos latrones interiectum summo cum probro ac dedecore, tanquam perturbatorem vrbium ac populorum, seditiosum ac turbulentum hominem, in crucem egerunt. Quid dicam amplius? conferte modò Regum sanctitatem, cum Hebræorum prauitate : Regum fidem sanctissimam, cum Hebræorum perfidia sceleratissima : honores à Regibus tantæ Maiestati delatos, cum Hebræorum probris & iniuriis Domino eidem assertori imprudenter & audacter illatis. Denique comparate iter Regum, labores susceptos, adita pericula; cum Hebræorum ingratis animis, cum labe tantâ ac peste mortalium, etiam non homines, sed belluas ; neque belluas duntaxat, sed post orbem conditum monstra portentaque dirissima in figura hominum latentia recognoscetis. Quemadmodum Reges ex longissimis terrarum partibus adoratum puerum & infantem Iesum venerunt : Hebræi suis in sedibus natum, & in hanc lucem spreuerunt. Reges gubernacula suorum imperiorum abiecerunt : Hebræi diuinas vtilitates & commoda accepturi, Iesu beneficia repudiarunt. Reges hyemalis temporis iniurias, niues atque pruinas superarunt : Hebræi nullum iter facturi, non fines egressuri, sedibus suis, atque adeò intra vrbis mænia cum illis postea versantem repudiarunt. Reges vnius duntaxat syderis aspectu deducti fuerunt : Hebræi tot Vatum Diuinorum prædictionibus, tot responsis & oraculis fidem habere noluerunt.

Denique

Denique Reges iacentem inter pecudes, & plorantem vagientemque diuinis honoribus affecerunt: Hebræi sæpius aspectum, & sanctitatis laude celebratum, tot miraculorum multitudine præcellentem, & diuinitatis tot signa cœlestia passim edentem, non modo non coluerunt; sed ferro & insidijs vitam eius & sanguinem apperierunt, neque destiterunt, quoad sustulerunt in crucem: tanta fuit illorum rabies, tanta & tam ferina crudelitas.

Quintum genus per inductionem, & enumerationem, cùm plura exempla conglobantur.

QVantum displiceat Diuinæ Maiestati libidinosus, intelliget facile, quicunque sacrarum recordatus fuerit monimenta litterarum. Dauid captus amore Bethsabeæ vxoris Vriæ, non solum adulterij, sed homicidij labe inquinatus, populum ingenti prope internecione confecit. Amon filius Dauidis, supplicio parentis non edoctus, propter illatum sorori vitium, mortem sibi libidinis impuritate consciuit. Absalon concubinis patris intemperanter abusus, non diu lucem vitæ iucundissimam aspexit. Cum Salomon in mulierum amorem cæcus ac præceps ferretur, ad idolorum cultum abiecit sese temerarius & amens. Sodoma & Gomorrha finitimæque ciuitates propter libidinis faces ardentes flammarum ardore conflagrarunt. Quin illas ingentes aquarum alluuiones, quæ, instar montium crassissimorum aquis tumentibus, quadraginta dies ac totidem noctes horrendo fragore fine intermissione prolabentes, terrarum omnium sola oppleuerunt, obruerunt que paucis exceptis, vniuersi generis amantium interitu miserando, execranda libido præcipites egit in terrarum sola. Mitto aliorum libidines, exemplis supplicijs que testatas grauissimis.

Sextum genus cum Assumptione exempli contrarij.

REcordari quidem debemus Abraham, Patris cunctarum gentium maximi, labores & difficultates maximas, afflictationem, vexationemque plurimam, & æquo ac patienti animo toleratas malorum acerbitates: quibus amicitiam

citiam Dei non collegit solum, sed conseruauit, & auxit maximam ac memorabilem. Ita quidem Isaac, ita Iacob, sic Moyses, & omnes egregiè fideles amici, & singulares Diuinæ Maiestatis administri, laboribus susceptis, periculisque plurimis aditis grati ac periucundi Deo fuerunt. Qui vero succubuerunt oneri, nec contentionem & constantiam in laboribus retinuerunt, hi deserti quidem, & adeò derelicti ex bonorum numero deleti, & obliuione sempiternâ obruti fuerunt, ignominiam & supplicium sempiternum propter hanc abiectionem animi, debilitationemque subeuntes. Ergo nos magno animo, & erecto simus, ad iniurias omnes libenter patienterque in posterum pro Christi Religione tolerandas.

Septimum genus tractari potest, si prius persona, aut gens, aut natio, aut auctor exempli laudetur; sed laudatio debet esse breuis, & ad id, quod agitur, apposita: deinde introducendum exemplum, idque cum aliquo eloquentiæ splendore, verborum ornatu grauitateq; : postea ad rem accommodandum, idq; ea ratione, vt recte explicetur, qua in re vel par vel impar videatur. Ad hæc adhibenda amplificatio per comparationem, hic interseri possunt sententiæ, siue Epiphonemata, siue acclamationes, quæ mirificè orationem exornabunt: denique peroratione concluditur.

Exemplum paupertatis B. Francisci.

CVm B. Franciscus, Princeps & Antesignanus sacræ Minorum familiæ, multa præclaraque perfectionis absolutæ suis omnibus alumnis & filiis, iter Religionis difficile & arduum ingressuris, & quâ ille volebat suâ celeritate contentioneque facturis, quæ peterent, & imitarentur, exempla relinqueret, tum illud paupertatis mirandum & singulare iniens suæ traductionis cursum, proposuit, cùm, inspectante Pontifice, vestibus se suis exuit, & patrimonio libentissimè abdicauit. Quod scio vos, de paupertatis materiâ quidquam audire cupientes, lætis animis excepturos esse. Diuus igitur Franciscus, initio traductionis suæ, cùm ferueret flagraretque maximè

maximè Christi Iesu virtutis imitandæ summa cupiditate; multa faciebat, quæ patri, tantæ virtutis ignaro, & sæculi rebus ac negotiis implicato maximè infesta fuerunt. Atque cum Franciscus pecuniis pauperum inopiam & egestatem subleuaret, id pater ægrè ferebat, quippe qui putaret diuitias arte mercatoriâ, & ob eam causam industriâ suâ, multo labore partas, à filio dissipari & effundi. Cùm Franciscum ergo ad suam sententiam adducere non posset, neque à proposito traductionis initæ reuocare, post multas actiones, quibus filium ab instituto suo abducendum auocandumque frustra tentauerat, post obiurgationes acerbas, post carcerem, post vincula, filium ad Ciuitatis Pontificem deduxit, vt bonis, quæ sibi hæreditario iure obueniebant, abdicaret sese. Quod Franciscus libenti ac læto quidem animo fecit, & in oculis, in ore Pontificis, vestibus seipsum exuit, confirmans ab illo tempore, verius & constantius se Deum immortalem, nomine & honore Patris affecturum esse. Quem vbi Pontifex nudum & spoliatum vestibus aspexit, tenere lachrymas, inspectante patre ferreo, non potuit. Accedere statim videres Pontificem ad Franciscum, suo pallio tegere, multa cum lachrymis ac sensu maximo dicere, medium amplecti, constringere brachiis arctissimè, nec dimittere, nisi tectum, & opertum veste, quam famulos afferre festinanter iusserat. Hæc eo spectant, vt alumnis familiæ Franciscanorum paupertatem maximè colendam studioseque complectendam curarent. Vnde profectò in sacrum tantæ Religionis Ordinem cooptati, traductionis principia dare visi sunt, rerum humanarum, atque diuitiarum præcipuè copiis omnibus nuntium remittentes: vt præsenti exemplo B. Branciſci moneantur, de veste statim mutanda, tantum abest, vt quidquam rerum, quibus in sæculo fruebantur, in ædem religioni sacram inferendam secum tyrones putent. Atque patrimonium amplum & copiosum, quod à parentibus accepturi essent, valere statim iubeant, valere diuitias, & opes omnes, quibus copiosi ac benè nummati, rebus omnibus affluentes, abundare videntur: ita tamen sibi persuadeant, Religiosorum more præscriptioni busque vitam in posterum agendam esse, vt ab omni rerum cupiditate nudati spoliatique, in summa semper inopia mendicitateque sint: eos cibum, vestitum, & quæ sibi opus fuerint, ad corpus alendum sustentandumque, mendicissimorum vsitata consuetudine, corrogare debere. Et præsens exemplum

plum, si verè considerare voluerimus, altius in animis inhæ-
bit, cum B. Franciscus, Diuino Spiritu afflatus, primæ insti-
tutæ vitæ cunabulis, in ipsius incuntis traductionis suæ primor-
diis, in tantas paupertatis angustias adducere seipsum volue-
rit, & illud ad imitandum suis alumnis exemplum proponere,
quod laudarent omnes, quod valde mirarentur, quo maius
nullum statuere posse videretur decursu temporis, cùm eò
paupertatis progressus fuisset, vt quod in istius virtutis abso-
lutione summum esset, & præstari posset, cœlesti ac diuino
afflatu fecisse videretur. Quod si B. Franciscus vestem à popul
pompa longè remotam, & mortis memoriam colere cinericio
statuentem ante suorum alumnorum oculos delegit; si diuitiis,
& pecuniis omnibus, atque hæreditatis expectatione vacuos
& solutos filios esse voluit; si denique suos hic agere inter mor-
tales, vt vicatim & ostiatim victum corrogarent, & præter
Deum & opes cœlestes nihil expectarent in vita: quidquid
proprium paupertatis, & ad tantæ virtutis absolutionem spe-
ctat, id totum, & summa cum præstantia facto præsenti pul-
cherrimo continetur. Atque ideò maiore laude celebrandum,
quo magis singulare factum fuit, & à cuiuscunque Religio-
nis parente, quoad longissimè possumus memoria repetere
sacrarum monimenta familiarum, & parentum cunabula pri-
ma recordari, nunquam ante illud tempus sine dubitatione
factum. B. Dominicus parens fuit & auctor Concionatorum
Ordinis, & cœtus ita Religiosorum coegit, & ad perfectæ vi-
tæ seueriſſimam disciplinam adduxit, quanquam non tanta
cum paupertatis absolutione rebus huiusce sæculi sese abdica-
uerit. Princeps ac Patriarcha Sociorum Iesu, noster Beatissi-
mus Pater Ignatius, mutauit vestes huiusce sæculi, nondum
instituto Religionis ordine, cum contemptissimo sorditato-
que cuiusdam mendici vestitu; patrio solo, laribus paternis e-
gressus, & id fecisse constat sanctissimum Ignatium post
Francisci factum pulcherrimum, & planè diuinum exemplar.
Quare quod hisce paupertatis angustiis vrgeri suos voluerit;
quod idem Franciscus Regulam tam arctam, & tanta paupe-
tatis religione constringentem alumnos delegerit; quòd illo
virtutem hanc, & delicias, & suauitatem suam, quòd de-
cus & honorem religionis, quòd matrem appellandam,
& tanquam matrem diligendam statuerit; quòd in tanto
pretio & æstimatione habendam, milites illius Ordinis

principiis

principiis istius facti præstantissimi glorioſis progressiones tantas, & paupertatis absolutionem admirandam referent acceptam. Sed quid præsens cum aliorum Heroum maximorum exemplis confero? Cùm illud quantam habeat laudem testari Christus voluerit in ipsis vagientis infantiæ cunabulis, qui nostrum omnium similis hac in re, id est, nudus exierit in hanc vitam. Cum Virgo sanctissima, nudum, bellum, & aureum infantem, manu sua confectis indumentis coopertum, & fasciis deuinctum constrictumque inter pecudes anhelantes in præsepio collocauerit. Cùm idem Christus Iesus sublatus in crucem, nudatus & spoliatus vestibus, inter duos interiectus latrones, animam exhalauerit, reprehendens ac damnans celebritate facti præstantissimi quoscunque diuitum ac potentissimorum hominum lectos mollissimè stratos. Quod factum Franciscum etiam imitatum fuisse scitote, cum humi iacens, terram duram & asperam ad extremum spiritum edendum præ mollissimo lecto delegerit, nimirum principiis exitus vitæ congruebant; atque, vt introitu decurso, sic in exitu Franciscum Christus Iesus actionum suarum imitatorem magnum & præcellentem habuit. Ita quidem non immerito clauem Religionis, ærarium diuitiarum cœlestium, præsidium, ac propugnaculum contra teterrimos dæmonis incursus, Magistri nobiles, Doctoresque perfectæ Religionis paupertatem appellarunt. Qui sunt virtutis tantæ studiosi, qui diuitiarum cœlestium appetentes, ipsi præcipuè sacrarum alumni familiarum factum hoc B. Francisci præstantissimum imitandum ante oculos proponant, vt quibus ille gradibus ad tantam vitæ sanctissimæ præstantiam ascendit, ipsi bonorum paupertatis principes facti, cumulo multarum maximarumque virtutum sanctimonium adaugeant.

☞ *Ex superioribus constat, Exempla, similitudinesque aliquando tractari propositione, assumptione, conclusione; aliquando pluribus, modò comparatione, modò conglobatione, denique aliorum exemplorum expositione, cum testimonio & peroratione breui: accipe alia iam genera amplificandorum ad orationis ornatum exemplorum.*

Octauum

Octauum genus ex Antecedentibus.

VT Pharao quondam cum equitatu suo mare rubrum transire properans, in medio cursu cum suis equitibus, insolenter multa iactantibus, ingentem Iudæorum stragem, ac mortem clamoribus magnis minitantibus, obrutus fuit aquis, quæ instar muri constiterant, & Israelitis transitum præbuerant, in suum locum mirâ celeritate redeuntibus; sic olim Tyranni vim omnem suam, & furentes impetus, quibus tædis furiarum ardentibus agitati in Christi Martyres inuictissimos inuaserunt, Diuini Numinis prouidentiâ, & multis etiam miraculis confestim editis, fractos ac repressos viderunt: at dum Martyres suppliciorum inauditis acerbitatibus conficere studuerunt, ipsi constantiâ Martyrum victi superatique ceciderunt, & sæpe quidem, malis in suum exitium pestemque conuersis, pœnas suæ crudelitatis iustas ac debitas persoluentes.

Nonum genus ex Consequentibus.

MIramur profectò, quoties legimus, & audimus Cn. Pompeium tribus gloriosissimis triumphis clarum & insignem, ab Ptolemæo Rege per summum scelus & perfidiam proditum atque desertum, atque hunc omnis memoriæ facillimè Principem Imperatorum obtruncatum in Alexandrino littore iacentem, sordidatum multo puluere, ac suo sanguine fœdatum, spoliatum veteri gloriâ victoriarum, & trophæorum honore glorioso, tot honorum & imperiorum, quæ per omne suæ vitæ tempus gesserat, insignibus ac felicitate carentem. Quem qui aspexisset, lacrymas tenere non posset, recordans antiquam & secundam Cn. Pompeii fortunam, tantum decus, & amplissimam dominationem in orbe terrarum principe ciuitate consequutam, & hoc tragico calamitosoque fine terminatam. Sic equidem multi quondam Romæ mirati fuerunt secundissimas C. Cæsaris togæ militiæque progressiones, & honores eiusdem habitos, & gestas Populi Rom. dignitates, imperia summa, præclaras victorias, triumphos insignes, trophæa monimentaque rerum præclarè gestarum locis statuta celebrioribus, ad nominis memoriam sempiternam, ac denique Orbis terræ vniuersi imperium, Pompeio Impera-

tore, cunctsque Regibus & Imperatoribus bello deuictis obtentum; sed eodem etiam modo, cùm mortem illius miserrimam audirent multi, & recordati essent consequuta nominis & honoris ornamenta magnificentissima, lachrymas profunderent. Multi qui viderent in curia iacentem, multis vulneribus confectum, & sanguine multo manantem Cæsarem spectaculo misero luctuosoque commouerentur, non pauci etiam essent qui lacrymarentur.

Decimum genus ex Adiunctis.

SCientissimus & experientissimus nauis gubernator, ita nauigare solet, vt manu clauum teneat, & dirigat cursum nauigationis suæ, atque in puppi sedens, scindat fluctus maris vastissimi, & obseruans motus astrorum, flatus ventorum, signaque omnia, quibus tempestas aut tranquillitas prædicitur, insulas, portus, locaque omnia feliciter præteruectus, nauim in tuto collocat. Simillima est Sanctorum ratio, qui gubernacula virtutis tenentes, neque à vero vnquam Sanctitatis cursu deflectentes, mare immensum & profundum huiusce vitæ nauigant, & quidem obseruantes semper & speculantes motus carnis, procellas dæmonis, & turbines huiusce sæculi, quos clauo virtutis fugientes, nulla naufragia faciunt, & flatu Diuini Spiritus Charybdes, Scyllas, & scopulos præteruehuntur, sine vllâ animorum offensione portum Beatorum felicissimum secundâ nauigatione tenentes.

De aliis rationibus amplificandi ab exemplis, & testimoniis, quæ remotorum argumentorum nomine continentur.

Genus primum ab Exemplis per testimonia.

VLysses Græcorum rem adiuuisse, inimicorum insidias exploraſſe, cepisse Troiam, victorias, quæ sine operâ sua deletæ ciuitatis, & flammis extinctæ, comparari non poterant, se reportasse confirmat, testantur Græci vniuersi, fortitudinem

dinem, & eloquentiam, quam habebat, spectatam, & diu cognitam commendant. Principes, milites omnes, summi, medii, & infimi, auxilium meum expetiuerunt, me defensorem suarum rerum, me speculatorem suum, me legatum causarum prope perditarum, me indicem Achillis, auctorem Iphigeniæ è sinu matris & complexu abstrahendæ esse voluerunt: sunt testes viri fortissimi nostri exercitus, & Magnates aulæ, & consilij Agamemnonis, quos omnes à me nominari non est necesse. Aliquos eorum, qui adsunt, appellabo, quos, si mentirer, testes esse impudentiæ meæ vellem. Scit is, qui est in consilio Diomedis: scit is, quem superstitem adesse gaudeo, frater Aiacis Telamonii: scit Teucer sagittandi peritissimus: scit Menelaus, frater Imperatoris Agamemnonis, qui duo consilio & fortitudine Vlyssis maximè nitebantur, quod ad virtutem vim rationis adiunctam esse videbant: Hi sciunt non modò à me opem latam fuisse rebus Græcorum, sed ita semper, & ita vehementer esse latam, vt aut re infectâ in patriam fuissent Græci reuersuri, aut si, quod cernunt, effectum dari voluissent, auxilium Vlyssis implorandum. Sed quid ego his testibus vtor quasi res dubia aut obscura sit? Adsunt homines ex tota Græcia fortissimi, qui præsentes testantur atque confirmant, suoque nutu, gestuque idem significare videntur, vt in armis deferendis cunctorum iudicium nulla in re ab Vlyssis oratione discrepet, omnium ordinum atque Ducum fortissimorum dicta testimoniaque conueniant. Excipio aliquos, & hos Aiacis studiosos. Omnium autem maximus sit Agamemnon, qui huic nobilitati princeps, & vniuersæ Græcorum multitudini præest, qui quoties Vlyssis desiderauit opem, semper præsto adfuit: quoties opem postulauit, nunquam non Vlyssem tulisse tellabitur.

Secundum genus ab auctoritate maiorum.

OPtimi Religionis nostræ Pontifices temporibus periculosissimis hoc sibi amplissimum pulcherrimumque duxerunt, à contaminatis & labe hæreseos infectis partibus, quæ in Lutheri aut Caluini sectam transierunt, pestem omnem auertere; eorumque nefarias opiniones confutare. Diuum Thomam Cantuariensem, illum sanctum Pontificem, fortissimum & inuictissimum Martyrem, cum Regibus Angliæ gra-

ues contentiones habuisse accepimus, propter Romani Pontificis, qui ab illis cum Petri auctoritate spernebatur, defensionem. Similiter scimus sanctissimum Damasum hostibus fidei propter Ecclesiæ Romanæ dignitatem animum ostendisse maximum. Neque enim animos hominum nefariorum, & à religione deficientium quidquam magis perfregit, & labefactauit, quàm hæc bonorum Pontificum assiduitas, atque permanens in defendendâ religione constantia. Hos timebant nequissimi hostes, hos exhorrebant, hos ferro, vi, insidiis aut palam delendos extinguendosque curabant per audaces, & impudentes, in cædibus exercitatos, per Reges & moderatores suos, hæreseos iam labe aspersos: sed à defendenda Religione conseruandaque nostros Principes non pericula, non mortes auocabant: tum, cùm Athanasius, insidiis omnibus ad mortem appetitus, in sepulchris delitescens occultissimis, & exul & extorris à regno, terrâ marique ad necem deposcebatur: tum, cum Leander Pontifex, genere, litteris, virtute, sanctimonia rebus gestis amplissima, posteaquam Ermenegildum Principem ad fidem traduxit, exilio mulctatus est: vnde litteras ad fidei Christianæ cultores mittere non desistebat: iure tum florebat Christianorum Pontificum nomen, iure decus Pontificiæ dignitatis his defendebatur, iure virtus & constantia horum Ecclesiæ Præfectorum & amplitudo Regibus, & Imperatoribus improbis terribilis videbatur.

Tertium genus ex variis testimonijs.

AN iste in locum aliquem ascendisset, nisi de vobis tot & tam præcla a testimonia habuisset? Quo maiore etiam, si fieri potest, apud vos in honore esse debet, quàm est apud alios homines & peregrinos. Cum litteris, iudicio, virtute, & existimatione omnes nostros homines excitauerit, & vos illorum similes, & quælibet ciuitas idem existimauerit. Cui homini per Deum immortalem, Patres grauissimi, fauete magis, & opitulamini, oro obsecroque. Videtis tempus opportunissimum vobis hoc diuinitus datum legationis esse, vt sapientia, honestate, iudicio, & existimatione vestrum ordinem cumuletis. Nulla maior virtus, nullæ meliores litteræ, nullum denique accuratius existimatur esse ingenium. Itaque à populo vniuerso cognoscitur, laudatur, grauibus honorificisque exornatur præconiis: neque enim vllum

vllam aliam ob causam populus hos de hoc homine sermones illustres tanto studio spargit in vulgus, quàm vt honorem hunc a vobis, accipere videatur. Neque hoc ab equitibus, & flore nobilitatis, à vestris parentibus, propinquis atque cognatis, viris splendidissimis & ornatissimis tantopere contenderetur, nisi in decernendi huiusmodi legatione, istius ciuitatis existimationi ab equitum flore factum satis voluissent, & apud exteras nationes suam auctoritatem retinere. Ipse denique Prætor, qui præsens est, neque me vllo modo mentiri patietur, cum primum rem hanc ad vestrum ordinem detulit, vbi id quod maxime spectabatur ostendit, se suffragium huic homini laturum esse, factus est in eo strepitus & grata vestrum omnium admurmuratio. Idem in eadem oratione cùm dixisset, graues & illustres homines requiri, litteratos atque sapientes, & existimatione, & opinione apud tantam tamque florentem ciuitatem claros, his ornamentis hunc esse præditum, qui vestro honori prouidere & consulere vellet, tum non strepitu, sed maximo clamore vestram de mittendo legato nobili Ioanne significauistis voluntatem. Nunc autem homines in speculis sunt, obseruant, quemadmodum se vnusquisque vestrum gerat in suffragiis ferendis, & in legato decernendo: vident adhuc post multa sæcula ad huiusmodi negotia nullum à vobis non esse delectum satis idoneum, quod tametsi condemnant, non tamen magnopere, quod admirentur, habent. Quæ enim est admiratio, ibi iustitiam seruare, vbi, quid faciendum sit, leges ipsæ iuraque decernunt. Hæc est legatio, in quâ vel in legato populus vniuersus de vobis iudicabit. In hoc homine statuetur, possitne alijs competitoribus propinquis atque gratiosis contendentibus homo litteratissimus ornatissimusque omnium decerni. Deinde erit huiusmodi legatus, in quo homine nihil sit præter summam Iurisprudentiam maximamque virtutem, vt si delectus fuerit, nulla alia vox, nisi ea, quæ sit honorificentissima mitti possit: non gratiâ, non cognitione, non alijs rationibus, non denique minimâ ambitione illum honorem consequutum eum fuisse. In quo sic causam litterati ago, & eiusmodi de illo res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas profero, vt nemo à vobis, vt alium deligatis, per summum ius valeat contendere. Habeo cunctorum etiam scholasticorum carmina plura composita, titulos in parietibus incisos, quibus omnium vestrum suffragia contendere

atque consequi possit. Constat enim inter omnes etiam adolescentes nullum hac sapientia, hoc splendore atque dignitate legatum mittendum fuisse. Quamobrem primum a Deo immortali (quod sperare mihi videor) hoc idem Senatores peto, vt in hac legatione nemo alius præter hunc, qui iam pridem omnium opinione delectus est, decernatur; deinde si mittatur; hoc vobis, hoc populo Hispalensi, Senatores, confirmo, vitam proculdubio sibi prius, quàm studium, fidem, diligentiam, ad legationem vestram obeundam defuturum. Quem vos sapientiæ, litteris, iudicio, auctoritati, existimationi, splendori & ornamentis huiusce viri honorem tributuros esse confido: hunc vt cæteri tribuant, tu Prætor primus omnium suffragaturus, latione suffragij tui præeunte prouidere potes. Omnes suscipite causam ciuitatis, suscipite causam Reipub. integritatis, fidei, iustitiæ, suscipite causam vestri Senatus; vt is huic probatus videatur esse. Cogitate, qui sitis, quo loco sitis, quid dare populo Hispalensi, quid reddere maioribus vestris debeatis, facite, vobis maiorum gloria veniat in mentem, quorum auctoritate, atque virtute, in optimis iudicijs faciundis, viris idoneis deligendis, integerrimis præstantissimisque hominibus mittendis nunquam aberrabitis. Circunstant summæ auctoritates, quæ obliuisci vos laudis domesticæ non sinent, quæ dies noctesque commoneant illustrissimos vobis, Patres, pro hoc Senatores, integerrimosque moderatores fuisse. Quare si sapientiam maiorum vestrorum in constituendâ Republicâ, præclareque gerendâ recordati fueritis, si eorum etiam prudentiam ad prospiciendas Reipub. partes, quæ seruari debent per vos incolumes & integræ, si fortissimorum constantiam, vt ne quis vos de verâ & certâ possit sententiâ dimouere; intelligetis Senatores, integerrimo atque honestissimo, grauissimo & splendidissimo, prudentissimo & litteratissimo Doctori ei legationem dandam esse: qui cum eam susceperit, ad animi vestri sententiam, & ad Reipub. Christianæ vtilitatem perficiat.

Quartum

Quartum genus amplificandi, ex locis remotis à testibus.

HVnc hominem in nostrâ Academia qualem ac quantum habuerimus, credet alumnis Collegii trilinguis iste consessus auditorum frequentissimus : qui ad vos producti testes, ipsis audientibus ab isto elegantes & disertas orationes, quæ Ciceronis eloquentiam saperent, habitas esse in suo Collegio dicent; credent omnes ordines, & cœtus istius Academiæ, huic augustissimo frequentissimoque orbis gentium theatro, quo vocibus tanti oratoris personante multos laudatos fuisse constat. Audietur à corona Complutensium auditorum studiosissima præceptor eloquentiæ Primarius, vir eloquentissimus Ildefonsus Matamorus, qui discipulum suum, absentem ab Academia, cùm eum Burgis amplius sexcentis nummis aureis ciues præceptorem haberent, Rhetoricemque interpretantem audirent, pro Academiæ præcipuo quodam honore dixit hunc in scholas fuisse reuocandum. Probabit fidem & auctoritatem suam laurea Doctoris afficiendi, qui cùm omnibus numeris ablolutos oratores ad lauream decorandam haberent, hunc præcipuè appetuerunt, & efflagitauerunt omnes. Horum ego testimonium, cùm commendem eloquentiam huiusce hominis de loco superiore, non producam, ne aut istum vis vlla vel temporum iniuria de spe obtinendæ cathedræ deiiciat.

Quintum genus amplificandi ab exemplis in fine vsurpandum post alia argumentorum genera illustratum Præteritione.

QVid ego de Romulo loquar, qui bellicis rebus imperium Populi Romani constituere cœpit? Quid de cæteris Regibus, qui vrbem ornatissimam, bella gerentes, Romam facere non destiterunt? Quid de Scipionibus Africanis, & Asiatico, qui Carthaginem & Asiam Populo Romano pepererunt? quid de Pompeio, qui tres egit triumphos de tribus orbis terrarum partibus, vi Martis & fortitudine subactis? Quid de Camillo, qui Gallos occupatos in auro appendendo partim fugauit, partim extinxit, patria pauciſſimis exercitus dissipari reliquijs misera seruitute liberata?

Quid de cæteris Romanis Imperatoribus, qui prouincias pulcherrimas atque ornatissimas, plenissimas rerum omnium ceperunt, omnesque gentes sub Imperium Populi Romani ditionemque subegerunt? quorum fortitudinis inuictæ trophæis ac monimentis vrbem Romam, templa Deorum, omnes Italiæ partes, & sola terrarum vniuersa cum exornata fuisse maiorum Annalibus accepimus, nihil est, quod de laude bellica dubitemus. Nisi verò hæc cuiquam nimis antiqua, & iam obsoleta videantur: ita enim æquabiliter omnes Romani erant huiusmodi, vt hæc laus eximiæ virtutis, & spectatæ fortitudinis & solùm Romanorum, & temporum illorum esse videatur. Alexander Magnus Imperator inuictissimus, maximis rebus gestis, animis vestris adsit de re bellicâ fidem apud vos habiturus. Quòd si hæc non placent, nostrorum militum Hispanorum exempla recentiora profero in Flandriâ, in Indiâ vtraque, in cæteris terrarum locis, in mari quocunque propinquo disiunctoque. Illi militarem virtutem suis egregijs facinoribus ostendant atque testentur.

Sextum genus amplificandi ab Exemplis per enumerationem, cùm adhortatione & præoccupatione.

PRopugnatores Religionis, qui esse constituerunt, permanent illi semper, si boni sunt & fortes, atque omnia Fidei Christianæ causa perferunt. Qui debent esse tales, qualis Sebastianus Martyr inuictissimus fuit, qui à primis temporibus vsque ad extrema Præfectis omnibus Tyrannorum restitit; quem nulla vnquam vis, nullæ minæ, nulli tetrores labefecerunt: & qualis D. Laurentius, Discipulus Sixti Pontificis, qui cum Pontifici tanto se ministrum diligentem & assiduum præbuisset, cumque præceptorem suum ad mortem contendentem comitaretur, cumque mortem illius quàm maximâ voce, vt omnes audirent, efflagitasset, triduo post Martyris lauream, flammarum ardore superato, fuit adeptus. Atque Sanctorum exempla, quorum est infinita copia, digna Christianæ Religionis amplitudine, relinquam, neue plures eorum, quos poteram, nominem. Ex quibus Stephanus Protomartyr fuit, quem neque corporis comprehensio, neque vestium spoliatio, neque lapidum incre-

incredibiliter crepitantium grando, neque vis inimicorum inflammata, potuit minimum de suo cursu, studio, atque sententiâ dimouere. Hos imitamini, Auditores, per Ducem Christum Iesum, qui dignitatem, qui gloriam, qui præmia Beatorum quæritis. Hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia. Hæc claritate cœlesti illustrantur, hæc cum sæculorum omnium æternitate coniunguntur. Est labor? non nego: pericula magna? fateor: multæ tempestates? mors ipsa impendet bonis omnibus? verissimè dictum est. Sed quæ præclariora sunt, & æterna, carius constare debent.

Septimum genus amplificandi ab Exemplis, ex Enumeratione, Præoccupatione, Hypotyposi, & Præteritione in Fine.

VIdetis igitur bonitatem, virtutemque Religiosorum Diui Dominici, quorum est institutum spargere semen Diuini Verbi; qui maximè suggesta templorum occupant, atque frequentant; hi semper ad animorum salutem incumbunt. Franciscani idem officium faciunt vno prope tempore, ad stabiliendam sustinendamque Fidem. Augustiniani in eodem munere & officio versantur, eadem munia frequenter assidueque præstando. Ego de commilitionibus Societatis Iesu loquar, quorum tam proprium est Religiosorum, vt miseris & calamitosis temporibus, omnia Lutheranis perturbare conantibus, ad salutem animorum procurandam, Iulio Pontifice Romano, hoc nomine Tertio, Religionem comprobante, fuerint ad Ecclesiæ defensionem ingressi, duce & Antesignano Fundatore suo Beatissimo Ignatio, Confessore Patriarchaque clarissimo. Quantus autem breui tempore nostrorum Religiosorum numerus, quanta multitudo ad primorum Patrum paucitatem aggregauerit sese, quibus in locis, quàm distantibus sedes habuerit Societas Iesu, nisi omnibus fuisset notissimum, datus erat locus dicendi: sed quia notiora sunt omnibus, qui ista legerint, quàm mihi, qui dicere potuissem, eo quidem libentius relinquo. Atque ego istud non vereor, ne quid milites Mercenarij, ne quid alumni sanctissimæ Triados Religionis, & cæterarum familiarum religiosi filij in salutem animorum non contulisse videantur: Nam præterquam quod ijdem faciant, quod à me nominati sacrarum familia-

rum nati faciunt, omnino à suis institutis captiuorum ab hostibus redimendorum, & alterius generis formâ ab adiuuandis animis recedere non videntur. Cùm ipsa seruitute homines multi sæpe oppressi sint, cùm nulla sit spes recuperandæ libertatis, ne fidem deserant, huic malo Fratres huiusmodi obuiam eunt, & quis neget eos animorum saluti hac etiam ratione suam operam nauare? Quin etiam illi, qui Carthusiani dicuntur, cùm à sæculi celebritate remotissimi, diuinæ contemplationi vacent, hoc idem facere dicuntur: cùm in ope diuini numinis imploranda tantum sit ad virtutis exercitationes ponderis atque momenti. Ego si cui dubium esset, quod dico, hæc dicerem. Videte mortales, quantam & quàm maximam diligentiam adhibeant omnes illi, qui solitudinem etiam quærunt, pro vestris animis ex dæmonis seruitute liberandis, cùm Carthusianorum, cùm aliorum, qui solitarij sunt, & in agris vitam agunt, sanctissimæ & antiquissimæ familiæ, quæ suis institutis, & præscriptionibus tam ab vrbibus, & populis disiunctæ, vt non solùm hominum celebritatem, sed etiam in ipsis hominibus priuatis aspectum ipsum oculosque fugiant, ea suis in precibus & obsecratione quotidiana nunquam omittere visi fuerint, quæ gloriæ cœlorum pariendæ, facere plurimum videntur, vt Deum ipsum orare, obsecrare dies noctesque pergant, vestros animos, vestrosque progressus respiciant. Recitarem præscriptiones cuiuscunque generis Religiosorum: laudarem in hoc alicuius institutum præcipuè, id quod verissimè possem: commemorarem multitudinem, & diuersitatem aliarum sacrarum Christi Iesu familiarum: eas omnes, aut actionibus suis inseruientes vestris animis, aut manus ad id impetrandum supplices ad Deum tendentes, cum conuenire videremini, quam illæ ferant, & auxilium præstent planè perspiceretis.

Octauum genus ab exemplis, cùm Enumeratione, tum repetitione ornatum, tum similitudine terminatum.

POssumus Christi Iesu in suos milites beneficia præclarissima multis argumentis comprobare: possumus testimonijs præsentiæ suæ, atque numinis obiecti viris sanctissimis in somnis, familiaritatis cum eisdem in diuinarum rerum contem-

contemplatione versantibus intimæ, aspectus sui de vita decedentibus exhilarantis reficientisque mirificè, testimonio vocis de cœlorum sedibus Paulo ad persequēdos comprehendendosque Christianos currenti & aduolanti missæ: comprobare possumus testimonio eiusdem Domini loquentis de Cruce cum Diuo Francisco, & iubentis fulcire labantem, ac prope cadentem Ecclesiam sustinere: sed istud quid beneficij, quid amoris in alumnum suum in genua procumbentem, & eidem Domino preces adhibentem, cum Seraphin de cœlo delapsus pedibus ac manibus, atque ipsi lateri vulnera sanctissima diuinitus impressérit? Quod dari certius potuit Iesu Christi in famulum amoris & beneficentiæ testimonium? Ipse Iesus Christus, Dominus ac Princeps aulæ cœlestis, Filius Patris æterni, effigies & imago Patris eiusdem viua satis, & expressa, quemadmodum in cera signum homines imprimunt, sui ipsius voluit in Francisco simulachrum expressum relinquere ad sæculorum omnium æternitatem.

Genus nonum ab Exemplis; cum causis & Contentione, repetitio in fine aliis etiam Exemplis.

ATque nunquam Populus Romanus Imperij diuturnitatem perferendam putauit. Exacti fuerunt Reges, quòd cum fascibus & apparitoribus ornati, cum regia potestate & imperio summo crudelitatem exercere, & gentem Romanam afflictare possent in perpetuum. Dictatoris nisi in sex mensibus vestigium nullum Romani esse voluerunt, quod per illud tempus, silentibus cunctis Magistratibus, & ipsis Tribunis mutis & elinguibus, atque adeò Consulis potestate debili & infirma, speciem videbatur habere Regiæ dignitatis. In Prouincias mittebantur qui succederent, Prætores & Imperatores creati, quòd superiores dignitates, Regiam & Dictatoriam, inde cum armis & multo milite ferrum & crudelitatem in patriam parentes, allectis militum animis, affectare posse viderentur. Vide quantum interualli sit interiectum inter Romanorum vetera consilia, & inter vnius Antonij factum fœdissimum. Illi Regiam dignitatem, primum decus Imperij, primum lumen Reipub. lucem & splendorem antiquitatis, imaginem & institutū parentum, Regibus exactis, & annuo

Consulatu

Consulatu constituto, sustulerunt in perpetuum: Antonius in conspectu Populi Rom. publicis Lupercalium anniuersarijs ferijs, in sellâ sedentem cum Imperatoria dignitate Iulium Cæsarem adit, supplex & ad pedes abiectus, seruientis similis, diadema capiti imponit, cum plangore populi. Neque hoc quidem didicit illâ funestâ die, cùm venditum atque mancipatum Tribunatum suum Senatorum consilijs opposuit, cùm mutatâ veste clam, & magnis itineribus ad Cæsarem aduolauit, cùm ipse etiam id temporis, vnà cum Caio Curione, spem salutis in fugâ rapidâ, incitataque posuit. Quid idem S. P. Q. R. voluit, cùm Tribunos plebis, cum potentissimos homines non alia ratione de medio sustulit, quàm pristinam libertatem retinere?

Decimum genus à testimoniis ad confirmationem, cum repetitione, & præoccupatione, & similibus illustrata.

QVid horum negari potest? adsunt Sodales Virginis Annuntiatæ summo studio, litteris, & virtute præditi, qui se non opinari, sed scire, non audiuisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicunt. Adsunt Assistentes duo, qui huiusce Præfecti creandi causa eo animo & mente perstiterunt, qui hunc Sodalitio præpositum vniuerso fuisse confirmant. Hic tu tabulas desideras Sodalitatis, quas singulis in renuntiationibus, creatis Magistratibus, Principe delecto, proferri scimus omnes? Et facilè quidem est ad ea, quæ dicimus, tabulas dare, quas nos habere non negamus, & cum hominum ita memoria confirmare, vt litterarum etiam auctoritatem proferamus. Et quanquam habeamus amplissimorum testium fidem, integerrimorum Sodalium testimonium, quod maximè facit ad laudem institutam, tabulas tamen, quas omnes plurimum valere scimus, non omittere constituimus.

Vndecimum genus à testimonijs ad eiusdem Confirmationis officium.

VIdes ex hoc esse numero, quem Vlysses in exercitum deduxerit, fortissimum hominem Achillem, & illis temporibus murum & propugnaculum Græcorum: ex hoc Aiacem,

Aiacem, & Teucrum, inuictissimos homines, & principes rerum gerendarum perficiendarumque: qui si tales ac tanta laude cumulati non fuissent, nunquam in illorum fortitudinem oculos suos Agamemnon Menelausque coniecissent. Ex hoc denique dicimus Diomeden fortitudine præstantem, & ex Græcis Ducibus fortissimum, Vlysse sapientissimo comitatum, qui non minus in acie fortiter versari solitus est, quàm in explorandis hostibus & eorum insidiis, quibus circumuenti sæpe Græci concidissent, nisi fortitudo Diomedis cum Vlyssis consilio coniuncta, opem maximam & præsidium attulisset.

Duodecimum genus ab Exemplis ad illustrandum.

QVam multos egregios artifices orationis Respub. Romana habuisse dicitur, atque ij tamen cum summi singulareque fuerint, O fortunatam, te, inquit, Romam, me consule, M. Tullius, quæ tuæ Reipub. me consulem sortita fueris; & verè. Nam nisi Ciceronis eloquentia extitisset, illa nox vna, quæ tenebras terris offuderat, nomen etiam Imperij Romani deleuisset. Quid suus ille Magnus, qui cum fortitudine fortunam adæquauit; nonne Ciceronem Consulem, extinctorem coniurationis Catilinariæ in reuersione suâ post tertiam orbis terrarum partem superatam magna laude cohonestauit? Et ipsi Ciues Romani summi, medij, & infimi, conseruatione patriæ commorati tanquam memores acceptæ vitæ fausta clamoribus Ciceroni sæpe plauserunt. Itaque credo si Cicero tantam eloquentiam consequutus non fuisset, vt patriam conseruaret, perficere non potuisset, vt Roma, cum Crassos & Antonios tantopere honorauerit, se principem eloquentiæ omnibus semper laudibus & honoribus affecisset. Quem populus in concione sæpe patriæ parentem appellasset, & huic Catoni honorem decernenti sæpius plaudere perstitisset. Quid à Catone, grauissimo homine, Senatore maximo, neque per se, neque per alios honorem impetrasset Cicero? qui præsertim vsque eo de suis rebus præclarè gestis dixerit, vt populum ad ornandum se decorandumque commouerit? Neque est hoc dissimulandum, quod taceri non potest, sed præ nobis ferendum summam Ciceroni auctoritatem

tem tribuisse Senatum, & optimum quemque maximè illius ornandi cohonestandique cupiditate flagrasse. Illi denique, qui patrio fato miserrimo hostes Ciceroni sæpe fuerunt, auctoritate Patrum, studio populi, consensione omnis generis, ordinis, & ætatum decretos honores Ciceroni tribuerunt.

Decimum tertium genus à testimoniis cum interrogatione.

TAm eram rudis & ignarus? tam expers sacrarum litterarum? nihil ex concionibus acceperam? nihil ex veterum & nostrorum hominum annalibus erueram? nihil ipse cogitando conferendoque fueram assequutus? Nesciebam vitæ breuem esse cursum, gloriæ cœlestis æternum? Cum esset omnibus definita mors, optandum esse, vt vita, quæ non multum duratura esset, Deo potius donata, quam reseruata ad tam exiguum curriculum videretur? Nesciebam inter Martyres plurimos hanc contentionem & studium fuisse pro Religione moriendi, vt alijs alij cuperent anteuertere, & præire modis omnibus: alij cum se indignos putauissent, qui hoc tanto dono ac munere per Deum immortalem afficerentur precatos fuisse vehementissime, ne eorum diuina maiestas indignitatem intueri vellet, sed eos oculis benignitatis & misericordiæ plenissimis aspicere? denique cum omnia veri cultores nostræ Religionis ad cœlorum gloriam, & ad Christi Iesu decus immortale retulissent, nec sine eo quicquam expetendum esse mortalibus in vita constituissent, mortem, quam etiam milites quondam in acie, & homines etiam nostri fortiter pro suo Rege profudisse videntur; ego Doctor Theologus, natus iam tot annos, & in rebus Fidei concionator antiquissimus, non appeterem? præsertim cum eius essem generis & gentis, ex qua Christiana Religio delata fuerat in vltimas oras regionesque terrarum, eamque retentam atque conseruatam ab initio susceptæ religionis semper integerrimè sanctissimeq; coluerim? Ex qua Beatus ille Laurentius propter animi magnitudinem Hispanus cognomento nuncupatus, decus & gloria Martyrum, post aliquot annos patria fortitudine præditus in vrbe Roma Sixtum præceptorem suum sequutus in supplicij vsque locum, pro Religione Christiana se deuouere cupiens, tamen à præceptore prædictum certamen, id est, crates accensas flammasque ardentes

ardentes fortiter subijt, constanterque tolerauit: ex qua innumerabiles alij Martyres partim Romanæ sedis defendendæ, partim Fidei Christianæ tuendæ causa mortem in varijs terrarum partibus, fortissimis & constantissimis animis oppetierunt. In qua Hispania ipse meminissem tyrannos multos in pueros, in virgines, in adolescentes, in viros atque senes, in omne genus hominum suam inauditam & execrandam crudelitatem adhibuisse, atque ipsa in terra ab hinc non multos menses ossa reperta fuisse, reliquiasque sanctorum, atque hanc nostram viderem nationem cognomento Catholicos Reges obtinuisse, de hisque iure quidem optimo præ cæteris gentibus gloriatam esse: Hæc ego & multa alia cogitans, cum me ad fortissimorum & verè Christianorum hominum nostri generis, atque patriæ decus conformassem, non poteram ad mortem subeundam pro Christo Iesu summa semper alacritate non animum confirmare.

Decimum quartum genus à testimonio cum simili exemplo, per has particulas, primum, deinde, inde.

MEmineram, Auditores, nostrum Ciceronem summum oratorem, atque ijsdem, quibus humiles, parentibus natum, ad Rempub. capessendam aspirantem, exeunte nondum adolescentia, cum prope vigesimum annum nactus esset, primo causam suscepisse Roscianam, deinde ad desperationem summam adegisse Chrysogonum, inde perorata causa cum victoriam consequutus esset ad inuidiam declinandam de ciuitate decessisse; atque illum eloquentiam suam, ne immatura concideret, ad salutem Reipub. & statum imperij conseruandum reseruasse. Ego qui (quemadmodum multi in Anglia, Elisabetha regnante, fame, siti, bonis, fama, capite periclitabantur) commodo non multo viuebam, quique ob eam causam de patria nonnullos annos decesseram, vt eidem postea in causa Fidei prodessem, nonne si vitam meam cum sanguine profudissem, patriæ profuissem meæ, in quo quidem nunc me redeunte, viuet mecum simul exemplum Fidei Christianæ, Religionisque conseruandæ?

Decimum

Decimum quintum ab exemplis cum minoribus ad exhortationem.

QVod si apud Romanos olim tantopere à Christianorum disciplina disiunctos non deerant, qui Rempub. contra tyrannorum crudelitatem defenderent, cum omnes, qui ita facerent, indignissima calamitates subirent: si Ciceronem illum parentem patriæ non deterruit à Repub. defendenda, nec Scipionis exilium, qui illud imperium tanto sui capitis periculo seruauerat, nec Camilli similis calamitas, qui vnus in exilio tamdiu fuit, quamdiu virum fortissimum eadem ad sui defensionem patria reuocauit, si summi etiam Athenienſis Reipub. viri, & inter illos Themistocles conseruatæ patriæ, & Aristides, vnus antiquorum iustissimus; si denique Miltiades non minori laude celebratus pro patria nullas calamitates adeundas recusauerit: quid nos Christiani facere debemus, primum ea gente nati, vnde orta fuit virtus, & honestatis amplitudo? tum in tanta gloria insistentes, quæ sæculorum omnium immortalitatem respicit? deinde ad eam gloriam perfruendam vocati, quæ tanta est dignitate, vt eam hominem abiicere, nihil aliud sit, quam bonorum omnium cumulo, & diuini numinis aspectu velle carere in perpetuum, & in omnes sæculorum æternitates in flammas ardentes, in omnes cruciatus, & exquisita se tormentorum supplicia dare? Homines Christiani, qui pro Religione capita opposuerunt, in tanta hodie gloria sunt, non in Hispania solum, sed apud omnes gentes, vt eos qui gloriam istorum, aut virtutis laudem sequuti non fuerunt nemo nominet; imitantium verò laudem omnes grata recordatione prosequantur. Quis mortalium sanctissimis hominibus pluris fuit robore, consilio, honestate, religione, virtute; factis admirandis, qui omnes pro fide Christi defendenda cum hostibus corporis deterrimis, & inimicis religionis Christianæ capitalibus per omne vitæ suæ tempus tanto periculo ac discrimine decertarunt? Imitemur Laurentios, Sebastianos, Vincentios, Stephanos, & Martyres reliquos innumerabiles, qui causam Religionis tantopere defenderunt. Repetamus præsentis vitæ voluptates, in sæculorum immortalitatem intueamur, id esse appetendum putemus, quod erit sanctissimum: cogitemus denique vitam esse breuem, & planè perituram, gloriæ cœlestis cursum æternum & immortalem.

De inum

De imum sextum amplificationis genus ad hortationem cum exemplorum collatione ex minore & enumeratione.

QVare Patres incumbite ad bellum istud graue & periculosum: circumspicite omnia mala, quæ impendent: nisi prouidetis, non hostis Fidenates, qui debilis & infirmus fuit; non Companus, qui primis temporibus nascentibus Reipub. toties aperto Marte vobiscum contendit; non denique Gallorum exercitus, qui si timeri solitus est, à Romanis tamen primo facto impetu suis viribus, nihil erat, quod metueretur deinceps; Sed imminet Annibal Carthaginensis, qui ad vrbem oppugnandum; ad capiendam, delendamque Rempub. ad Imperij sedem & domicilium in vrbem Carthaginem, si posset transferendum, iam inde à pueritia iureiurando constrictus venit. Versantur in Italia exercitus & copiæ suæ: castra collocantur in oculis & conspectu Romanorum: Saguntum sociam & amicam populi Romani ciuitatem, expugnauit, traiecit Alpes, sollicitauit multas Italiæ partes, multos concitauit, multa contra nostros homines fecit prælia secundissima, Capuam cepit. Inde post refectos & recreatos milites in vrbem nostram se venturum esse minitatus est. Id consilij cœpit, vt Roma capta nemo nec ad deplorandum quidem populi Romani nomen, neque ad lamentandam tanti Imperij calamitatem relinquatur. Hæc omnia Romani exploratores detulerunt, captiui confessi sunt, vos multis iam calamitatibus acceptis metuistis: primum, quod in Italia regnat, atque dominatur, neq; quisquã est, qui illius furori resistat: deinde quod nos in lacu Thrasimeno stragis in Romanis editæ adhuc deplorandæ finem non fecimus. Adhæc quod nos mœnibus ipsis, atque adeò intra mœnia ciuitatis compulit: tum quod eum exultantem, atque furentem neque Fabius Maximus compressit, non eiecit ex Italia, non repulit Carthaginem: maximeque quia nostras ille vires tantorum internecione militum, tot præliorum exitu secundissimorum, perdidit atque profligauit in multum tempus. Denique quia ab vrbe Capua dominari iam incipit, & potiri rerum: omnes autem nationes scientia tantorum malorum in nos arma capient, atque nos labefactabunt. Quare in tanta desperatione rerum vna dignitatis recuperandæ, & à

tantis calamitatibus respirandi ratio videbitur, si ad obsidendam Carthaginem mittatur Scipio, & quâ prædirus est fortitudine, premens eam obsidione vehementi Annibalem ad patriæ defensionem reuocet.

Decimum septimum genus per expolitionem facta collatione exemplorum, & varietate verborum ornatum.

SIc Dauid ille clarus, cuius demissione, atque virtute Goliat Gygas immanissimus graui lapidis ictu ad pedes pastoris vnius resupinus iacere visus est. Ornetur eximia laude B. Michael, qui Luciferum, & illius sectatores nequissimos tribus dumtaxat verbis ad inferorum sedes deturbauit præcipites. Habeatur miles Christi singularis Franciscus qui demissionis admirandâ virtute humilis cognomentum inter alia suarum laudum ornamenta reportauit. Sit in æternâ gloriâ integerrima Virgo Maria, quæ demissione cœlesti se Dei immortalis ancillam professa, Filium Patris Æterni in aluo sanctissima inclusum nulla suæ integritatis labecula, de cœlorum sedibus ad naturam humanam mira fibi societate copulandam attraxit. Antepo natur omnibus Christus Iesus, qui Patri æterno meritis omnibus, & ornamentis cœlestibus æqualis, vt nos ex dæmonis seruitute liberaret, naturæ humanæ societatem in vtero Virginis inire non grauatus est. Erit profecto inter demissionis Principes aliquid loci gloriæ bonorum & sanctorum hominum, qui se demittere & abijcere voluerint in tantorum Heroum & præcipue Virginis, & Christi Iesu vestigijs inhærentes.

Decimum octauum genus ab exemplis ex maiori ad indignitatem rei ostendendam.

SEd quod ego nondum statuebam mihi esse dicendum, vos tamen id potestis animis vestris cogitare. Vnum hoc certè video mihi verissime potuisse dicere, tum cum haberet orbis terræ diuersis temporibus, & diuersis in locis Syllas, Marios, Cinas, homines non solùm vitijs multisque sceleribus, verum etiam magnitudine crudelitatis efferatos: at cum erant

Dicme-

Diomedes, Dionysij, Siculi, Phalarides, Agrigentini, & Nerones, non minore crudelitate nobilitati, quorum immanitatem diritatemque in alieno suoque sanguine, maternoque corpore accepistis, tamen huiuscemodi tormentorum genera visa nunquam fuerunt, nec audita quidem, quæ in corpore B. Laurentij, aliorumque Christi Martyrum exercita.

Decimum nonum amplificandi genus ab exemplis cum collatione & consequentibus.

MEmoria teneo Ioannem quendam Scholasticum, cum essem in quattanorum classe, quod ab alio condiscipulo accepta iniuria, multos dies neque verbum vllum feciſſet, inimico intuens animo, à præceptore pertinaciæ fuisse reprehensum. Neque iniuria, qui exemplar fortitudinis, formam patientiæ, regulam constantiæ vna præsenti iniuria, silentio obscurasset. Quanto est Antonius Ioannes in accepta iniuria maiore supplicio dignus? siquidem ille cum iniuriam nullo malo indicasset, proloqui duntaxat verbum nolle visus est, ne geminandi occasionem alteri daret. Hic cum verbo lacessitus esset, non modo parem gratiam verbo referre visus est, sed seipsam sua manu vltus fuit, at Antonius inuentus est, qui pro vno malo duplex referre contenderit. Cùm hanc eius grauitatem; audaciamque vidisset moderator suæ classis, omnesque condiscipuli propter violati scholastici malum grauiter offensi fuissent, & iam illum, qui multorum sæpius patientiam tentauerat, magister perferendum amplius non iudicaret, accersito animaduersore, præsentibus alijs condiscipulis Antonium rogauit, esset illius facti reus. qui cum se esse respondisset, comprehendi adolescentem iubet, & in equuleum impositum debito supplicio affici.

Vigesimum genus amplificandi ab exemplis cum comparatione, per dubitationem & contentionem.

QVondam apud Cæsarem Dictatorem maximum, locus & facultas data est Ciceroni, de Q. Ligario reo dicendi: non quòd Cæsar Ligarium absoluendum aut causam dubiam esse

putaret: sed quod dicente Cicerone precibus amicorum aures non occuluisse suas, neque ipsi suæ pristinæ dignitati restitisse videretur. Quid conferam? conferamne Cæsarem cum Sylla? an bonitatem vnius cum alterius sæuitia? an verò tempus cum tempore? Cæsar naturâ suâ clemens fuit, mansuetus, benignus, misericors: Sylla crudelis, impius, immanis, ferus. In Cæsare ad veniam dandam, & ad reos absoluendos propensio mirifica visa est: in Sylla ad damnandos etiam innocentes, & bonis omnibus, & vitâ priuandos ingenium atque natura. Tempora Cæsariana, tranquilla, pacata: Syllana verò turbulenta, & omnibus concitata tempestatibus.

Vigesimum primum genus amplificandi, ab exemplis cum dissimili.

COnsueuerunt non multi præceptores, si ab omnibus esset Scholasticis flagitium admissum, arbitrio in principes animaduertere, vt & metus videlicet ad omnes, pœna ad auctores perueniret. Quod idem facere in maleficijs, & in iudicio ciuium pœnâ constitutâ legum qui conuenit? nam Scholasticus, qui scelus architectatus non est, non grauem adeo culpam contraxit; potest idem postea facilius adolescens esse bonus, & alieno malo sapere, etsi omnes, vel nimium multi supplicium subijssent, in præceptorem conspirassent omnes, & perferre pœnam nollent, & vt minimum abirent, vacuum & inane relinquendo gymnasium, ipsumque præceptorem, solum & desertum in summa solitudine. Hoc Magistratus facient in pœnis irrogandis, cum illi potestatem in legem non habeant ad augendam mitigandamque pœnam? neque verò tam multi sint, qui delinquant ciues, vt non multis partibus maior relinquatur numerus in ciuitate, vt qui in eadem culpa sint, hos eadem pœna affici oporteat.

Vigesimum secundum amplificandi genus à testimoniis superiorum similibus.

RHetor quid tibi cum Grammatico? quid cum alterius ordinis adolescentulo? cur aut tam familiaris huic fuisti, vt Grammaticum ascisceres? aut tuis tam inimicus, vt Rhetores proderes? non Rhetorem aliquem habebas? non fratrem,

non

non patruelem, non vicinum, non condiscipulum, qui te vellet, qui amaret? non denique te Rhetoris classem frequentare memineras, omnium clarissimi & maximi quidem ornamenti, omniumque facilè principis, qui simul ac te cum Grammaticis coniunctum viderit, omnes propè Rhetores indignitate, discrimine, humilitate dedecorari diceret, qui ex superiore humaniorum litterarum classe in Rhetorum ordinem clarissimum ascriptus cum fuisset, de tanto consessu non dedecorando debebas agere. Cur tibi Grammaticus tam coniunctus fuit? affinis tui ipsius, vel cognatus? nihil horum. Quid igitur fuit nisi desidia quædam & temporis amittendi nefaria libido? non si te Rhetorum ordo clarissimus non commouebat, fratris tui dissimilis quidem ratio æmulum fraternæ virtutis in Rhetorum familiaritate esse admonebat? non tot adolescentes optimi, Rhetores præstantissimi, qui classem complexi suam ab studio Rhetoricæ augendo cursuque contento dimoueri non potuerant. Quid otiaris? quid circulos cætusque consecta is negligentium? quid Grammaticum, & inferioris ordinis alumnum comitaris?

Vigesimumtertium amplificandi genus à testimoniis concludendum cum præteritione & Interrogatione.

ATque vt aliquando de rebus ab isto duce præclare gestis, laudatisque, & de iudicijs à viris præstantibus factis dicere desistamus, & quoniam virtutes istius bellicæ in singulis bellorum generibus infinitæ sunt, nos modum aliquem & finem orationi nostræ laudationique facimus: pauca ex militaribus præmijs, & honoribus sumemus. Audistis ob fortitudinem suam laudem ab Imperatore maximam, & omnes qui militibus dari possent, honores consequutum fuisse, testantibus litteris suorum commilitonum, quæ ad patrem, ad amicos, ad conciues frequenter de laude tanti viri tam celeriter commeabant, vt alias aliæ consequerentur, & vnis perlectis aliæ non semel in manus nostrorum hominum venirent. Accepistis Lucium Syllam properantem in Italiam vt subsidio Pompejo esset ab hostibus circunuento, descendentem ex equo complexum fuisse, & Imperatoris nomine affecisse id temporis Pompeium adolescentem, qui honos post condi-

tam Romam adolescenti contigerat antea nemini. Legistis militum testimonia in Africa Pompeium eundem cognomento & honore maximi afficientium: scitis Asiaticos, & hisce regionibus finitimos, omnes præterea nationes bello cum Romana gente decertantes pro laude Pompeij dixisse hunc se omnium maximè Romanorum Imperatorem metuisse: de quibus testimonijs, quid ego plura dicam, cum litterarum monumentis commendata sint? quid porro amplificem, cum nulla testimonijs huiusmodi paria possint esse lumina dicendi? An hoc dubitabit quisquam omnium, quin is imperatoriam laudem & gloriam metuerit, cui senatus, Populusque Romanus tres glorioſos ex tribus maximis terrarum partibus triumphos cunctis plaudentibus agendos decreuerit? Quod præterea genus gloriæ militaris non obtinuit? ecquæ res apud Romanam ciuitatem expetetur? aut honos aliquis fuit? aut potestas, aut procuratio, quin eam rem ad fortitudinem, felicitatemque Pompeij Senatores detulerint? commendata sunt genera bellorum, quæ per Senatum demandata Pompeio fuerunt, procurationes rei frumentariæ, administrationes vrbanæ, quorum omnium tanta fuit multitudo, quantam cuiuscunque exoptare dementis esset Imperatoris.

Vigesimumquartum amplificandi genus ab Exemplis cum Enumeratione per subiectionem & Repetitionem duplicem in exitu ostentantem sese.

SEd expectant ij, qui audiunt exempla ex vetere memoria, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc plurimum solent, & auctoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum. Fabios mihi & Catones Vticenses commemorabis & illos fecisse idem dices, vt honores habuerint Populi Romani maximos. Quamuis res non placet, tamen ipsa veritas facit, vt hoc negare nequeas, quorum illi oblatos triumphos non repudiarunt, Catones nullam statuam in celebriore ciuitatis loco statui sibi permiserunt. An cum hos non poteris proferre, proferes Romanos alios, Pompeius atque Cæsares, qui de principatu terrarum, armis inter se certarunt? qui cum omnes honores gessissent, vel plausus minui sibi datos fecerunt, vel ob eandem causam, quòd plus nimio appetentes honoris fuissent, exitus habuerunt calamitosos & exitiales. Magna

gna est verè sapientium auctoritas, & tanta, vt etiam delicti suspicionem tegere potuissent. Non habebis nec ex his quidem hominibus, qui vnquam fuerunt, si verè sapientes habiti sunt, vllum auctorem dignitatum ambiendarum. Quo me igitur, aut ad quæ exempla reuocabis? aut illis Philosophis antiquissimis, qui tum honoribus carere voluerunt, quorum & meliores mores erant, & hominum existimatio Græcorum habebatur, & præcepta legebantur seueriſſima, ad nostrorum hominum licentiam & libidinem me abduces? in quos grauiter debacchari putabunt omnes oportere, ab his inanitatis tuæ, & elationis exempla quæres? non fugio, neque nostri sæculi mores probatos, & spectatos, & ex quibus, quos sapientium paucitas probat, non quos Imperatorem libido sequitur, amplectamur. Non eruam igitur ex Annalium monumentis exempla plura, sed viros sanctissimos, Franciscos, Dominicos, Hieronymos, Augustinos proferam, qui tanta virtute fuerunt, tanta sanctimonia præditi, vt in ipso sanctissimorum, & clarissimorum Confessorum, ac Doctorum, quos Ecclesia suscipit, numero reponantur: in his exempla contemnendorum habemus honorum, & ea singularia. Itane verò D. Franciscus diuitias aspernatus est, & cum mercatorum artem exercere potuisset, & ista ratione pecuniam innumerabilem facere, non statuit sibi conuenire, quod non Christum hoc modo nudum & spoliatum vestibus, pendentem de cruce sequeretur, sed paterno se patrimonio, amplo satis & copioso se abdicauit, & tu pecunijs & diuitijs sæculi inhiante auaritia, imminebis? D. Dominicus noluit Canonicus esse, noluit honores ætatis decursu deferendos, idem reliqui Christi milites fecerunt, & quod nemo non si sectator sæculi fecerit, id te aliorum exemplo feciſſe contendes? sed in istis viris non quæram exemplum: hoc ipsum tempore Religiosorũ omnium vtar exemplis. Sacrarum Christianæ Religionis familiarum milites sanctissimi, vos appello, quorum innumerabiles cum in honoribus maximis essetis, & intelligeretis, quam in lubrico difficiliq́ue loco versaremini, quemadmodum vos de sedibus celsissimis ex inferiorum regione dare potuissetis, quod Apostoli fecerunt, & in Christi Iesu societatem conuocati, vno verbo, in tanti Domini disciplinam se traderent, id vos feciſtis incredibili magnanimitate ac robore præditi, non ex Christi sed ex concionatorum ore audito verbo, magno sensu, ac motu animorum maximo, luce de cœlo

vestris mentibus allata, instinctu diuini numinis afflati. Sed quid ego familias sacras appello, quorum institutum obedientiæ, castitatis, & paupertatis mœnibus, & sepimentis vallatum est, cum in ipso introitu vitæ vagientem, & iacentem in præsepio cœlorum opificem videamus? Cùm eundem per tres & triginta continuos annos, vitam inopem, & ab humanis rebus derelictum agentem, concionantem, & cohortantem ad despicientiam, & contemptionem rerum humanarum videamus? Et qui se tanto dedere Domino, qui vitam suam & institutum prosequi voluerint, hos humeris suis crucem suam deportare iubeat? Si non aliud exemplum spernendarum haberemus diuitiarum, nisi auctoris vitæ in tanta rerum inopia extremum æterno Patri spiritum exhalantis, id satis esset ad inanitatem & conditionem rerum humanarum agnoscendam. Valeat igitur apud vos lectus ille Crucis angustissimus: valeat derelictio suorum discipulorum, solo Ioanne Euangelista, Virgine Maria ad extremam Crucem permanente: Valeat corpus exutum spoliatumque vestibus: Valeant angustiæ deformitasque corporis ex omni parte lauciati: & quod ad inopiam addi potest sponte delectam, extremis in angustijs acetum felle permixtum ad sitim explendam à sceleratissima Iudæorum gente fuisse porrectum. Fuit istud scelus Iudæorum, & feritas immanissima, & quod omnes facile videbunt, omnis generis rerum, quæ innocentissimo Agno leuamentum afferre possunt, manifesta spoliatio. Quæ vel sola mortal um animos eò debuisset adducere, quo Christianæ Religionis absoluta perfectio nos vocat, vt iubeamus valere diuitias, honores valere, valere quæ sunt infra lunam, quæ finibus terræ continentur, & ad diuina, & cœli sedibus altissimis contenta animorum aciem intendere.

Vigesimumquintum Amplificandi genus ex pluribus Exemplis, cum Repetitione.

IDeone Cicero pater eloquentiæ dictus & habitus est, & vt specimen eloquentiæ proponitur Rhetoricæ studiosis? Ideone Virgilius exemplar formandi poeseos, Anneus Lucanus, Horatius Flaccus, cæterique Poetæ præleguntur, à bonis præceptoribus enarrantur suis auditoribus, vt vos omisso veterum exemplari, & vt planè dicam, perennibus, & inexhaustis ligaræ solutæque orationis fontibus paludes & cænosos lacus hauriatis?

Vigesi-

Vigesimumsextum genus amplificandi, à contrarijs exemplis.

MAgnum est in lenitate permanere, nisi causa aliqua requirat seueritatem huiuscemodi. Scipio ille fuit, quem quotidie tanta lenitate naturæ fuisse accepimus, vt omnes humanissimè benignissimeque alloqueretur, quem non pœnitebat quotidie, imo delectabat maximè id facere. Quem laudauerunt veteres, vt amicitiam alicuius iniret, & gratiam, (quod faciebat) colligeret, antequam rediret domum suam. Quis Cato Cæsare comior? quis iucundior? Eodem ex numero fuit ille, quanquam Imperator, & constitutus in summa dignitate. Possum in Cn. Pompeio, in Seruio Sulpicio hanc laudare comitatem: sed à disciplina Christi introducam aliquos. Existimesne ipso Francisco, ipso Dominico benigniorem, comiorem, mansuetiorem fuisse ad omnem rationem benignitatis comitatisque quenquam? De quorum præstanti virtute cum verè sancteque dixerimus, Christianum nos proponere vides exemplum ad imitandum. Qui sic se ad benignitatem Christi Iesu imitandam conuerterunt, vt illorum nomine possimus dicere, tolle ex Christiano homine veteris nomen Catonis, tolle supercilium, & nubeculam frontis, remoue fastidium, & intolerandam ferocitatem, & induc facilitatem comitatemque naturæ, cum laudemus in homine Christiano auctoritatem grauitatemque summam, intelliges ex Religionis Christianæ moribus, ac sanctitate composita ad modestiam, ad virtutem, ad hilaritatem sanctam exemplum.

Vigesimumseptimum genus Amplificandi ex duobus exemplis contrarijs, & testimonio.

HOmines improbos, & de maiestate Dei parum cogitantes, scimus solitos esse dicere, idcirco se multa sæpe scelera non commisisse, quod aspectum, & oculos hominum non semper fugere possint: vt si quid aliquando, quod factu turpe sit, & auditu, ab illis esset dictum aut factum, eorum oculos & ora cernere verecundarentur: perinde quasi quid à nobis dictum, aut actum sit, cum in eo oculos hominum vitauerimus, fugere possimus præsentiam diuini numinis, vbicun-

que locorum deliquerimus, in quocunque recessu remotissimo, in deserta solitudine, in tenebroso caliginosoque loco? Ego verò in omnibus meis factis libentius cum bonorum, tum sanctissimorum, & perfectissimorum hominum virtutem sequar: qui cum quidquam faciunt, cogitant, aut loquuntur, Deum ante oculos statuunt sibi semper, in cuius ore vultuque versari se semper vident, & pro certo habent, id quod vates diuinus litteris mandauit, vt id homines memoriâ comprehendant, & Dei recordatione ad diuinæ legis cultum sanctimoniamque colendam erigantur. Quod & militem quendam Christi Iesu perfectum mulieri profligatæ respondisse non ignoramus, quo vno verbo perditam mulierem continuit ac repressit totam insanæ libidinis ardore deflagrantem.

Vigesimum octauum amplificandi genus ab Exemplis ad refellendum contrarijs in exitu concluſum.

NEgant tantis præmijs afficiendum esse quenquam, quantis Cn. Pompeius affectus est. In quâ tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ factum vidit Horatij, fortissimi viri, cum occisos à se Curiatios esse constaret, qui nondum ferè descriptione maximâ Reipub. in ipsis cunabulis vagientis ciuitatis, in curru triumphans ingressus est, cum minimè Dux creatus fuisset, neque fudisset, fugasseteque copijs suis exercitum inimicorum, sed de pactione partis vtriusque res Horatij & totidem Curiatij fratres mutuo discrimine prælium direpturi essent, & duobus Horatijs occisis, tertius, qui restabat, tres occidisset Curiatios industria fortitudineque sua. An est quisquam qui hoc ignoret, cum de fortissimo duce decorando quæratur facti potius habitam fuisse rationem non hominis? Nisi verò existimamus dementem populum Romanum fuisse, qui duces fortissimos, quanquam infima fortuna & genere natos, fortitudinis honoribus decorandos nunquam dubitauerunt. Neque enim posset, aut Caius ille Marius, aut Q. Metellus, aut alij viri fortissimi subactis bellicosissimis nationibus non triumpho indignus videri, si infimos homines fortes & inuictos honore rei militaris affici nefas esset. Itaque hoc Romani non sine causa legibus sancitum esse voluerunt, eum qui

patriæ

patriæ defendendæ causa prælium grauissimum commisisset, victoria reportata non solum statuis & monumentis, sed laurea triumphi cohonestari debere. Quod si leges Romanæ factum non spectassent, sed hominem, quis esset, qui ad laudem aspiraret capitis periculo proposito; cum videret ad similem Cn. Pompeij laudem aditum sibi præclusum esse? Atque si lex est vlla, si Respub. toto terrarum orbe, quæ facta fortissimorum hominum, etiam tenui fortuna præditorum dignissimis præmijs compenset, certè leges sunt, & Respub. Romana. Fuit enim hæc Respub. à primordijs suis, non illustris & clara statim nobilitate maiorum, sed facta, aucta, & conseruata, Domina gentium Ducum fortitudine suorum. Quam dominationem, non generi sed fortitudini, non diuitijs, sed virtuti, non stemmatibus, sed rebus egregiè gestis illustrandam decorandamque decreuerunt.

Vigesimumnonum amplificandi genus ab Exemplis ad Confirmationem spectans, antithesi ornatum.

AC multi, & nostra, & Athenienſium, Romanorumque memoria fuerunt summi Imperatores, & benè de patria meriti, quorum cum adolescentia in stipendijs traducta non fuisset, res præclarè gestæ, exercitu demandato extiterunt: ex quibus neminem necesse est nominare. Vos ipsi vobiscum recordamini Cn. Pompeium, cuius adolescentia, non stipendijs, sed victorijs illustris extitit. Quod si alios nominare vellem, multi à me summi atque ornatissimi Imperatores prædicarentur: quorum cum partim adolescentia domi, partim in negotijs publicis occupata, partim firmata iam ætas, & in foro, & in magistratibus consumpta esset, illi tamen magno armorum vsu laudem Imperatoriam obtinuerunt. Ex quorum numero Ciceronem proferre potuissemus, qui in Cicilia exercitus duxit, res maximas gessit, appellatus fuit Imperator, cum miles antea non fuisset, sed orator, Romæ semper, & in foro versatus. Quid quod post Pharsalicum prælium summa totius belli, si voluisset, ad illum cunctorum principum incredibili consensione deferebatur?

Quo-

Quoniam in confirmationem ac refutationem potißimùm noſter adhuc labor ſpectauit, figuræ quamuis eas non prætermiſimus, non ſunt omittendæ, præter alia, quæ animaduertere debet à nobis allata dicendi lumina Rhetoricæ ſtudioſus alumnus, quæ ex ordine ſuo ſequuntur ad exemplorum exercitationem, inſignia dicendi.

Primum Exemplum per Præteritionem cum Repetitione ornatum.

QVid ego nunc condiſcipulorum ſuorum teſtimonia producam, qui ingenium Marcelli, quotquot omnibus litterarijs concertationibus interfuerunt viri ingenioſi, tametſi adoleſcentis, tamen omnium Scholaſticorum primi præſtantiſſimique commendarunt? Quid ſodales iſtius Ioannem Ildefonſum, & Antonium Franciſcum Scholaſticos probatiſſimos & ornatiſſimos afferam? Quid aliorum comitum ac ſociorum ſermones honorificos proferam, quorum omnium teſtimonijs multa de noſtri Marcelli ingenio pro familiaritate, quæ ſibi cum eo fuiſſet priuatim & publicè abhinc tot annos cognouiſtis omnes? Quid præceptores nominem, qui concertationes & publicas & priuatas Gymnaſij, pro ſuo ſummo ingenio toties eidem detulerunt, & teſtimonijs ſuis melius hæc prædicauerunt, quam quiſquam narrare potuiſſet, quid dicam exornare? Noua cuiquam noſtrum hæc ſunt, & inopinata? nonne primum hoc ingenij acumen, has Marcelli laudes aures noſtræ acceperunt? nihil non de præſtantia ingenij, nihil non de ſtudio, de diligentia, aſſiduitate, progreſſionibus audiuimus, & iam pridem ab eo tempore, quo in academiam venit, multa de Marcelli laudibus fama diſſeminauit?

Secundum exempli genus tractandi per præteritionem cum frequentatione.

QVid quod is adoleſcens, & ſemel ab ſcholis eiectus? non dico hoc tempore, id quod neſcio an dici oporteat, illum foliorum pictorum fuiſſe conuictum. Non recito teſtimonia

monia adolescentum nobilissimorum, quæ in Ioannem dicta sunt ab ijs, qui huius classis, cum imperio ac dignitate Consules & præfecti nobis omnibus præfuerunt: quorum testimonijs planum equidem factum est, maximè, eius operâ, cum præceptor abesset, in gymnasio seditiones dictæ sunt de peragratione viarum, quas me pudet nominare, quas ille cum audisset, quanquam erat natura impudens, tamen demisit illico vultum, & oculos. Omitto hæc & alia permulta, quæ per omne anni tempus in hunc dicta sunt. Hoc dico, magnam semper fuisse magistratibus, & principibus gymnasij, honestissimis & præstantissimis adolescentibus controuersiam cum hoc scholastico, quem omnes accusant, quem nemo videre potest, quem explosum & eiectum iam pridem cupiunt omnes, quotquot sunt, condiscipuli. Dicunt idem, quod ego dico, clam multos per illum abstractos ab studijs, detentos in platea, & illectos in suas fraudes. Irridetur hæc istius dissimulatio, & persona adolescentis boni suscepta, sicut in titulis incisis, quæ sunt ad Virginis Annunciatæ, quos ideo inscripsit, & incidit palam, vt tegeret sua vi ia specie Religionis in virginem. Nunc exagitantur eiusdem fraudes, & fallaciæ, tota istius adolescentia in huiusmodi ratione versatur, aperitur ingenium, & natura, ex tegumentis & inuolucris euoluitur, facta & mores illius in medium proferuntur. Itaque nihil ab illo factum, neque dictum probatur bonis, & virtutis amantibus, & princeps & architectus totius simulationis habetur.

Tertium exemplum amplificandi ab exemplis per Præteritionem.

QVa de re si vnum factum ex omni delectâ iuuentute protulero, plura non afferam; non enim mihi exemplum magni præstant isque adolescentis Petri Augustini prætereundum videtur. Qui cum esset nobilis, & in alumnorum eloquentiæ bonorum numero habitus, in medium prodiens, clara voce, vt omnis concio audire posset, dixit, se scire reum nihil eiusmodi eorum, quæ inquirebantur, fecisse: si quis contradicere vellet, dicturum se pro reo testimonium: deinde nemo repertus est, qui contra eum testimonio suo veniret. Itaque non culpa solum, sed suspicione vnius boni adolescentis voce liberatus est, vide quid virtus faciat.

Quartum

Quartum genus amplificandi ab exemplis ex more maiorum per Præteritionem.

HIc ego iam illud quod notissimum sit, nec attingo quidem, Auditores, non esse hanc à nobis, à maioribus relictam consuetudinem, vt adolescentes discumbant in honoratiore loco; cum senes inuitantur ad conuiuium, omnibus profectò legibus adolescentibus semper imberbibus senes, & canis oppletos & capillatio esse præpositos non ignoramus; itaque hanc discumbendi, & contemnendæ senectutis sordidissimam & fœdissimam nouitatem semper reprehendisse maiores nostros alienam ab omni humanitate gentis, alienam à dignitate communi, atque ipsa indignissimam præstantiâ nobilitatis accepimus.

Quintum genus amplificandi ab exemplis à more eodem, cum Minore per Præteritionem, adiuncta Repetitione & Interrogatione.

MVlti obuiam prodierunt Archiepiscopo in vrbem ingredienti. Quid autem habet admirationis tali ac tanto principi aduenienti, Pastori suo, obuiam procedere omnis generis, ordinis, & ætatis homines? quod nisi esset factum, magis mirandum videretur? Quid si etiam illud addam, quod in more positum est in aliorum multo inferiorum aduentu rogatos esse multos, num non criminosum atque vituperandum, quâ in ciuitate rogati equitum nonnullorum aduentum ciues magno cum honore exceptum, obuiam ire soleant, in eâ non sese effundere, omnes ordines, ad pastorem suum excipiendum in tanti præsertim Principis dignitate venientis? Quid ergo mitemur omnes equites occurrisse, quorum ex flore Princeps iste fuit? Quid senatores Hispalenses? Quid Tribunos plebis? quid si illa officiosissima, quæ neminem sui generis patitur non honestè in vrbem introire, Crucigerorum cuiusque ordinis equitum & Comitum & Marchionum vniuersa nobilitas potentissimorum, si denique ipsi Duces cum bene magno grege suorum obuiam venerunt? Mitto conuentum Ecclesiæ, portionarios, Canonicos & eos, qui dignitates

ghitates habent in Ecclesia, quos de officio suo exire obuiam necessarium erat. Mitto multos etiam alios equites alienigenas, qui ad introitum expectandum venerunt. Hoc dicam concursum in isto officio nullius ordinis, neque generis, neque fortunæ non modo dignitati istius Principis, sed neque voluntati quidem defuisse.

Sextum genus amplificandi per Inductionem ab exemplis, cum Repetitione & Praeteritione.

NOn placet Dialectica Iuliano, non placet etiam Hæreticis: At placuit veteribus, vt eos primum nominem ex sæculorum omnium memoria, qui annos ante multos vixerunt. Placuit Isocrati, cuius semper apud Philosophos valebit auctoritas. Placuit duobus Philosophiæ luminibus Aristoteli, & Platoni, Senoni, Diogeni, Aristippo, Crati, qui semper magna scientia præditi celebrantur. Placuit idem, quod Philosophis, magnis Imperatoribus Pompeio, Cæsari, qui multas artes adolescentes, tum Dialecticam ad exquisitas rationes inuestigandas didicerunt. Maximè verò Philippus Rex Macedonum probauit, qui vt primum Alexandrum natum aspexit, sibi de felicitate gratulatus est sua, quod filius præceptorem Aristotelem habiturus esset. Sed quid veteres Philosophos, & præceptores commemoro? Conditoribus Academiarum placuit, vt nullus annus esset, quin liberalium artium curriculum iniretur, & qui Medicinam præcipuè vel sacram Theologiam percipere vellent, hi nisi Dialecticam, Philosophiæque cursu confecto Medicinæ, cælestisque Theologiæ studia non instituerent. Sed quanquam his testimonijs quæ dixi, nihil esse potest locupletius, veniamus tamen ad insignia Dialecticæ, quæ non minores habet in academiis honores, quam cæteræ facultates atque disciplinæ. Siquidem Baccalaureos, Licentiatos, Magistros, suis & propriis insignibus ornatos Dialectica profert. Atque illi ipsi Iurisconsulti nunquam olim sine Dialectica Ius Ciuile inchoarunt. Nunquam magnus aliquis orator habitus fuit, nec erit vlla vnquam ætate, nisi fuerit præditus hac disputatrice indagatricque veri Dialectica. Atque viderunt aliqui in publicis Iurisprudentiæ contentionibus, vna ratiocinatione proposita,

sine

sine dialectica, conticuisse propugnatorem Iurisperitiæ. Sed quid mirum? Hæretici consectantur errores, falsas opiniones, fraudes, & fallacias, quibus liberari nolunt homines, in quas auctores hæreseos tantam multitudinem adduxerunt. Similis illis Mahumetes, qui sectam suam in disputationem venire prohibuit, de suis erroribus constare noluit, quos rationibus huc & illuc rem trahens Dialectica sustulisset.

Septimum genus amplificandi per Præteritionem ex Dissimilibus.

SCilicet huic ego suasi, vt studium iniret litterarum: Etenim si voluntas abesset huic homini, & à re litteraria ille prorsus esset alienus, hunc equidem pater excitaret, & auus, quorum vterque litterarum itinere contendit. His igitur parentibus ortus, ab alienis potius, quàm à suis exemplum peteret, & militiæ se potius dederet, quam studijs? Quid? idem adolescens ea familia natus, quæ non modo honores academiarum consequuta fuerat, sed magistratus regnorum & sedes amplissimas, me auctorem credo, desiderauit: qui etiam sine hisce exemplis clarissimis academiam in sua patria habebat, vt sine sumptibus, & carens patrio solo, quod nunquam relinquendum constituerat litteris operam nauaret? hunc eundem non patris voluntas clarissimi, non imperium eiusdem, non legatorum accessio, si viam parentum sequi voluisset, ad rem litterariam, sed mea persuasio excitauit. An huic adolescenti persuasi, cui fratres militari studio arrepto ne suadere quidem potuerunt; quo etiam maiorem ei familia gratiam debet, qui parentis voluntatem & imperium pluris habuit, quàm fratrum expectationes & spes à principibus allatas? An ille me auctorem sequutus, quem ego magis facturum esse putarem, quem fecisse admiraret, non admiraretur autem ob eam causam, quod patris scripta cum teneret, & ab eodem relicta cum accepissent Doctores academiæ, hunc ad Iurisperitiam hortabantur, quod memores paternæ scientiæ magnam academiæ, & studiosis Iurisperitiæ vtilitatem allaturum se fuisse putarent. Quid patruos dicam, Antonium? an Martinum? & horum qui cathedram tenebant, auctoritate censetis non excitatum potius, quàm persuasu meo? Longum est persequi alios principes, huic adolescenti, quos scimus fuisse litterariæ

rei

tei suasores, idque academiæ nostræ gloriosum, fuisse tam multos istius vtilitatis amantes, ipsis verò, qui academiæ prouidebant, gloriosius.

Octauum genus cum his particulis, quid, nonne? & articulis & interrogationibus.

QVid cum Christus passus fuerit, Christianis existimatis statuendum, & faciendum esse? quid veri Fidei cultores? nonne hoc exemplo omnes sibi subeundos labores, omnes perferendas dolorum acerbitates decreuerunt? quid Martyres Christi Iesu fortissimi, nonne omni modo ad caput & iugulum dedendum, & ad vitam cum sanguine profundendam contenderunt? Quid denique speciatim Sebastiani? Quid Laurentii? quid Stephani? nonne sagittas, flammas, & lapides incredibili fortitudine & alacritate pertulerunt? Ista est equidem cœlestis ac diuina Christi Iesu virtus, isti fructus vberrimi suæ passionis, qua nos excitati corpus istud in summos cruciatus dare, & in quascunque non dubitamus tempestates conijcere. Videmus fortitudinem esse Christianorum, constantiam tanti generis ac sanguinis, nostros homines meritis & cruciatibus Christi Iesu omnia fortiter audere, & constanter perficere: nihil esse quamuis periculis omnibus circunuentum, quod non adeant & superent sine dubitatione, omnes equuleos, flammas, cruces, crates, laminas, vim omnem, multitudinem, acerbitatemque tormentorum.

Nonum genus ab exemplis per Apostrophen, ex testimoniis ad amplificandum.

MAximas audio tibi C. Cæsar in senatu gratias actas esse pro iacente Republ. mansuetudine & sapientiâ ad veterem statum excitatâ. Tu etiam Cicero Cæsari eadem egisti gratias, cum deprecante senatu vniuerso, maximeque Cn. Marcello ciue splendidissimo, Senatore grauissimo fratris reductionem, patriæ carissimæ, Reique publicæ vniuersæ, libens & gaudens reddidisti? An tuam obliuisci possumus Pompeii gratulationem, cum ex Asiâ reuertens pro beneficiis in Rempub. collatis orationem plenam laudis & gratulationis audis-

sti? non est equidem optimi hominis acceptorum memoriam beneficiorum nullo vnquam tempore deponere.

Decimum genus amplificandi ab exemplis & testimonijs per subiectionem.

QVos optimos Rhetores, quos peritissimos huiusce facultatis, quos exquisitos & singulares in omnibus ornamentis & laudibus oratoriis fuisse putabimus? eos profecto, qui Ciceronem imitati fuerint. Etenim si in omni arte ac facultate constituerunt omnes illos eius facultatis laude florere, qui principes potissimum viros, & auctores artis imitati fuerunt, quis de nostra opinione dubitabit? Etenim si Papiniani, si Sulpitii, si Scævolæ de iure consulebantur homines iurisperitissimi, & legum auctores; possumus vobis probare auctorem huius sententiæ, & lumen Philosophiæ, quem ad hæc vsque tempora ducem liberalium artium, & Philosophiæ præceptorem sequuntur omnes eximii de quacunque academia præceptores Aristotelem. Quæritis aliquem grauiorem, præstantiorem, illustriorem doctrina sacra, cœlestique disciplina, veteribus ignota, de cœlo delapsa Theologia? Omnes academiæ Theologorum dabunt Beatum Doctorem Thomam propter admirabilitatem doctrinæ suæ, Angelicum ab omnibus appellatum, quem omnes colunt, omnes summa consensione sequuntur, & certum ac tenendum omnes Theologi confirmant.

Ex superioribus exemplis constat, & ex varijs à nobis amplificandi rationibus allatis in confirmatione, refutatione & in omni amplificatione quantopere regnent testimonia. Atque ab exemplis petere poterit eloquentiæ studiosus alia schemata, quibus omnia decorantur: nunc exempla in exordijs & perorationibus subiiciantur, ex quibus constat dominatus horum argumentorum vbiq; locorum amplissimè magnifi. entissimeq; patens.

Epilogus

Epilogus ab exemplis.

CONseruate igitur, Reipub. Patres, ciuem bonarum artium, parentem patriæ, conseruatorem Reipubl. Promitto hoc vobis, & Reipubl. spondeo, si modo quid apud vos memoria consolatus nostri valeat, nunquam per illum nisi vestris commodis prospectum fore. Quod cum fretus Consulatu gesto promitto, tum quod obsidibus coniurationis extinctæ datis vltro deuouerat sese. Neque enim potest, qui Consul testimonium Reipubl. conseruatæ honorificentissimum acceperit, & in Consulatu faces ardentes à patria remouerit, non ipse consularis homo pristinæ virtutis memor pristinum in Rempub. animum virtutemque retinere. Habet à M. Tullio Respubl. multos magistratus gestos, vel obsides animi sui, vel pignora voluntatis. Quare oro obtestorque vos Iudices, vt qua in ciuitate multis accusationibus multi non magnopere de Republ. benemeriti, retenti fuerunt, quos vos ipsi, quos ciues, quia de vestra gente, quia vobiscum eisdem mœnibus contenti fuerunt, quia Rempub. quia tecta, quia Lares, quia amicitiam, quia consuetudinem retinuerunt, in ciuitate conseruandos decreuistis, in ea ciuitate ne patiamini illum oppressum inimicorum inuidia, iactatum vicissitudine fortunæ, depressum inclinatione temporum, parentem patriæ, vestrum præsidium & propugnaculum Ciceronem ex ciuitate in exilium proficisci. Qui cum Ciceronis in patriam beneficia plurima proposueritis; constituite vobis ante oculos huius etiam miseri vxorem & filiam, quæ discessu parentis in luctu semper & squalore iacebunt, tum vnius filii luctum & sordes, qui parente profecto in exilium, eisdem quibus mater & soror lachrymis atque luctu conficientur. Nolite, Patres, aut hos parentis exilio conflictatos ludibrio inimicorum, & iniuriis, & tempestatibus expositos relinquere, quibus oppressi, iactati, vexatique aut vitam miserrimam viuant, aut maturius mortem oppetant, quam obire debuissent, nulla alia de causa, quam exitia parentis, qui vos, qui liberos, qui Rempubl. atque hoc domicilium clarissimi pulcherrimique imperii conseruauit virtute, laboribus, vigiliis, periculo ac discrimine vitæ. Conseruate Reipubl. parentem, parenti Rempubl. ne multi tam prauo exemplo docti, quod

vobis turpe videbitur à defendendâ Republ. deterreantur. Id ciues omnes, id filii vestri, id tot sordidati & lugentes Reipublicæ orant, id postremo patria communis omnium vestrum parens obsecrat, quæ si non obtinuerit, quo imploratum opem adeamus, prorsus ignoro.

Secundum exemplum perorationis ex testimoniis repentione ornatum.

SEd me repentè, auditores, de fortissimorum & clarissimorum Martyrum virtute, & gloriâ dicentem, & plura etiam dicere parantem, Christi Iesu, & eorum qui illum comitati sunt, memoria, in ipso orationis cursu repressit. Video enim B. Ioannem Euangelistam discipulum Christi Iesu, Apostolum tanti Domini, eidem omnium carissimum dilectumque admodum in summo mœrore iacentem, lachrymas præ spectaculi acerbitate plurimas profundentem, Virginem Virginum, florem integritatis, decus & gloriam Virginum, ianuam gloriæ cœlorum, parentem assertoris Iesu ad extremam crucem, suspicientem filium, & in oculis & animo totam intentam, præ lachrymarum flumine, præ doloris acerbissimo sensu, & infinitâ magnitudine, cruciatam, conflictamque vehementissimè. Video Christum Iesum vindicem nostræ libertatis, recuperatorem salutis nostræ, extinctorem audaciæ quotidianæ dæmonis, repressorem cædis infinitæ, euersorem sedis inferorum deterrimæ, præsidium prostratæ ac perditæ hominum naturæ, Filium Patris Æterni, splendorem & imaginem tantæ Maiestatis sine colore, sine formâ, exanguem atque mortuum, de cruce pendentem, quatuor transfixum horribili dirutate clauorum. Video ab vtroque latere in crucem duos sublatos latrones, vnum deludentem, & irridentem Christum Iesum, alterum solis repentinâ defectione stupefactum, quæ in cruce spectanda miracula, Christus Iesus edebat, prædicantem & increpantem & accusantem impietatis consortem facinorum, & veniam à Christo Iesu peccatorum cum summo dolore petentem. Atque hæ B. Ioannis & Virginis Mariæ lachrymæ profusæ sunt præ Christi Iesu amore, mors Christi Iesu oppetita fuit propter peccatorem vnum te. Quia te Christus Patri æterno reconciliauit, quia maculam ex Adami perfidia contractam eluit, quia patefecit sedes paradisi, quia denique hominem in pristinam

pristinam libertatem dignitatemque restituit. Quod tandem est in Christo Iesu scelus? quid tantopere deliquit illo die, cùm crucem, cùm mortem, cùm tantam ignominiam subijt? Ac si sceleſtum est amare hominem, pertulit pœnarum satis, cùm à cunabulis suis nullas non malorum perpessus est acerbitates, cùm octauâ luce à natalitijs suis profudit sanguinem, cùm tot fecit itinera, Galilæam, Samariam, Iudæam pedibus peragrauit, cùm post comprehensionem suam, contumelias, iniuriasque omnes indignissimas, post virgarum dirritatem, post caput horrificis sentibus redimitum in crucem fuit actus, pertulit crudelitatem inimicorum, scelus perfidorum, fraudem inuidorum, mortem deterrimorum. Si hoc non est satis, quod hæc omnia, in recuperandâ salute nostrâ perpessus est, quid valere possit ad molliendum flectendumque peccatoris animum, assequi non possum. An homo apud se esse potest in memoriam cruciatibus Christi Iesu, & sanctissimâ morte redacta, & vllum suscipere capitale scelus? neque vnquam viri boni, qui suis lacrymis, qui suo sensu & dolore, qua sunt sanctitate, declarant, sui vix compotes videntur esse præ spectaculo præsentis acerbitatis, diritateque maxima; neque mortem quotiescunque recordantur (frequenter autem recolunt) ingemiscere desinunt, atque pestem omnem peccatorum execrari detestabilem. Christus Iesus omni tempore de cruce sybilo boni pastoris euocat, & ad meliorem sanamque mentem recuperandam, si in viam redire voluerint, quàm maxima voce compellit. Per lacrymas B. Ioannis, per sensum ac dolorem Virginis, per clauos vtriusque manus, per vulnus sanctissimo lateri factum teli diritate contorti, per mortem, per crucem suam sanctissimam à furore, & mentis insania resipisce peccator.

Tertium genus perorandi ab Exemplis.

NVnc te Christe Iesu mansuetissime cuius Isabella Regina Angliæ, corpus sanctissimum, de sacris altaribus auferendum tollendumque iussit, atque sacraria eiusdem hostiæ sanctissimæ regalia planè, digna maiestate tua cælesti, ex auro splendenti facta destruxit, & abstulit, tibique calices gemmatos & aureos ad hanc eandem victimam dicatos, per nefarium scelus de templis omnibus diripuit, cuiusque sanctissima & pulcherrima simulachra nefariè demolita fuit,

pedibus calcanda sacrilegis imperauit, cuius sacramenta negat, & ritus & cæremonias Ecclesiæ tuæ contemnit, seipsam præficit rebus Angliæ sacris Ducem ac Principem venerandam suscipiendamque; teque Regina Cœlorum Mater Christi Iesu, Virgo integerrima, cuius fana plurima non Londini solum, vbi Isabella habitat, sed omnibus in populis, vrbibusque Angliæ vniuersæ sanctissima & antiquissima simili audaciâ, omnibus donis ornamentisque nudauit; teque Princeps Apostolorum Petre, quem hæc Regina deterrima clarissimis & religiosissimis in templis expilauit, & ex illis cum auri grande pondus, tum omnia præter tectum & parietes abstulit, quæ stabularia fecit sanctissima religiosissimaque tua templa suorum cerdonum, heluonum, & compotorum, tuam potestatem, & eorum qui tibi successerunt, auctoritatem contemnens: Teque Diue Ioannes Baptista, & Euangelista, quibus (vt sacrarum Virginum studium & pietas ferebat) omnibus diuitijs refertissimas ædes consecratas, omni latrocinio atque rapinâ poliauit: Etiam vos Patroni, Patronæque singulorum populorum, & vrbium totius Angliæ, quorum dies festos sacros solennesque & honores ademit anniuersarios, quos in altaribus oppidani collocauerunt, & suis in sedibus & finibus custodes & præsides consueuerant habere. Vos Apostoli sanctissimi, quorum imagines & nocte, & in obscuritate, & accensis facibus, & mediâ die, in oculis hominum, instructa, & comparata manu, conuellere ex suis sedibus, & eiicere non verecundata fuit: Vos Claræ, Agnetes, quarum sacras Virgines, vestris augustissimis & religiosissimis in cœnobijs sui spurcissimi & intemperantissimi satellites violarunt, vt nunc sacrorum cœnobiorum & vestigia violatæ religionis maneant, monumenta verò cultus diuini, & custodiæ virginalis ornamenta non extent: vosque omnium ordinum, cœtuumque diuinorum cohortes, legionesque sanctorum, quorum è templis quæstum sibi & prædam maximam Regina improbissima comparauit: & te Michael Archangele, quem patronum, atque defensorem generis Christiani, sicut facultates & vires hominum ferunt, colimus, atque veneramur, omnes appello & imploro, adeste, succurrite, fauete Angliæ, respicite vestras res, & Deum immortalem precamini auertat ab illis regionibus pestem Isabellam atque perniciem Religionis. Vos omnes sancti, sanctæque omnes, quæ sedes incolitis & domicilium

Cœlo-

Cœlorum, vosque maximè, qui huic Prouinciæ præsidebatis, imploro atque obtestor; quorum cum diuitias, & Altaria, cum simulachra nulla fecerit reliqua, tum cultum omnem ademit religionis vestræ sanctitati, maiestatique Dei immortalis; ademit honorem ritu cærimonijsque Christianorum impertitum; sicque à possessione regni capta, ab introitu initi Anglicani regni, memor Patris Henrici, similis deterrimæ matris Annæ Bolonæ, cum templis, cum religione, cum sacris ipsis, cum Matre Ecclesiâ ista tanta pestis & furia Isabella, nefario quodam furore bellum sacrilegum semper impiumque habuit, & gessit crudelissimè.

De exordijs componendis ab exemplis.

Quod desiderare poterat eloquentiæ studiosus, damus hoc tempore, componendorum scilicet ex testimonijs exordiorum exempla. Duo autem subiiciemus, alterum in aduentu Regis Philippi: alterum in Virginis laudem.

Quod erat à nobis optandum maximè P. G. & quod vnum ad magnificentiam Complutensis academiæ, & ad amplitudinem orbi gentium, tantæ Reipub. litteratiæ diuulgandum maximè pertinebat, id non sorte aliquâ temerariâ, quæ rebus sæpe popularibus dominari solet, sed planè diuinitus datum, atque oblatum vobis, inopinato regiæ maiestatis in gymnasia nostra aduentu, videtis. Illuxit enim dies clarissimus academiæ, vobisque honorificentissimus, quod non modo Complutj, sed apud omnes gentes cunctorum sermone celebretur, potentissimum Philippum, hoc nomine tertium Hispaniarum Regem, academiam nostram inuisisse. Nunc in ipsis gymnasijs Rhetoricæ, aliorumque ordinum, cum sint parati, qui prælectionibus & orationibus hanc liberalitatem munificentiamque Regis potentissimi celebrare conentur. Rex in vestra gymnasia ingressus, vnius Christianæ Religionis Princeps, inclytus est pietate, atque virtute, omnium semper prædicatione dignissimus, multitudine, magnitudineque, rebus præclarè gestis, diuitijs, maiestate, & omnium, qui sunt toto terrarum orbe, augustissimus atque celsissimus. Huius ego celsitati gratijs agendis, de voluntate & de auctoritate cunctorum ordinum, quoniam primus vestræ academiæ orator accessi: non id mihi negotij datum est, vt præriperem mihi gloriam

huius officij, sed vt Rhetoricæ commune munus obirem. Obtinuit enim eloquentia Regem, in quo spargere flores omnes, & insignia Rhetoricæ plurima, aperire fontes omnes, & flumina dicendi, atque tandem mare immensum, & profundum effundere posset in Regem terrarum potentissimum, terrorem hostium nostrorum maximum, propugnaculum sacræ Fidei, murum atque anchoram Romanæ sedis. De quo si copiosè, atque ornatè dixero, existimatio & auctoritas ea, quæ in academiæ studijs esse debet, remanebit: sin istius Regis immensæ laudes & infinitæ vim omnem, & vbertatem orationis obruerint, ego tamen istud assequar, vt vires mihi potius, quàm aut diligentia vobis referendæ gratiæ, aut voluntas defuisse videatur. Equidem vt de me confiteor, Rex potentissime, cum multæ à me orationes in gymnasijs, & in theatris academiarum, amplissimis, refertissimisque habitæ fuerint, & ad Principes terrarum, & ad ipsum parentem tuum Regem celsissimum, Principum & Magnatum suorum nobilitate plaudente, quas partim præceptoris officio, partim aliqua nominis & eloquentiæ opinione habere conatus fuerim, nunquam tamen neque tantum timorem illi mihi iniicere visi fuerunt, neque ego tantopere pertimescere visus fui, vt nunc in ipso tuo conspectu. Neque tantum me mouet expectatio orationis meæ, cui scio, quam impar sim, quanquam tot annorum vsu & exercitatione præditus, quantum maiestatis tuæ splendor oculorum & mentis aciem perstringit. Qui quanquam hac tanta comitate, benignitateque nobiscum intra parietes huiusce gymnasij sedendo animos facere videaris, tamen gratias acturi timere quidem sine summo timore nequimus, in terrarum penè omnium, & nostræ Religionis lumen clarissimum & splendidissimum intuentes: sed quod semel susceptum est, quoniam aliqua ex parte tueri ac perferre debeo, dabo operam pro imbecillitate ingenij nostri, vt si non beneficij in nos collati magnitudinem, tamen mirificam nostrorum alumnorum & Doctorum omnium sapientissimorum, in referenda gratia voluntatem cognitam testatamque relinquam.

Alterum

Alterum Exordium in eisdem testimonijs, à famâ in Virginis in hanc lucem editæ laudem.

NEminem vestrum ignorare arbitror, hanc per hosce dies celebritatem Virginis Mariæ in hominum ore, linguisque nostrorum alumnorum fuisse, & inter alios sermones præceptorem sacræ Theologiæ Primarium professorem in hunc locum ad dicendum surrecturum esse, & de Virginis Mariæ summis & admirandis laudibus concionaturum. Qui sermones non idcirco solùm increbuerunt, quod iste Doctor egregius constituerat atque deliberauerat concionem habere, verùm etiam, quod nemo quenquam tam disertum, tam eloquentem, tam in dicendo exercitatum fuisse arbitrabatur, qui tantis Virginis Mariæ laudibus, & communi hominum expectationi, melius, quàm ille pro suâ summâ & incredibile eloquentiâ satisfacere posse videretur. Est ille Doctor, qui fuit semper, vt ad seruiendum huic academiæ promptissimus, sic ad ornandam cohonestandamque Virginem multorum elaboratâ dierum oratione paratissimus. Et quidem præsto esset, surgeret, concionem haberet, neque hoc quidem onus reiecisset, tot ante dies per vestrum ordinem, suis humeris impositum, nisi grauissimo morbo, & assiduâ febri laborans, cum multos dies in lecto iacuerit, huius loci celebritatem contingere non potuisset. In quo quanti vos fecerit, ex hoc intelligetis, qui dies aliquot ante cum iam morbo tentari videretur, nec concio relinqueretur, quâ fuit in academiam obseruantiâ singulari, mihi præsentem demandauit orationem. In quo quanquam ego nullâ ex parte cum Doctore vestro eloquentissimo sapientissimoque comparer, & honoris, & existimationis periculum apertissimum subeam, tamen patior, & non molestè fero me obseruantiæ, vos vestræ singularis erga virginem Religionis, nulla inter missione concionis, neque feriarum dilatione celebrandarum factâ, fructum esse laturos. Nam si Doctor amplissimus, statim atque morbo tentatus est, id fecisset, quod se facturum receperat, vt mihi deferret partes suas, minus aliquanto, quàm nunc mihi verendum est, periculi proponeretur, quòd ego in hac concione magis commentandâ comparandaque plus temporis posuissem: in eâ verò laus non tenuis planè, atque obscura

patris esset, propterea quòd vbi plus spatij datur ad cogitandum, gratius aliquid, & elaboratius in Auditorum aspectum proferretur: sed quoniam vbi maiora pericula sunt, id temporis succurrit summus, præpotensque Deus, pro gloriâ suâ, in maius se periculum, & discrimen efferentibus, facilè sperò fore, vt quidquid orationi defuerit copiæ & ornatus, id vos humanitate vestrâ compensetis: vt nihil de existimatione suâ deperdat orator quem ad dicendum surrexisse cernitis, vestrum omnium, maximeque Virginis Mariæ studio obseruantiaque ductum: dicam ergo de Virgine sanctissimâ, hodiernâ die tanto generis humani bono spectatâ, & editâ, si me, quod cœpistis facere, beneuolis & attentis animis exceperitis.

Locus communis Eloquentiæ ab Exemplis.

NÆ tu contemptor eloquentiæ esses ridiculus, si illis temporibus Romanorum, & Athenienſium natus esses, cum oratores deligebantur, qui magistratus gererent. Etenim qui laborare Rhetoricæ discendæ percipiendæque causa, non commodum putas, profecto illum Ciceronem, quem eloquentiâ suâ per omnes honorum gradus ad Consulatum ascendentem, qui Romani fuerunt, viderunt, hominem ineptum, & inutilem putares. At sanè terrarum Domini Romani longè aliter, & de Cicerone, & de cæteris eloquentibus viris existimabant. Itaque ex minimâ tenuissimaque, Rempub. maximam, & florentissimam oratoria facultate, reque militari posteris reliquerunt: atque regnum armis partum eloquentes consilio, & orationis facultate moderabantur. Causis agendis ad rem cuique familiarem restituendam, tempus insumebant, & scelera mulctabant, & maleficia commissa: quibus rebus, & virtutibus laudandis, & immortalibus de patria bene meritorum officijs tantum imperium, & populi Romani nomen conseruarunt. Neque hæc eo solum exempla Romanorum profero, quod desint Athenienſium, & aliarum Rerumpublicarum, ad ea de quibus quærimus, comprobanda, sed vt intelligat, cum apud Romanos Principes terrarum, eloquentes viri, disertique homines, qui omni tempore ad Reipub. gubernacula sedere solebant, propter vtilitates & honores in eloquentia quoque comparanda tantum operæ, temporisque consumerent, historiæ inscium esse hominem, qui Rhetoricæ facultatem parum fructuosam dixerit; cum Romani huic faculta-

tari

tati percipiendæ, præcipuam operam nauauerint: præsertim cum nihil sit, quod quisquam ad alias facultates comparandas, aut ad id quod in Iurisperitia, in arte medendi, in sacra Theologia fuerint alumni consequuti, in lucem proferendum, aut vtilius, aut reuera præclarius facere possit.

Locus communis de Iureiurando ab exemplis & minoribus, locupletatus effectorum grauitate.

IN priuatis rebus si quis verbo, per iocum etiam, famam alicuius violauerit, quem attigisse voluit in circulis, non offendisse tamen, is iniuriam facit homini, de quo præsentes inducunt in animum ea quæ iocans alter dixerit: quanquã, non malitiosus honoris detrahendi causa dixisset, millies postea iuret. Itaque sæpè vnius, aut alterius verbi causa maximæ vetustissimæque amicitiæ, in grauissimas inimicitias conuersæ fuerunt. Qui iusiurandum falsum terrimum & valde execrandum iurauerit in aliquem reum innocentem, quanto grauius peccatum in Dei maiestatem suscepisse videbitur? Periurij constitutum est iudicium, non minus turpe, quàm furti, propterea quod quibus in rebus homines in iudicio testes adhibentur, in eorum testimonijs fortuna, salus, & honos rei positus est. Quod qui non religiosè dicat, sed pierauerit, is oppugnat omnium commune præsidium, & quantum in se est, tollit è iudicijs veritatem, atque Fidei Religionem, quam maiores in iureiurando positam esse voluerunt. Quod qui non coluerit, cum rei commodis officio simulato officit, tum sæpe vitam & honorem eripit, atque suam ipse lædit existimationem, & dignitatem, si quam habebat, vt se reddat infamem in perpetuum, si de periurio inter homines aliqua suspicione constet. Atque illud omnium est grauissimum, quod quem offendat, cuius maiestatem violet, non animaduertat. Contemnit enim & aspernatur Deum Immortalem, quem falsò iureiurando testatur ad confirmandum periurium, cum qui summa veritas est, audacter adhibetur & impudenter, apud quem id valet, quod iustum est, quod verum & ex optimis moribus & disciplina sanctissima. Itaque est, minimis in rebus, qui mendacium dixerit, quamuis magnum & impudens non fuerit, quoniam tamen amicum fefellit, improbus habetur,

betur, nec verum ei credere solemus, in his quæ firmantur iureiurando inter ipsos homines immortali Deo interposito religio ipsa iureiurandi, & metus Dei immortalis non apud homines valere debet? Nullum vinculum ad astringendam fidem iureiurando veteres arctius esse voluerunt, cum Deos suos, idola turpissima, lapides mutos, aut simulachra ex argento, atque auro parassent, nos celsitatem summi præpotentisq; Domini, nomen & maiestatem veri ac metuendi Dei pro nihilo haberi patiemur, & impiorum hominum ore linguisque sacrilegis violari? Quod vitium Romani in suis hominibus specie ac simulatione cultus non tulerunt, id nos in moribus nostris, & disciplina Christiana non exhorrebimus? Quid est aliud falsum iusiurandum dare, nisi velle tollere è vita veritatem, tollere Dei cultum & venerationem, tollere Religionem, & sanctimoniam, tollere metum ex Augustissima & infinita supremi Domini celsitate mentibus hominum iniectum? Quam multa sunt, quæ si decus hominum & famam violent, perferri non possunt, & quibus iniuriæ factæ sunt, se pecuniam grandem amissuros, se capitis periculum adituros esse, & homines, Deumque testantur, vt se vlciscantur, qui tantum dedecus suscepertuut, hominem, iudices, quibus iuramentum dant, fallere; reos identidem damnare, eisdem insidios è bona, famamque eripere, iuramenti religionem afferre non dubitarunt, qua hi homines tandem pœna plectentur? aut quo iudicio damnabuntur?

Locus communis ab auctoritate, exemplis, comparatione de studio litterarum.

SIc equidem apud omnes gentes constitutum fuerit, condiscipulum æmulo suo fratris loco esse oportere, nullam neque iustiorem, neque magis inter adolescentes colendam causam amicitiæ posse reperiri, quàm coniunctionem litterarum, quàm morum, quàm vitæ, quàm communem eiusdem muneris societatem. Quamobrem si velles eum relinquere non curantia alicuius rei, vel obliuione, quod fragilitas secum fert hominis, imbecillitasque communis, cùm is tibi fratris numero fuisset, id sine reprehensione facere non posses: cum verè, neque iniuriam acceperit, neque vllâ quidem in re ille tibi defuerit; coluerit autem piè sanctéque amicitiam, repetens, & conferens tecum rem litterariam assiduè: vnde fatearis necesse

necesse est, te eidem condiscipulo plurimum debere, qui tuorum studiorum rationes in hunc modum adiuuerit. Etenim cursus litterarius ad hanc rem tendit, vt eloborandum sit condiscipulis in bonorum æmulorum amicitia, officijsque comparandis. Neque sane cuiquam venire potest in mentem dubitatio, qui condiscipulus fuisset, quin ab altero adiuuaretur. Ita Ciceroni in Cn. Hortensium tanta amicitiæ colendæ causa semper fuit: fuit etiam quondam omnibus condiscipulis propter ingenij acumen, & progressus eloquentiæ maximos, & incredibiles, Ciceronis adolescentis quanquam obscuris natis parentibus, omni semper officio complectendi studium atque diligentia: nostra verò ætate, qui studiorum similitudine coniuncti fuerunt, & se multos post annos cum vident, studiorum huiusmodi repetita necessitudine, nihil libentius faciunt, neque studiosius, quàm vt agendas res horum amicorum, & ad vtilitates, quas potuerint eisdem præbere, se totos animo & voluntate conuertant. Atque id faciunt recordari studia pristina, mores, congressum, & consuetudinem, præceptores habitos, rationem contubernij, academiam, & gymnasia, quibus aliti sunt & educati: Adde repetitiones prælectionum communicatas inter se, collatasque difficultates, concertationes priuatas & publicas, argumenta posita refutataque, laudem ingenij parem reportatam ex decursu progressionibusque studiorum, cursum contentum ad lauream disciplinæ laboribus propositam, & scopum ad eundem gradum, & ad honores Reipubl. consequendos consensionem, & conspirationem mirificam, & æquabilitatem propè fraternam cunctis in actionibus, & susceptis litterarum, & studiorum rationibus. Quæ quidem ad omne munus & officium pietatis colendum, quantam vim & necessitudinem habent? At ne deficere putes sanctorum exempla, possem equidem afferre quàm plurima, Basilios, & Gregorios recordare condiscipulos: recordare cursum istorum Ecclesiæ luminum maximorum, in studijs, per tot annos contentum: recordare morum similitudinem, virtutum maximarum exemplar, progressiones egregias & memorabiles, tantam virtutis sapientiæque, magnitudinem, & Doctorum Ecclesiæ gradum celsissimum consequutum & verissima, quæ prædiximus, valdeque testata videbis.

Locus

Locus communis de perfidia Iudæ, ex variis exemplis & aliis constans argumentis.

DIscipulus factus es Iesu Christi, Iuda terrerrime, obtigit, tibi tanta dignitas, vt in tanti Domini societate esses, vt eum honorem consequereris. Commota fuit tempestas in præceptorem, in qua nihil sum dicturus, quid facere debueris: vnum hoc dico, in eiusmodi sorte ac dignitate statuere te debuisse, vt malles millies occumbere, quam præceptoris mortem depacisci. Iesus tui misereatur, qui suæ vitæ discipulum videbat insidiari scelestissimum omni fraude atque perfidia, & tamen omnibus te benignitatis tractabat modis rationibusque mirificis. Sed ne diutius lectorem teneam pecunia constituta numrata tibi fuit? abijsti statim in proditionis præfinitum locum, venisti citissimè in Præceptoris conspectum ad tantum, præpotentemque Dominum comprehendendum scelesta impiorum manu stipatus; simulatque à te præceptor visus est (cognoscite discipuli principium Domini sui prodendi, cohortique Iudæorum sacrilegæ tradendi) osculo signo dato comprehensionis seruus Dominum, discipulus præceptorem, parentem, altorem tuum, vindicem humanæ libertatis prodidisti. Video quid consequutum sit, verbo amici per Iesum Christum facto nihil commoueris, speras tibi auram posse aliquam afflari in hoc crimine proditionis relictionisque eorum, quibus Iesu Christi nomen odio fuit, quibus istam proditionem relictionemque Filij Dei vides fore expetitam; sed te post comprehensum Christum deserere cunctos vides: te de peccato traditi præceptoris insontis confitentem non audiunt, procul eijciunt & amandant, cum iubent teipsum videre, quid mali feceris, qui culpa omni liberum, & insontem Agnum tradideris. Itaque relinquunt te solum cum tuis paruulis nummis. Tu verò, quo tendis? quo, scimus; vt te laqueo desperans de misericordia Domini suspendas. Hoc est vereri præceptorem? Hoc modo aut Iacobus, aut Ioannes, aut quisquam discipulorum id temporis præceptorem est veritus? Quid hoc est, quæ imprudentia? quæ audacia? quod exemplum in hominum millibus sui præceptoris prodendi simile fuit vnquam auditum? Illi triginta nummi, quos depactus es, qui tibi traditi fuerunt, quos numeratos accepisti, non ostenderunt palam auaritiæ magnitudinem, non proditionis crimen

men execrabilis in oculis mortalium & ore statuerunt perfidiæ fraudem, & machinas fallacissimas? Quid si illinc locuples & thesauris refertissimus excessisses, tamen ista derelictio, nefaria proditio, nonne tantam perfidiæ nequitiam proderet? triginta nummis Dominum & Creatorem & Regem cœlorum addicere morti quantam habet peruersitatem? carius iumenta veneunt in mercatu. Equidem si perfidiæ labe perturbare omnia, & permiscere rationes humanas pessimus quisque velit totam vitam periculosam infestamque redder, si nullam Religionem infidelitas habebit, nullum respectum minoris ad maiores natu, nullam optatam & expeditam securitatem boni, omnium, & communis inimicus, qui fuit hostis suorum, societatem relinquit. Nemo vnquam inter proditores securus erit. Ille ipse Cn. Domitius, cui Regum maiestas honoratissima esse debuit, Bitulum Aruernorum Regem specie colloquij comiter inuitatum comprehendit, Romamque vinculis omnibus constrictum deferendum imperauit, vt apud eos, quorum exercitum, & prouinciam habebat, capitis, si Senatus censeret, periculum subiret. Quin Isabella teterrima Angliæ Regina, proditorum Fidei genere natam Auiam suam Reginam Scotiensem, & hæredem Angliæ legitimam per summam simulationem in Regnum accersijt, & Regia fide data, minimè Reginæ serenissimæ nocendi, post annos plurimos, post carcerem & iniurias maximas per scelus & perfidiam execrandam capite à ceruicibus abscisso prodidit. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ; quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Eum, qui palam est aduersarius, facilè cauendo vitare poteras; hoc verò occultum, intestinum ac domesticum malum non modo existit, verum etiam opprimit, antequam perspicere atque explorare potueris. Itanè verò Iudas, Auditores, præceptorem, Domitius Regẽ, Isabella Reginam repentè prodant, atque morti tradant acerbissimæ? O perfidiam execrandam! O portenta iure quidem infra terras, & ad inferos amandata! non possunt priuatorum & minimè tanta dignitate florentium fortunæ, vita, honos in maximo periculo non versari, inter ipsos, inter multitudinem maximam aliquo sæpe proditore versante, cum ipsi Reges ab alijs Regibus, Iesus Christus à discipulo proditus fuerit atque derelictus. Non potest ea natura quæ tantum facinus cõmiserit, hoc vno scelere esse contenta, ne-

ta, necesse quidem esse videtur, cum plura & maiora moliri in simili semper, aliaque execranda nimis audacia, perfidiaque versari. Idem iste teter execrandusque Iudas nonne proditioni suæ aliud & crimen adiunxit, vt desperaret postea de diuina misericordia collum laqueo inserens, & se laqueo suspendens? Illa Isabella nonne eadem in Christianos innumerabiles, quæ in Christianam Mariam fuit? Quid perfidiosis hominibus faciatis, aut ad quam spem tam perfidiosa, tam importuna animalia reseruemus, quæ in omne genus hominum, in Regiam maiestatem, in Dei ipsius celsitatem, in numinis diuini potentiam tam infesta fuerint atque contraria? Nolite quæso breuitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine perfidiæ crimen ponderare. Mihi enim necessario propetandum fuit, vt ad alias, quæ mihi constitutæ sunt, exercitationes peruenirem. Etenim qui perfidiosus est, hunc multis sceleribus implicitum esse necessarium erit, hunc eundem impudentem, hunc audacem, hunc crudelem & impium, hunc furem, hunc raptorem, hunc prædonem rerum humanarum & diuinarum hostem sacrorum, Religionisque, hunc denique ex omni scelerum colluuione factum fuisse.

Locus communis de Prætore.

PErtinet hoc ad summam Reipub. & ad existimationem Prætoris, salutemque oppidanorum, vt si innocentes existimari volumus, non solum Prætores seipsos optimos, sed etiam suos administros præstare debeant. Primum omnium opera danda est, vt ij Prætores sint, qui suæ famæ existimationique consulant. Deinde si in hominibus mutationes faciant, semper ita Rempubl. gerant, vt rationem reddendam sibi arbitrentur, quod est proprium ipsorum Magistratuum, & summa sanctimonia præditorum. Bene quidem & ille magistratus est probandus, qui sine periculo existimationis, & sine Reipubl. detrimento gerendus est: quod in illo salus, & dignitas Reipubl. agatur. Dum ab Africano vetus quidam assectator ex numero amicorum non impetraret, vt se Præfectum in Africam duceret, & id ferret molestè, noli, inquit mirari, si tu à me hoc non impetras: Ego non ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror, peto, vt mecum Præfectus proficiscatur, & adhuc impetrare non potui. Atque illa

fuit

fuit causa Scipioni se vltro legatum offerendi fratri in Asiam profecturo: quod inde cum honore fratrem reuerti cupiebat, quo cum aliqua existimatione proficiscebatur: & fratris rebus, & honori videbat fratri charissimo melius consulturum esse neminem. Etenim re vera multis magis est petendum ab hominibus, & iustitiæ sitientibus, si nomen, & existimationem nolumus amittere, vt illi nos adiuuent in administratione Reipubl. quam hoc illis in beneficium deferendum: qui tunc, cum ciuitatem & Remp. acceperunt, si boni non sunt, sed exulcerata conscientia, in ciuitatem, in oppida ciuitatis ditioni subiecta, quasi in prędam inuitari videntur. Itaque cum alijs administris, qui per eos prædantur impudenter, cum sibi quæstus constituerunt magnos: tum infinitum genus inueniunt ad pecuniam innumerabilem corripiendam, ad exinaniendas domos, ad exhauriendos loculos, ad homines omni argento & auro spoliandos, ad depopulandam vastandamque per omne tempus, quo Magistratum ipsi gesserint, ciuitatem.

Locus communis in laudem virtutis, cum exclamatione, & exemplis, & Acclamatione.

O Consuetudo virtutis colendæ, quantam vim habes in sanctissimis, & integerrimis hominibus, cum vsus viguit bene viuendi, & exercitatio in suis animis inueterauit! Vidimus hos ab improbis hominibus malè tractari, verbis & factis violari, neq; se minimum commouere. Vidimus etiam dignitates eisdē deferri maximas, & honores amplissimos, & minoris grądus omnes honorum celsissimos ducere. Vidimus eosdem contemni à nequissimis hominibus priuatim & publicè, & appetere magis iniurias quascumque, contumelias q; grauissimas, quā officiorum omnium cumulum & multitudinem ingentem. Ita radices egit altissimas in illorum animis virtus consuetudine benè viuendi, vt quæ Dei sunt, & animos ad Deum dirigunt, ac deducunt, solum appetant, cogitent, & agant. In eam enim consuetudinem & perfectionis absolutæ grądum peruenisse quotidiana exercitatione videntur, vt non solum eas voluptates, quas sæculi sectatores appetunt, respuant, sed vt nec minimum animos illorum pertentet appetitio, corporibus, quamuis in terra, animis tamen in cœlo versantibus.

Locus communis de consuetudine peccandi in vnius hominis exemplo.

O Consuetudo peccandi quantam habes vim in improbis & audacibus! cum occasio data fuit, cum pœna abfuit, & licentia consequuta fuit! Iste in hoc genere furandi non equidem nunc primum fuisse creditur, sed ab ipsa prope adolescentia, scimus paruulum à matre abstulisse res pretiosas, & gemmas, & annulos, & monilia, & emblemata furatum, domo paterna profugisse. Audiuimus adolescentem in carcerem aliquoties fuisse coniectum, quod vinearum, & hortorum, ad vuas, ad fructus furandos sæpimenta transilieret, fugientem in manibus vinitorum & colonorum, ne comprehenderetur, sæpe reliquisse pallium; ista omnia furta furis rapacissimi vindicata non fuerunt, superiorum temporum tenebris & caligine. At postquam illius flagitia sese effuderunt aliquod annos, cum iam virili ætate esset, & vxorem, & filios, & domum haberet, veterem consuetudinem à paruulo insitam, aliquoties intermissam occasione oblata reuocauit. Ita serpit illud insitum à naturâ malum consuetudine peccandi liberâ, finem vt audacia statuere sibi non videatur. Tenetur igitur aliquando, & in furto cùm maximo, tum manifesto tenetur: atque in eum se laqueum visus est indidisse, non solùm vt eas pœnas, quas proxime nefarius homo turpis, infamisque meruisset, solueret, sed vt illarum infamia redundaret ad filiorum dedecus ignominiamque perpetuam.

Ab Etymologia.

AD similium exercitationes conferuntur, quæ ab Etymologiâ petuntur: ijsdem enim modis, vt licet exordine cognoscere, amplificatis, excurrere magnificè videbitur Etymologia.

Primum

Primum genus amplificandi ab Etymologiâ ex ipsius nominis solùm notatione, in laudem B. Ignatij Confessoris.

SI nomina non frustrà videntur imposita, re præsertim posteà, & felici suo euentu comprobata, qua laude afficiendus eris Patriarcha sanctissime? qui Ignatius dictus non immeritò, igne cœlesti, atque diuino collucens, Orbi terrarum vniuerso sic mirandum in modum illucere visus fueris, vt igne inextincto faces diuinæ Religionis, vbicunque fueris, magis accenderis? vbi extinctas repetisti, accenderis per te, per tuos alumnos Christi Iesu veri sempiternique ignis illato flagrante lumine?

Secundum genus ab Etymologia cum alterius nominis notatione, in eiusdem Beatissimi Patriarchæ laudem.

SI B. Chrysostomus nomine suo aureum eloquentiæ flumen præferens (id enim significat Chrysostomus) eos perennes & inexhaustos fontes effudit, siue scribens, siue enuncians diuinum verbum, quibus tantas Matri Ecclesiæ vtilitates pepetit, & aurum Christianæ Fidei illustrem suum splendorem ad animorum salutem, diffudit: Es tu in æterna gloria, Beatissime Ignati, qui confessor Ecclesiæ sanctissimus, ignem nomine prælatum latere passus non es, sed præsagitionis diuinæ comprobator maximus ignescere visus es per omne vitæ tuæ tempus ignis diuini lucem diffudens ad opem proximis afferendam, & ad illorum illustrandos animos. Atque illo potissimum tempore ignescentem admodum vidimus ignem hunc, cùm in Beatorum cætum illustrem Pauli sanctissimi, hoc nomine Quinti Pontificis Romani, Vicarij Christi Iesu auctoritate, afflatuque diuino cooptatus illuces & lucebis in omnem sæculorum memoriam sempiternam.

Tertium genus amplificandi ab Etymologia vocabuli, in eiusdem S. Confessoris laudem, ex multorum laude ab eadem notatione petitâ.

SI Petri nomen, fidem firmam & stabilem præfetulit, si Laurentius suo nomine visus est gerere lauros virentes & glorioſos, si Andreas nominatus illinò, virum se cœlestem atque diuinum ostendit, si Paulus celebritate eiusdem nominis, se tubam ingentem Domini, buccinatoremque diuinum, toto terrarum Orbe mirando clangore personantem, atque adeo fulmina iacientem, quæcunque loca persuaserit oraſque terrarum, præfert præbetque mortalibus; quâ laude, quâ oratione commendabimus B. Ignatium Patriarcham Ecclesiæ inclytum, abigne dictum, quo totam Ecclesiam à solis orientis partibus, in Occidentis vsque sedes vltimas illustrare visus est? Vt in sanctissimis viris, à nobis in medium prolatis, & in alijs maximis Ecclesiæ Principibus de industria præteritis, nominis eximia illustrisque laus in Beatissimo Ignatio Societatis Iesu auctore celsissimo spectatur tot radijs virtutum suarum Ecclesiæ nunquam non illucentibus.

Quartum genus Amplificandi ab Etymologia vocabuli cum contentione, in eiusdem Patriarchæ laudem.

QVæ in nomine tuo insunt, faces ignis ardentes reconditæ & abstrusæ, pateant & ostendantur generi mortalium Princeps Ecclesiæ clarissime. Nam si nomen augurium est virtutis in animo insidentis, quæ latere non potest diu, quin emergat, & foras proijciat sese quæ in tuo nomine est præsagitio? quam clara & illustris? quanto solis splendore clarior? Ignis excussus è silice scintillas ejicit foras; Ignatius eas longè lateque splendentes emisit, ab hostibus virtutis vexatus sæpe ac sæpius. Scintillæ huiusmodi in fomitem deorsum versus decidunt, ad fomitem incendendum; Ignatius sursum versus in cœlum suos fulgores diffudit, & illustratas magnas Ecclesiæ

Ecclesiæ partes nouâ claritatis luce chariores & illustriores reddidit. Ignis sæpe extinctus flammam amisit, neque lucem afferre potuit; Ignatius ignis fuit inextinctus, & à traductionis suæ tempore tantâ diuini numinis luce splenduit, vt illius flamma cœlestis ac diuina magis ac magis creuerit, & illuxerit in omne tempus: denique vt alia omittam, ignis iste, quo vtimur, purus purgat, & emicat in tenebris, quæ circumcircaque fuerint, ea suâ luce complens, & oculis proponit spectanda mortalium: At Ignatius non solum diuinæ gratiæ splendore animum suum, sed innumerabilium mentes illustrauit. Quas enim facibus diuinis nefarias opiniones, quas suorum alumnorum luminibus hæreseos, quas idololatriæ tenebras et immerias dispulit & dissecit illustrissimus? Omnia fuerunt eiusmodi, quæ nominis insignem gloriam satis insigniter ostenderunt.

Quintum genus amplificandi ab etymologia ex eadem notatione cum exemplis & acclamatione in eiusdem Beatissimi Patriarchæ laudem.

VEre Ignatius dictus es, qui igne tuo tantum ignem, cœlestem atque diuinum, Christum Iesum, qui ignis est clarissimus in orbem terrarum, in Mexicanam, in Peruanam Indiam, in Iapponios, in Sinas, in cæteras quascumque orbis terræ partes, tantâ tui nominis laude & tuæ Religionis celebritate glorioſus inuexisti: testis est nouum regnum Mexicanum, quo igne cœlesti micantem Iesum inuexisti. Testes Peruani, quorum nullæ partes oræque terrarum, quas tanti ignis collucenti claritate non illustraueris, tot Idolorum ex illis gentibus depulsis monstris deterrimis. Testes ipsi Iapponij, qui quanquam suorum addicti superstitionibus Bonzorum (sic enim suos Religiosos appellant) tamen tanti ignis lucem acceperunt repudiatâ maiorum fallacissimâ Religione. Testes ipsi Sinarum sinus vltimi, regnaque ex omni parte præclusa, quo cum alienigenarum pateat aditus nemini, tantum tamen ignem tuorum doctrinâ inferre passi fuerunt, & quo non duces, non milites, non naues vllæ, non classes aditum habuerunt, ignis Ignatij Beatissimi, diuinæ faces Iesu splendore conspicuæ illustresque penetrarunt. Testes denique loca

omnia, sola terrarum vniuersa, quorum intimos recessus remotissimosque angulos facibus Ignatij illustrata Iesu Christi vexilla longè lateque rutilantia suas in arces altissimas sustulerunt atque adeò explicuerunt, vt crucis sanctissimæ gloriam, Christi Iesu nomen cœleste cultu suo, præcipuaque Religione, humiliter demisseque suspexerint. Tanta fuit Ignatij claritas, tantus splendor suorum illatis facibus alumnorum gentibus cunctis ac nationibus.

Sextum genus amplificandi ab Etymologia sola, cum comparatione, in eiusdem Patriarchæ laudem.

IGnis es, Ignati Beatissime, id quod nomen declarat ab igne ductum traductumque clarissimo, quo fulgens non in terrarum solum infimis sedibus illustrasti Insulas & habitatores omnes, sed altius euectus superas in Regiones, penetrasti æthera purum & illustrem admodum, & tanti ignis facibus diuinis conspicuus in cœli domicilia sublimis intulisti teipsum: vbi heros cœlestis aulæ præcellentissimus luces & lucebis inter tot lumina sanctorum clarissima ignis tui faces claras & illustres totis illis immortalis Dei regnis florentissimis longè lateque diffundens. Atque tanto clarior, & illustrior igne nostro lucebis, quanto syderum minimorum luce Sol princeps astrorum clarissimus, clariorem & fulgentiorem claritatem emittit. Quin quemadmodum Sol iste cunctorum astrorum splendorem occultat, simulatque exortus est, nullam illucere sinens stellam, non ipsum luceferum, non facem nocturnam, Lunam clarissimam: sic equidem ignis iste claritate Ignatij, in omne tempus lucem habitura perpetuam, offunditur & obscuratur adeo, vt nullum ignis istius vestigium videre possit, illucente fulgenteque Ignatio Patriarcha clarissimo.

Vltimum

Vltimum genus amplificandi ab Etymologia ex superioribus constans amplificationibus, in Beatissimi Ignatij Confessoris laudem.

SEd quam lucem tuum nomen afferat Heros Ecclesiæ clarissime, videmus omnes & vident, qui te ab igne cœlesti dictum laudant commendantque magnificentissimè, vt non immerito, sed iure tuo optimo maximoque nomen afferas, lucis claritatisque plenissimum. Quæ enim non testatur vitæ tuæ pars à traductione miranda lucis tuæ radios siue virtutes clarissimas, & inter illas demissionem, patientiam, caritatem proferat, siue fructus ostentet vberes, siue conflictus cum tribus humani generis hostibus acerrima contentione pugnatos, & victorias, & insignias victoriarum ostendat, siue lucem allatam cunctis gentibus atque nationibus ignis istius diuini claritate proferat in publicum, siue opus diuinæ virtutis magnificentissimum, monumentum Religionis illustrissimæ constitutum ad immortalis Dei gloriam sempiternam visendum spectandumque proponat. Omnia hæc plena lucis, plena claritatis spectantur, & spectabuntur in perpetuum. Vt enim columnam igneam Deus immortalis generi Solymorum in delicijs maximis habito præeuntem præposuit, quæ nocturnis in tenebris lucem afferret clarissimam, suis iter facientibus per vastam ac desertam solitudinem, & interdiu oppositu obiectuque suo à Solis molestijs, & ardoribus flagrantibus tueretur atque defenderet: Et ipse Deus summus præpotens, Ignatium Heroem cœlestem, Antesignanum Societatis Iesu clarissimum & illustrissimum, ignis diuini facibus flagrantem illustribus conspicuisque, mirandum in modum generi dedit mortalium vniuerso, ad tenebras ignorantiæ ex eorum mentibus disijciendas, & ad lucē fidei, virtutis, sanctitatis, perfectionis absolutæ, ex Christo Iesu exemplari viuoque Patris æterni lumine acceptam, in omnia terrarum Regna ingenti diuinoque splendore diffundendam: in quam aspicientes mortales, eamque lucem accipientes cœlestē ab incursionibus hostiū humani generis capitalium assiduis defenderentur, & colluecente tanto lumine circumfusi, in quam nati fuerunt patriam

cœlestem, agni lumine lucentem fulgentissimo clari illustresque conscenderent. Testis fuit imprimis traductio tanti Principis à sæculi tenebris ad Christi lucem eximiam, qua sic ab eo tempore lucere visus est facibus diuinæ claritatis accensus, vt in illius ore, oculisque niteret cœlestis atque diuina claritas, sæpe ac sæpius animaduersa. Testis fuit cubiculum illud viri clarissimi, quod fenestris ac foribus ex omni parte conclusis, obscurum & caliginosum, ingrediente Patre hoc sanctissimo hominis istius in tecto iacentis inuisendi causa, immensa claritate continuo compleri visum est. Testis est matrona splendidissima, quæ Ignatium in habitu ac forma peregrini, in templi gradibus, inter infimam multitudinem confidentem diuino splendore fulgentem conspiciens, admirata primum suam in domum vocauit, hospitio excepit liberalissimo, & ab illo tempore sumtus & impensas in studiorum cursum persequendum misericors ac liberalis impertita fuit. Testes fuerunt, & domestici multi, & externi & alienigenæ, qui eundem diuersis temporibus lucis diuinæ magnitudine lucentem fulgentemque non exigua sæpe admiratione conspexerunt. Testis postremò, ipse Pater & Antesignanus cœlestis, qui post discessum è vita, & in illam Dei immortalis aulam glorioſam ascensum, statim multis visus fuit in clarissima cœlestique Beatorum claritate collucens. Testes denique suæ laudis inuidi, vt omittam vitam sanctissimam, miraculaque stupenda, (non enim in oratione, sed in exercitatione versor) qui quanto maiore contentione, modis omnibus ignem hunc extinguere conati fuerunt, ventis omnibus aduersis perflantibus nunquam tamen eum extinguere potuerunt, nec extinguetur vnquam diuinis radijs insignis atque conspicuus. Atque hoc clarior, auditores, igné fuit Beatissimus Confessor Ignatius, quod ignis vel minimo flatu visus est extingui protinus fumigante deinde lucerna. At Ignatius, nullis turbinibus, neque cæcis procellis, nullis turbulentissimis tempestatibus concitatis, non dicam extingui, sed neque minimam accipere visus est offensionem, quin in medijs hisce fluctibus, magis ac magis sublatis, atque intumescentibus, clariorem de se semper, & illustriorem lucem, splendoremque diffudit. Quamobrem iure quidem optimo Ignatium appellatum, & dicimus, & prædicamus omnes veræ virtutis amantes, & æterni Beatorum nominis appetentes.

PRÆ-

PRÆEXERCITATIONES AD SIMILIA REVOCATÆ.

Præexercitationes ferè omnes, quæ sunt veluti fundamentum artis Rhetoricæ, ex similibus, comparatis, exemplis, testimonijs, & contrarijs, cum similium tractatione coniunctis petuntur. Quamobrem deesse viderer muneri argumentorum istiusmodi tractandorum, si relinquerem intactas aliquot magis præcipuas præexercitationes. Primum à fabula incipiamus.

DE FABVLA.

Præceptiones Fabulæ.

Fabula est rerum, quæ falsæ sunt, narratio.

Dilatatur fabula *exordio*, laudem auctoris breuiter continente; *Præfabulari*, id est fabulæ expositione; *facto* quòd adiunctis, & sermocinatione ostenditur; *collatione* eiusdem rei cum altera; *epilogo* breuiter complectente illud, quod ex totius exercitationis processu volumus effici.

Fabula Paridis, Exordium.

HOratius Princeps Lyricorum, præclara ingenij sui monumenta posteritati commendauit, non ad poesim solùm summâ cum absolutione exprimendam, sed ad hominum & præcipuè adolescentum animos, qui cum se corroborassent, & viri inter viros essent Reipub. Gubernacula accepturi erant, salutaribus consilijs, & bonis moribus imbuendos. Quicunque multitudinem & varietatem carminum Lyricorum, quibus poëtis cuiuscunque ætatis ac memoriæ

præstitit, qui sermonum & epistolarum duo præstantissima opera perlegerit, inueniet profecto sic cum amicis, sic cum Heroibus maximis, cum Principibus Reipub. cum ipsis Diis, quorum fabulas lepidè acuteque carminibus prosequutus fuit, colloquutum fuisse, vt ad mores, ad virtutem, ad Rempub. ingenij, quod in illo maximum fuit & acerrimum, vim omnem contulerit. Itaque præter nonnulla, nihil vnquam, neque verum, neque credibile, neque fictum & commentitium tractauit, nisi Reipub. vtilitatem, amplificationemque contendens. Id quod in homine experte fidei Christianæ, & erroribus ac superstitionibus Idolorum constricto magni fuit faciendum: & ob eam rationem magis, quàm alij veteres quicunque Poetæ, detractis nonnullis, & ad legendum, & ad imitandum iuuentuti præponi iure quidem optimo debuit Horatius. Illius mentem, & fructus, cùm ex alijs lector suæ vtilitatis appetens spectare potuerit, tum ex fabulis, in quibus mores hominum & quotidianam vitæ imaginem expressam breuiter aspicient: atque ex illis Patidis præcipuè, nemini quidem in poetis versato incognitâ, sedulus, & diligens æstimabit.

Præfabulatio.

QVæ proculdubio eo spectat, vt turpem voluptatem, & execrandam libidinis impuritatem, omni studio diligentiaque fugiamus: qua nullam neque diriorem, neque magis capitalem pestem, neque magis infestam & pernicio'am animis adolescentum & ad euertendas delendasque funditus Respublicas magis exitialem, ad regnorum maximorum exitium, & interitum tam rapido præcipitique impetu ferentem inueniemus.

Factum.

PAris igitur adolescens in Græciam nauigans, Micænas, quæ ciuitas fuit opulentissima & sedes ac domicilium Agamemnonis, ventis tandem fœliciter aspirantibus appulit. Quem cum filium Regis Priami, & totius Asiæ summi præpotentisque Domini sciret esse Menelaus, quod & forma illius liberalis, os Regiâ stirpe dignissimum, membrorum & lineamentorum omnium mira conformatio, maximus lepos ac suauitas sermonis, comitatus multorum aulæ Regiæ Heroum,

Heroum, mirifica vrbanitas, & elegantia facile præferebat, hospitio magnificentissimo domi suæ excepit. Accidit vt ab vrbe abesse Menelaum, dies aliquot necesse fuerit. Absente Menelao Paris adolescens, & in libidinem effusus, flagrare cœpit Helenæ amore detestando: cuius pulchritudine captus vt exarserat (erat enim spectata mirandaque venustate prædita) totus ardebat, peribatque miser. Qui igitur oculos ad illam adiecerat libidinis execrandæ, protinus ad rapiendam, secumque Troiam viro absente deferendam animum adiecit. Quid (inquit) faciam, totus ardeo, flagroque totus, postquam Helenam accepi, & nisi meum animum expleuero, apud me nunquam esse potero. An vero ego Iouis Filius Priami sim, filius Regis Asiæ potentissimi, & idem Regia & excelsa stirpe procreatus, & non ita me comparem, vt Helenam vxorem ducam, Regia etiam sanguinis & nobilitatis stirpe procreatam, & adeo pulchram, adeo venustam, vt nihil supra, florem ipsarum mulierum & speculum & exemplar pulchritudinis? Ne vos diutius moror, omnibus verborum blanditijs, & illecebris voluptatum, pollicitationibus magnis Helenam in suum amorem pellexit. Itaque absente Menelao, nihil tale neque cogitante, neque suspicante de filio Regis, quem tali, ac tam excelso sanguine natum esse sciebat, vt nihil Regum claritate, neque tanta celsitate generis indignum cogitaret, tantum abest, vt id faceret, quod fecit, & turpiter patrauit, fidem hospitij violauit, libidinisque macula turpissima, rapiens & abducens Helenam affecit. Reuersus postea Menelaus, & arreptam vxorem videns, quid putatis illum fecisse, quidque fudisse querelarum? frendere ac fremere Menelaus, totus iracundia flagrare, sibi ipsi vim, quasi afferre, inicere manus vestibus, inuolare suis propriis manibus in barbam, atque illam furenter arripere, & testari seipsum, suorum nobilitatem maiorum, cœlum Deosque omnes, & crebro ictu ferire terram, minari mortem Paridi, interitum Priamo, & vrbi Troiæ, Regnis & imperijs Asiæ vastitatem & exitium vltimum, nisi reddiderit, & restituerit Helenam. Accusare Paridem perfidiæ, accusare violati hospitij, sæpe perfidum & proditorem dicere, sanguine Regum indignissimum, denique cum fratre Agamemnone agere, concitare Principes Græciæ, & Agamemnonem præcipue, vt ornata instructaque classe in Asiam proficiscantur. Vt sciat Paris, vt sciat Priamus, sciant Princeps totius Asiæ, quibus Paris iniuriam fecerit, quos viros

Ducesque

Ducesque Græciæ fortissimos lacessierit. Menelaus facilè rem impetrauit ab Agamemnone, & a reliquis Regni Principibus qui partim sui honoris appetentes, partim iniuriæ magnitudine commoti post delectus habitos, & classem omnibus rebus ornatam & instructam secundis ventis, in Asiam venerunt. Qui cum frustra repetiissent Helenam, obsidione premere vrbem Troiam per decennium non destiterunt: donec multis leuioribus prælijs factis, vulneratis & occisis vtriusque partis Ducibus fortissimis, post tantam temporis longitudinem, post decennij molestias & clades mutuo acceptas, Troia fallaciis ac fraudibus Sinonis capta fuit, & solo adæquata, partim flammarum ardore conflagrauit, innumerabilesque occisi fuerunt, & inter illos multi Principes Troiani, Priamus Rex potentissimus, vltimâ iam senectute confectus, in ipso Apollinis templo, frustra loci religionem, & Deorum opem implorans crudelissimè fuit interfectus. Multi relictis patriis sedibus, profugi & extorres in aliena Regna se receperunt, nunquam amplius solium patrium aspecturi; multæ virgines, & fœminæ lectissimæ, ipsa regina Hecuba, tot vrbibus, tot prouinciis, tot Regnis quondam florentissimis potentissima in seruitutem miseram adducta. Vrbis tandem opulentissimæ, & Principis tot Prouinciarum, vestigium nullum ferè relictum fuit imposterum.

Comparatio.

QVanto præclarius fuit Æneæ factum, & ad posteritatis memoriam glorioſius, qui præbens aures nuncio Mercurij, statim Iouis mandata exequutus fuisse dicitur: atque nullâ morâ interpositâ excessisse Carthagine, maria multa alia, quæ restabant, nauigasse, & prospero ventorum flatu, tandem aduersante Iunone, & ad classem submergendam obruendamque opes Acherontis excitante, quo nauigationem instituerat in Italiam peruenisse. Cum Italiæ fines attigisset, sibi, suisque requiem & sedes comparauit nominis immortali gloriâ. A Rege namque Latino liberaliter exceptus, quamuis post aliquot bella confecta, ducens in matrimonium filiam Regis, Lauinium condidit, vrbem inclytam & opulentam decursu temporum, quam ab vxoris nomine, gratus & memor hospitij appellauit. Inde filius Iulius Ascanius ædificauit Albam; vnde Reges Albani, vnde etiam Reges Romani, tot

Principes

Principes & Cæsares inuictissimi, qui terrarum orbis Imperio potiti, summi præpotentesque omnium gentium ac nationum Domini fuerunt: quorum nomen barbaræ gentes metuerunt, omne genus hominum coluit, & affecit honoris & gloriæ ornamentis sempiternis. Neque vllæ vnquam tam rudes & impolitæ nationes, tanta humanitate & elegantia præditæ, quæ nomen illorum non immortalitatis præconio prosequerentur.

Contraria.

ATque vt Paris nomen suum æternis dedecoris & ignominiæ maculis aspersit, qui à tanta tamque contestata Regum clarissimorum virtute degenerauerit, neque quisquam vnquam nominauit, quin execraretur, & ex ius vellet, tanquam dirum & fatale monstrum memoria delere: sic Æneas nomen suum clarius & illustrius rerum præclarè gestarum gloria reddidit. Quis autem legit Maronem, qui non Æneam omni sæculorum memoria dignissimum iudicauerit? Paris sceleribus parenti Priamo mortem, Regnis occasum attulit, Æneas factis egregiis, & immortalibus principium dedit Romanorum Imperio, & eorum virorum famam tanti Ducis posteri extremis præcipue Reipubl. Romanæ temporibus magis propagarunt, & nomen, & imperium vltimis terrarum finibus terminarunt.

Epilogus.

QVis igitur non videt libidinem fugiendam esse tamquam pestem animorum capitalem, & ex Dei immortalis præscriptionibus sanctissimis, omnes nostræ vitæ actiones dirigendas, & ad cœlestis aulæ gloriam conferendas esse: ne quam sibi pestem Paris asciuit, & inuexit vltimam, nos animis nostris temerè ac furenter comparemus: sed obtemperantes Deo, diuinaque illius placita sequentes, cum ab aliis flagitiis, tum etiam à libidine abstineamus? Nunquam autem ad appetendas mulieres oculos coniiciamus, si volumus, quemadmodum Æneas in Italiam appulit, nos in sedes ac beatorum domicilia conscendere.

CHRIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0159
DFG

CHRIA.

CHRIA est commemoratio breuis personæ alicuius, vel acti, vel dicti, vel vtriusque simul.

EST autem Chria triplex. VERBALIS, quæ verbis constat: vt Plato dixit, virtutis Ramos ex sudoribus, laboribusq; nasci. ACTIVA, quæ factum solùm recenset, vt Pythagoras interrogatus, quanta esset hominum vita, cum per exiguum tempus se conspiciendum præbuisset, è conspectu statim se subduxit humanæ vitæ breuitatem, ex illo breuissimi temporis spatio significans.

MIXTA, quæ oratione pariter, & actione constat: vt cum Diogenes adolescentem lasciuientem vidisset, illius pædagogum baculo percussit: quid, inquiens, talia puerum doces?

CHRIA dilatatur exordio, expositione, ratione, contrario, simili, exemplo, testimonio, peroratione.

EXORDIVM auctoris laudem continet.

EXPOSITIO declarat, quid verbo, aut dicto significetur.

CAVSA, rationem aut dicti, vel vtriusq; reddit.

CONTRARIVM docet, quid mali ex contrario sequeretur, aut quid boni, si res ita fiat.

SIMILITVDO, exempla, testimonia, ad confirmationem afferuntur.

EPILOGVS breuiter capita superiora complectitur, aliquamque ad id, quod propositum est, aut adhortationem, si honestum sit: aut si turpe sit, detestationem continet.

Chria

Chria actiua de Lacedæmonum consuetudine ante puerorum oculos statuentium ebrios Seruos.

INter alias orbis terræ gentes ac nationes clarissimas, quæ Respublicas bene moratas, præclareque constitutas habuerunt, tantâ nominis celebritate Lacedæmon viguisse fertur, vt vulgò sermonibus hominum, & publicis litteris ac monumentis hominum seueros Lacedæmon appellàretur, ob suorum hominum spectatam nobilemque virtutem. Lycurgus enim eas leges tulit, cæterique legislatores, quibus togæ militiæque ad omnem temperantiam, & morum honestatem, iam indè à pueris Lacedæmones formabantur: sic autem viri, mulieresque agebant, vt peccandi sublatas de medio haberent occasiones. Quamobrem mulieribus, quibus liberior viuendi, quod ad corporis cultum spectat, licentia dari posse videbatur, sic facultas præcidebatur omninò, vt neque rutilare capillos, neque os fuco pingere, neque auro pretiosisque vestibus corpus ornare, neque vllo simulationis artificio præferre speciem aliquam pulchritudinis ad fallendam capiendamque iuuentutem possent. Viri autem sic in omni laboris & corporis contentione exercebantur, vt nunquam otiosam vitam, & refertam voluptatibus agerent: sed ad militares labores, ad hyemis niues, & glaciem, ad Solis ardores, & æstus, calores grauissimos fortiter perferendos, ab ipsis incunabulis sese assuefacerent. Quæ cùm ex aliis legibus latis ad Rempubl. constitutionem prudenter latis, tum ex illâ vetustissimâ consuetudine iam inde à primis istius imperii temporibus constanter seruatâ, facilè cognoscemus. Cùm enim filii sic alerentur, vt nunquam cibo complerent sese, vt esuirent semper, nec à mensa surgerent vnquam saturi; tum seruos quosdam ebrios vino multo, quod prandentes hauserant ante illorum oculos parentes statuebant.

Expositio.

QVo facto parentes optimi, vereque filiorum suorum amantes filios admonitos esse volebant, vt cùm in cibis, tum præcipuè in potu mirificè abstinentes essent. Quod vt melius præstarent & auidius, seruos istiusmodi vino obrutos spectandos conspiciendosque proponebant: vt è nimia potus intemperantiâ, seruorum perspectâ deformitate facilè deterrerentur.

Ratio

Ratio.

NAm si bona indole essent, & honoris appetentes ac digni proborum beneuolentia & charitate esse vellent: horrerent statim aspectu deformitatis nefarium & execrandum ebrietatis portentum. Nam quid ebriis fœdius? quid temulentorum fœditate deformius? quorum oculi diducuntur, genæ flagrant, labia tument, nec lingua, nec pes, nec manus officium suum facere possunt: sic grauitate corporis, & in tolerando pondere laborant, vt se commouere nequeant, iudicio sæpe, & sensibus spoliati, tanquam stipites & trunci iacent, vino obruti, donec crapulam edormiant & exhalent.

A contrario.

COntra verò, qui modicis potationibus est affectus, & modum ac moderationem in bibendo tenet, vt temperatus fuerit, ita bene constitutus erit corpore, & ad suscipiendas omnes actiones mirificè affectus. Neque dignitatem oris, compositionem membrorum, & omnem totius corporis constitutionem præclaram amittet, quæ perturbari solet intemperatissimis perpotationibus: sed erit mirâ venustate oculorum, suauitate coloris, dignitate oris, viribus integris, & valenti corpore, sedatâ mente, pacato animo, iudicio denique integro; vt omnibus corporis & animi muneribus præclarè fungatur.

Similitudo.

VT enim simul atque furor hominem inuasit, ille omni iudicio spoliatus, res agit plenissimas inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis: sic ebrius, quasi mente captus, non delectu aliquo, aut iudicio duci potest, sed impetu semper, ac præcipiti furore, quem qui vident, vt insanum & furiosum fugiunt, ne impetus faciat violentos ac furentes: quia de mentis statu deiectus motus habet turbulentos & concitatos & omni ratione vacuos.

Exemplis.

Exempla.

AN verò exempla deesse possunt, cum Poetarum fabulis tali Bacchus describatur: qui plenissimus vino, serris redimitus, cornibus ab vtraque parte frontis prominentibus, flagrantibus oculis, accenso vultu, fistulam ore admoueat, & bacillo crebro vehementerque tympanum pulset, iacens humi, diductis cruribus, totus vecors & amens. Quod si à fabulis transeamus ad veterum annales, quod dedecus & ignominiam subire coguntur Byzantii, qui procliues, atque propensi ita ferebantur ad bibendum, vt relinquerent suas domos, peregrinis locarent, transmigrarent in cauponas, vt se vino magis complerent, & obruerent? Quamobrem ea in se, in suos admiserunt, quæ nec honestè dici possunt. Ebrietate vinoque diffluentes delectabantur tibiarum sono, clangorem buccinæ tubarumque fremitus sustinebant: territi statim illi, dissipati, diuersique fugiebant, quasi æstro quodam perciti, & tædis furiarum ardentibus agitati. Quot verò ex sacris litteris viri petentur, qui sine modo bibentes perpotationibus immoderatis mortem sibi conscíuerunt? quis non accepit ex Machabæorum libris ebrium & temulentum factum fuisse Simonem senem, & filium eiusdem, quod simul atque intellexit Ptolomæus, arma cœpit statim, & cum militibus in palatium, in quo conuiuium maximum lectis magnificentissimè stratis celebrabatur, tumultuosissimè inuasit, & ille & milites cædendi faciunt initium & stragem, in illum, in filios, in pueros irruentes horribilem, nulla misericordia alacres & exultantes edunt? quis etiam tam ignarus erit sacrarum litterarum, qui non legerit aut audierit aliquando, Holofernis Assyriorum Ducis feritatem maximam, & eiusdem exercitus innumerabili multitudine militum abundantes? cum is se vino obruisset in conuiuio, & iaceret in lecto, nimiâ ebrietate sepultus, nonne gladium eiusdem Iudith fortissima virago arripuit, & diuino robore munita bestiam immanem turpissimâ morte confecit? Cuius capite prospecto Assyrii soluere statim obsidionem, mouere castra & mulieris vnius magnanimitate perterriti, terga vertere turpissimè cœperunt.

Testimonia.

NOn immerito profecto, ebrietatem multi mortem appellauerunt: qua sic homines orbati sensibus manent, ita sine mente, sine iudicio sunt, vt illos inter mortuos numerare valeamus. Quid quod sine corde dicuntur esse, & hac ignominiæ labe ab Osea vate notantur? & meritò, quia vecordes sunt, & ipso sæpe Athamante dementiores.

Epilogus.

QVi voluerit igitur sanâ mente, integro iudicio, viribus firmis, præstantiâ hominis præcellentissima valere, fugiat ebrietatem, execretur perpotationes, & ita præfinito bibat, vt semper corpore sit & animo præclarè constituto ad omnes suscipiendas actiones: ne videatur omnem exuisse humanitatem, & in pecudem intemperantissimam turpiter degenerasse. Hoc lectorem factum Lacedæmonum, damna ebrietatis, similia, & tot exempla ac testimonia satis præclare docuerunt.

SENTENTIA.

SENTENTIA *est, quæ quid sit, aut quid esse debeat in vita breuiter ostendit.*

SENTENTIA *dilatatur, eisdem capitibus, quibus Chria.*

SENTENTIA *differt à Chriâ: illa enim nunquam in actione consistit, & sine auctore sæpe effertur.*

Tractatio sententiæ.

Qui se exaltat, humiliabitur.

Exordium.

ASsertor humani generis Christus Iesus ab æterno Patre missus in hæc terrarum sola fuit, non solum ad homines ex Dæmonis miserâ seruitute in pristinam libertatem vindicandos, sed etiam ad viam cælestis aulæ, sua cælesti doctrina, & actionibus vitæ sanctissimis demonstrandam: ad quam aspiraremus & mirabili celeritate festinaremus, præceptis,

ptis, & consiliis tanti Domini diligenter obsequentes: sed hæc sunt Perfectorum, & summa sanctitatis laude florentium; illa cuiuscunque generis hominum studio diligentiaque seruabuntur, si Beatorum gloriæ immortalis participes esse voluerint. Hinc demissionis, patientiæ, religionis studiosi, valdeque appetentes multi fuerunt, multi rebus huiusce sæculi nuntium omninò remiserunt, vt Christi Iesu sanctitatis absolutæ, si non exprimere, suis saltem moribus, & vitæ actionibus adumbrare conarentur. Quam viam quo facilius angustis consiliorum semitis vtentes arduam attingue altam conficiant, ipse Christus Iesus faciliorem patefecit & illustriorem, cum exemplo suo mirabili, tum sermonibus multis de virtutibus ad viam hanc perfectæ sanctitatis hominem ducentibus, præclarissimè diuinitusque factis, inter quos post laudem demissioni tributam superbos deprimendos ostendit, ea quæ sequitur sententia.

Qui se exaltat humiliabitur.

Expositio.

QVibus verbis Vindex nostræ libertatis significare voluit, superbos & insolentes, qui sese insolenter extulerint, & alios præ se ipsis contempserint, sibi semper principatum vindicantes, propter inanem iactationem & insolentiam, gradu suæ dignitatis altissimo deiiciendos esse.

Ratio.

ET meritò quidem, optimè sibi quisque istud in animum inducere potest: quibus enim hominibus non fuerit infestum & odiosum genus superborum? Quippe quod elatum, arrogans, nobis cœlitibus, & ipsi Deo immortali bellum facere videtur. Videre autem est illorum superbum incessum, cum fastidio & arrogantia, difficiles ad illos aditus, & penè occlusos, vultum & frontem immotam, grauitatem spirantem, fingentem horridam seueritatem, iactationem illam brachiorum, nutus & significationes, vt Reges agere videantur, & Principes in celsissima honoris sede collocatos. Præ se contemnunt quoscunque alios, & cum superbia colloquentes sumunt spiritus plenissimos elationis & arrogantiæ. Neque his duntaxat illorum superbia finibus continet sese: sed eo progreditur amentiæ, vt mentiti Regiam dignitatem, exercitant

crudelitatem. Hanc intolerandam superbiam cum perferre nequeat summus, præpotensque Deus, nec perferenda quidem sit, tandem eos iustis ac debitis suppliciis afficit.

A Contrario.

QVi verò demissionis viam contendunt, & humiliter se gerunt in homines, non pares duntaxat, sed in infimos etiam, & nullo splendore claros, ij efferuntur & tolluntur laudibus supra reliquos homines, atque adeo post mortem euehuntur in cœlorum sedes altissimas: quorum videre est modestiam summam, demissionem in verbis, in actionibus suis, in omni statu motuque corporis, ab omni non solùm inani iactatione, & insolentiâ prorsus alienam, sed cum sanctorum nostræ Religionis virtutibus, cum consummatâ Christi Iesu sanctitate mirificè congruentem. Hos Deus optimus ac maximus, vt prædixi, effert, & ex minimis maximos facit, & euehit in honores & dignitates altissimas: semper enim illi demittunt, & abiiciunt sese, & infra alios poni gaudent magnopere: tantum abest, vt præripere cuiquam honorem velint. Quicùm se laudari, & prædicare sermonibus hominum audiunt, afficiuntur pudore, rubore statim spargi genæ videntur, deiiciunt oculos præ virginali verecundiâ, contrahunt humeros, audiunt inuiti & ab omni rumore abhorrentes, quidquid de illis laudabile & honorificum non prædicatur solùm, sed si significetur, si possunt sermonem auertunt, & in aliquem ex præsentibus vel absentibus laudes conferunt, atque transferunt protinus, libenter atque lætè. Denique cedunt semper loco, & omnium se ducunt infimos, altissimis celebrandæ demissionis radicibus actis.

A simili.

VT fulmen naturâ suâ fertur in sublime, & fulgure ac tonitru terrifico decidit in turres excelsas, in arces Regias, in montes altissimos, in celsiora quæque ædificia; Ita quidem prouidentiâ diuini numinis, cædes, strages, innumerabilia mala in superbos illata recordati poterimus, & videbimus, & audiemus omni tempore. Quique cum summo imperio dominatum habebant amplissimum, ex altissimo sedis honore cum ignominia maxima bonis omnibus euersi, & vita sæpe spoliati ceciderunt.

Ab

Ab exemplis.

QVid enim aliud gygantes præseferre voluerunt nisi superbiam & elationem intolerandam, qui suâ illâ corporum mole, vastitateque horribili, suis illis viribus valdè formidandis montes montibus imposuerunt, vt Iouem, cæterosque Deos de cœlo præcipitarent (qui suæ temeritatis, & arrogantiæ pœnas dederunt) deiectis montibus ictu fulminis conflagrantes. Quæ si veteres errorum laqueis implicati confinxerunt, quid nos cultores Christianæ Religionis dicemus, Luciferi ruinam in memoriam redigentes? nonne ille, qui bellum immortali Deo facere fuit ausus, datus est ex altissimis cæli sedibus in sempiternam inferorum caliginem? vbi ex pulcherrimo fœdissimus, ex potentissimo infimus, ex amicissimo Dei immortalis inimicissimus extitit, perennis tanti Domini, & omnis generis hominum perpetuus & capitalis hostis, qui dies noctesque insidiari cuicunque probo magnoque Christiano Religionis cultori non desinit, & omnes technas, & machinas adhibet, vt in obscuras inferorum regiones deiiciat.

A Testimonijs.

QVare non immeritò sacri Doctores caput vitiorum omnium, & fontem flagitiorum superbiam appellarunt: cùm ab illâ tanquam è seminario malorum omnium scelera quæcunque flagitiaque proficiscantur. Omnes autem, qui noluerint peccatorum sordibus contaminati, & gloria fœlicitateque beatorum sempiterna frui, in omnibus vitæ suæ actionibus, verbis etiam & cogitationibus Christi Iesu imitatores demissionem colant & omni ratione complectantur.

Epilogus.

QVæ cum ita sint, quid est, quod dubitare debeamus de superbiæ deformitate, de tanti portenti diritate, crudelitateque detestabili, si tot rationibus, si veterum fabulis & historijs, si ruina Luciferi, atque testimonijs sanctorum, & Christi Iesu potissimum, tam tetram & immanem belluam modis omnibus fugiendam esse cernimus? Quemadmodum nulla certior ad cœlorum aulam via demissionis, ita quidem nulla apertior ad animorum interitum, & ad inferorum tenebras, elationis atque superbiæ.

ÆTHOPÆIA.

ÆTHOPÆIA *est imitatio vitæ ac morum alienorum, quâ scilicet subiectæ personæ mores vel affectus exprimuntur.*

Est autem triplex ÆTHOPÆIA. *Aut enim notæ personæ, sed vita functæ, & tunc* IDOLOPÆIA *vocatur: aut persona fingitur & oratio, & tunc* PROSOPÆIA *appellatur: quæ tamen tria imitationum genera multis hoc* ÆTHOPÆIÆ *nomine complectuntur. Et quamuis Aethopæia in dictis versatur & factis, prior quidem pars huc maximè spectat. Alera ad descriptionem, diuersum progymnasma, referenda est: de quâ præcipuè in libro Demonstrationis à nobis actum est.*

Diuiditur autem ea, de quâ agimus in passiuam, *quæ personæ affectus, & animi nutus exprimit, vt qualia verba faceret Hecuba subiectâ Troiâ:* in moralem, *quæ mores solùm depingit, vt quid diceret rusticus, cum primum nauim videret:* in mixtam, *quæ mores pariter & affectum exprimit, vt qua oratione Achilles vteretur occiso Patroclo, cum pugnare decreuisset. Consilium ad mores pertinet, affectus ex occiso amico excitantur. Huius exercitationis vsus eo spectat, vt omnium personarum affectus imitemur, aptas cuique sententias ac verba tribuentes, quæ vel iram, vel timorem, vel prudentiam vel temeritatem, vel lætitiam ac cæteros animi affectus & motus exprimunt.*

In ÆTHOPÆIA *tria tempora spectantur præsens, præteritum, futurum. In præsenti recensentur, quæ adsunt, quæque proposita sunt, quæque affectus nostri sunt causa, siue læta, siue tristia illa sunt. In præterito, hæc cum superioribus conseruntur vel lætis, vel tristibus, vel nostris, vel alienis: in futuro adducuntur consilia, aut remedia, quibus malis præsentibus subuenire valeamus.*

Quæ

Quæ verba faceret Philippus tertius hoc nomine Christianorum Rex, cùm primum Regni clauum accepisset.

A præsenti.

QVis me potentior, quis opulentior Philippo hoc nomine III. Hispaniarum Rege, celebrari potest, ex omnibus totius Orbis terrarum Regibus potentissimis opulentissimisque? Quem Deus optimus ac maximus dono ac munere singulari, tot & tantorum Regnorum & Imperiorum gubernaculis in tam tenera ætate, atque adeo in iuuentutis flore præfecit? Cum cogitare incipio mecum tacitus populos, vrbes, & prouincias finitimas tam longè lateque perpetua ditione continuatas, quæ tam propè coniunctæ cohærescunt, quasi inter se, & alias aliæ consequentes continuantur. Cùm enim regna in sedibus alienis, tam latè longeque distantibus posita, & extremis prope terrarum sedibus terminata, tam multo vastissimoque mari, quod nauigandum est prius, vt ad illa mei homines perueniant interiecto, remotissima, tacita cogitatione complector, obruor multitudine magnitudineque diuinorum in me beneficiorum tanta largitate collatorum. Quid enim homo amplius hisce corporis compagibus contentus, dum superstes est ad Regiæ dignitatis gloriam & decus illustre desiderare possit? cùm sim ego beneficentia liberalitateque tanti Domini Rex vtriusque Castellæ veteris & nouæ, cum Rex etiam Bethicæ, cum Aragoniæ, cum Valentiæ, cum totius Lusitaniæ, cum in Italiæ remotissimis sedibus Regnum Neapolitanum, Mediolanense, Siculum & Sardoum, & alias his Regnis adiunctas Prouincias, quibus quondam singuli Reges cum imperio & maiestate Regali præsidebant, obtineam. Quid si spectem vtramque Indiam, Mexicanam & Peruanam. & Patris nomine vocata Philippina Regna, quæque his propinquiora quotidie patefiunt Regna locupletissima, & nostrorum opera solertiaque Hispanorum inuestigantur & reperiuntur, nouas terrarum orbis partes opulentissimas, argento, auro, gemmis & omnibus diuitijs abundantes? Omitto Lusitaniæ ditionem amplissimam nostris Imperijs adiunctam. Lusitanorum Indiam

locupletissimam. Prætereo Flandriam nostram antea, modo traditam Archiduci Principi cum Infante præcellentissima sorore mea ad dotem amplam Regalemque soluendam. Sileo Prouincias, quas ex Flandriæ sedibus & ditionis amplissimo dominatu, Hispaniarum adhuc imperio parere sciunt homines. Omnes illæ prouinciæ clarissimæ latissimæque sunt, & nostri generis & familiæ Austriadum antiquissimæ patrimonium concelebratum. Ex his omnibus sedibus, quæ quot prouinciæ numerabantur antea, tot erant Regna florentissima, iam in nostrum imperium ditionemque redacta, quæ vectigalia, quæ tributa nobis penduntur, quæ pergrandes ac pene innumerabiles exiguntur pecuniæ? quantum argenti, quantum auri, quantum gemmarum, quantum omnis generis diuitiarum ex Indiarum Regnis inuehitur in Hispaniam: omnibus profecto bonorum copijs in gremio, quod aiunt luxuriantis fortunæ positus abundo: quem in finem, ad quos vsus in me summus ille terræ cælique opifex & architectus Deus tam munificus ac liberalis?

A Præterito.

REcordor præteritum tempus, & ab illis quidem annis præcipuè, cum Princeps eram, & dicebar tot Populorum, tot Vrbium, tot Prouinciarum, tot Regnorum opulentissimorum, quæ à me breuiter commemorata sunt. Atque in illa semper cogitatione versabar, vt quidquid Deus optimus ac maximus vellet, quidquid vsui maximo Reipub. Christianæ esset, quidquid ad Fidei sanctissimæ amplificationem, ad meorum incrementa Regnorum, ad parentum mihi Hispanorum vtilitatem spectaret: id solum cogitarem, vellem & appeterem. Ad eam me rem profecto pater meus Philippus Hispaniarum Rex hoc nomine II. (quem honoris causa nomino) bonis non solùm litteris, humanioribus scilicet ac Græcis, nostrorum & veterum annalium scientia, dato doctissimo sapientissimoque præceptore, quem omnes sciunt. Archiepiscopo Toletano, & sedis Romanæ Cardinali dignissimo, Garcia Loaisa, imbuit & instruxit, sed sanctissimis moribus, & virtutibus præstantissimis informauit & excoluit, per omne tenræ ætatis tempus. Atque idem me ad parentis mei, ad Caroli Aui inuictissimi, Romanorum Imperatoris similitudinem, præpositis exemplis,

exemplis, omni laude dignissimis, quasi effigiem alteram & imaginem clarissimam viuis conabatur exprimere coloribus. Ego nihil magis cupere, nihil magis in memoriam redigere, nihil frequentius sermonibus meis vsurpare, neque in colloquijs familiaribus cum præceptore meo, cum pædagogo, cum principibus aulæ meæ magis repetere solebam, quàm id quod esset principis amplitudine, præcelsaque Regis maiestate dignissimum. Videbar sæpè somniare Prouincias, quanquam mutas res, & inanimes mecum colloquentes, & meam operam, meum auxilium ad suam conuersationem & amplificationem implorantes. Videbar videre hostes Religionis in Hispaniam concitatos, & classibus ornatis & instructis meas velle Prouincias inuadere. Videbar denique Religionem ipsam aliquando mœstam, atra veste indutam, lugentem & deplorantem insolentiam prauitatemque hæreseos sectatorum, sæpè etiam lætam & hilarem, in albenti pretioseque veste, animisque fulgentibus distincta, læta mihi multa de sua amplificatione, de suo incremento narrare, me postremo facibus ardentibus, ad mea Regna, ad meam matrem defendendam, ad depellendam hæresim, ad fidem amplificandam, meis egregijs facinoribus excitare: statuere ante mentis oculos, tot diuitias, tantam vim & copiam argenti aurique Hispaniarum, omnem postremò potentiam Regnorum meorum, ad gloriam nominis immortalem, & ad illam beatorum immortalitatem omni contentione semper adhibita comparandam.

A futuro.

QVid sim acturus in posterum, optime scio, quemadmodum tantis ab immortali Deo beneficijs acceptis respondere debeam: quamque sim præstiturus operam, vt Philippo parenti meo, vt maioribus meis, tot Ducibus fortissimis, & Imperatoribus clarissimis dignissimus esse videar, constitui, & iam deliberaui: neque me quisquam à proposito, susceptaque sententia dimouebit. Non ab hac causa labores & difficultates, non passim obiecta pericula deterrebunt. Constitutum ac deliberatum animo habeo, mori prius, & millies, si opus fuerit, mortem opperire, quàm in minima re, officio meo, dignitatique deesse. Insistens ergo vestigijs parentis mei in Hispaniarum, cæterorumque Regnorum quibuscunque

Populis & Vrbibus & Prouincijs litteratos præficiam, maximéque Doctos homines, moribus & vitâ integerrimâ præditos, fouebo litteras, alamque præmijs & honoribus singulos in dies maximis. Vitia ex Hispaniâ, & ex meis Regnis libidines, furta, rapinas, homicidia exterminabo. Neque præscindendas solùm occasiones, sed fibras malorum omnium extrahendas; euellendasque curabo penitus: sic colam summâ religione Fidem, sanctitatemque Christianam, vt in illius cultu religioneque suis ritibus ac cæremonijs seruandâ diligenter elaborem. Nihil vnquam aggrediar, neque tentabo faciundum, quod non ex pietate Christianâ, ex Dei voluntate, ex nostræ Fidei legibus, & præscriptionibus sanctissimis esse cognoscam, quòd non diuinæ maiestati precibus assiduis commendem, & sanctissimis Christi cultoribus, omnibus sacrarum familiarum alumnis, non sanctè religioseque commendandum curem. Huiusce rei causa non adhiberi solùm preces, sed priuatim ac publice rei diuinæ sacrificia fieri, supplicationes decerni, vsitato apparatu, pompâ, splendore, & quod caput est, summâ religione singulis in oppidis ac ciuitatibus iubebo. Quòd verò ad Rempub. administrandam spectat, delectus haberi, exercitus cogi omni copiarum genere abundantes, classes maximas instrui, & ornari in hostes Fidei, præcipiam, memor Caroli Imperatoris Aui mei. Quæ à Deo optimo ac maximo mihi tantâ liberalitate donata sunt ad fidem augendam amplificandamque conferam: & ab hoc, ab hoc, inquam, tempore incipiam: si mortem oppetam, quid mihi iucundius? quid glorioſius? quid ad animi fructum, ad gloriam beatorum immortalem comparandam melius esse poterit, quam pro Christi religione, pro tanti Domini gloriâ propagandâ, meorum Populorum, Vrbium, Prouinciarum opes, Regnorum meorum potentiam omnem, me denique ipsum in mortis periculum apertum & in extremum discrimen fortiter inferre? mortem oppetere glorioſam, dignam nomine, & honore Regis Catholici celsissimo, dignam denique progenie illa stirpeque Regis inuictissimi, & clarissimi Martyris Ermenegildi: cuius si vel solum exemplum mihi imitandum propoſuero, qui filium Principem, qui Reginam vxorem, qui Regnum, qui seipsum totum immortali Deo libens ac lætus deuouit, claritati verè Regiæ, & Gothorum, vnde procreatus sum, generi fortissimo celsissimoque respondisse videbor.

Altera

Altera Æthopæia.

Quæ verba faceret adolescens in aliquam virorum Religiosorum sacram familiam cooptatus.

A præsenti.

QVid me lætius, quid iucundiùs esse potest? cum tantum ab immortali Deo beneficium acceperim, vt me in Beati Francisci sanctissimum ordinem cooptatum aspiciam: atque ex illorum numero sim glorioſi Francisci alumnorum, qui tanti parentis præscriptionibus institutus, Christi Iesu consilia sequi debeam, & rigidam disciplinam tenere? quæ voluptas est animi, iucundissimaque lætitia, sic omnes suæ vitæ actiones, tantæ disciplinæ sanctionibus, & instituto dirigere quenquam in Dei cultum, religionemque sanctissimam, vt nihil agat, nisi sanctè, nisi seuerè, nisi ex Dei optimi ac maximi voluntate? Atque certum illi semper fiet, dummodo præscriptionibus adhæserit B. Francisci, & ab instituti sui itinere non discesserit, rectam viam, & maximè peragratam à sanctissimis & absoluta sanctitate viris contendere. Cùm me video in Dei optimi ac maximi gratia positum, & illius virtutum maximarum, & sanctissimorum consiliorum amantem: cum tot dies, & noctes nihil agere, nisi quod collibitum est & maximè gratum Christo Iesu, & in omnibus vitæ actionibus me ipsum frangere, animum vincere, motus perturbatos & à ratione vacuos cohibere, susciperе exercitationes demissionis, & omnia mandata exequi, quæ à Præfectis istius ordinis habuerim, pietatis, misericordiæ, caritatis, & reliquarum religioſæ vitæ virtutum. Afficior voluptate maxima, cùm me remisisse nuncium sæculo, cum declinasse laqueos, & retia dæmonis, cum diuitijs & parentum patrimonio abdicasse, vestitus & cultus corporis pretioſos, omnem splendorem & iactationem sæculi abiecisse recordor. Cùm video me nihil agere, nihil curare, nisi quod proprium Religionis sit, & Deo duntaxat gratum, & periucundum: cùm video me inopiæ & Patris Francisci mendicitatis extremæ auiditate flagrare, aspera crassaque veste corpus

indui,

indui, & cilicium carni adhærens debere gerere, & re ipsa gerere: cum video me in omni contentione ac despicientia rerum humanarum ponere fœlicitatem meam, inedia, vigilijs, castigatione corporis, motus carnis comprimere, diuinæ meditationi tribuere statas & præfinitas horas: cum video me psallere, cum laudes æternæ maiestati persoluere, ac tribus me breui paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis cupidum esse constringendi: quid postremò, cum aspicio hæc omnia eo spectare potissimum, vt cœlestem gloriam, vt aspectum diuini numinis consequar, huiusce vitæ muneribus defunctis, quàm lætitiam & solidam animi voluptatem capio? Vix apud me sum præ gaudio propter hoc tantum tamque mirandum à Christo Iesu beneficium in me adolescentem tanta benignitate collatum.

A Præterito.

QVis antea miser & infœlix eram? quantis in tenebris iacebam? quantis in malis versabar? quibus expositus periculis? quam mei ipsius inscius, & oblitus omnino Creatoris mei, & illius gloriæ sempiternæ, ad quam aspirare debebam, & omni studio alacritateque properare? Væ mihi si perseuerassem in sententia, si progrederer viam laxam & patentem Dæmonis, tantis laqueis implicitam, & plenam insidiarum, tantis peccatis & sceleribus infestam, tot illecebris carnis & perituris voluptatibus confertam, ducentem planè ad animorum exitium, & pestem vltimam, accersentem & attrahentem inimicitias Dei sempiterni capitales, pœnas & cruciatus inferorum in omnem sæculorum æternitatem permansuram: siccine in omne vitiorum genus, præcipiti semper impetu, sine fræno ferrer, vt cultu corporis, nobilitate generis, affluentia bonorum efferrer? vt omnes carnis nefarias voluptates, & effrænatas impuritatum omnium libidines consectarer? vt semper de honore, de inani gloria, de gradu celsiore, de fortunis amplificandis cogitarem & agerem? vt dicerem mendacia, vt darem iureiuranda sæpè falsa? vt vix octo & decem annos natus, nihil nisi cum iureiurando loquerer, iurarem impiè ac nefariè diuos omnes, & principes Apostolorum Petrum & Paulum, & virginem parentem Christi Iesu, & ipsum Christum Iesum, ac Deum ipsum verum & immortalem ore impudenti, sacrilega lingua, & periurij labe

contra-

contaminata, sæpè, ac passim testans, cunctorum cum offensione ac terrore præsentium? Commune enim illud erat me equitare eum omni iactatione, & singulis prope diebus cum mutati vestitus ostentatione colludere cum paribus, cum infimis sæpe, & infamibus viris, & ludere talis, pictis foliis, multas amittere pecunias, & in vnum non semel ludum conferre quidquid haberem pecuniarum, augere sponsionem, vt cum lucro multo, & cunctorum colluforum pecunijs auctus discederem, aut spoliatus & inanis omnino. A quibus ego mulieribus cohibui oculorum aspectum, nullo discrimine nuptarum & innuptarum appetentissimus? omnes verborum impuritates, singulis horis ac momentis turpiter & nefariè flagitia committebam; qui non auditem sacrum sæpe, nec nisi semel anno iam expleto, excitati à mortuis Domini fenijs expiare conscientiam non memineram, nullam de Deo, de virtute, de cœli gloria sempiterna cogitationem suscipiebam: & in medijs meis voluptatibus & sceleribus mentem mihi dedit Deus ingrediendi in Francisci sacram Religionem, atque adeo vehementi animum accendit desiderio, vt non destiterim, quoad tantum beneficium consequutus fui.

A Futuro.

QVid aliud faciam imposterum, quid coner potissimum, nisi me totum dedere animo & voluntate in Dei cultum, sanctissimamque Religionem? nisi ad huius rei duntaxat studium sic incumbere, vt nihil nisi ex grauissima seuerissimaque Francisci disciplina agam? Vt me illius vitæ, morum integerrimorum, absolutæ perfectæque sanctitatis æmulum, & imitatorem præbeam ad extremam vsque vitæ spiritum? Has delicias, has veras & solidas voluptates hauriam: cum cilicio, cum inedia, cum omni corporis afflictatione, cum carnis compressionibus me oblectem? Quod si fecero, quæ gaudia beatorum? quæ lætitia immortalis? qui honores? quæ dignitates nullo vnquam ævo perituræ me post animi ex hoc corpore discessum manent? Quàm fœliciter dies in rerum diuinarum meditatione, in diuinis laudibus concinendis, in omni virtutis & sanctitatis exercitatione, in laborum cunctorum tolerantia, in dem ssione, caritate assiduè, diligenterque colenda positas, in afflictanda carne, in excruciando corpore, in perturbationi-

bus

bus domandis, in coercenda appetitione quacunque, modos & rationes ex Beati Franciſci Ordine petitas, affecti cœleſti ac diuina corporis & animi voluptate recordabor? tandem ex his corporis compagibus excedens cum omnibus gaudijs & lætitijs Beatorum eximijs redundans, tam immortali ſemper gloriæ ſplendore circumfuſus, meis infulis & inſignibus Ordinis iſtius, in quem fui cooptatus, ſanctiſſimæ Triados aſpectu in omnem ſæculorum memoriam perfruar in cœleſtes ac diuinas Beatorum ſedes, cœtuſque receptus.

NARRATIO.

NOn ſolum ſuperiores exercitationes ad ſimilitudinem aut exempla referri poſſunt, ſed narratio *alicuius rei, aut facti, vel caſus grauiſſimi, vel nunty lætiſſimi; ſi ad perſonas referamus eam, quæ quidquam teſtetur in horum euentu, quæ narrauerimus. Neque in hoc genere ſolum narratio ſimilitudinis partem attinget, ſed etiam illo modo, qui communis eſt, rei ſimilitudine nonnullâ declarandæ, vt quid ſit rei, melius perſpici cognoſcique poſſit adhibitâ ſimilitudine.*

Præcepta narrationis ad rem facientia inſtitutumque præſens.

NArratio facti pertinet ad exempla perſonarum, quæ quidquam rei geſſerunt: illa ſumitur ex circumſtantijs perſonarum, rei, loci, cauſæ, modi, temporis, & auxilij, quæ melius & clariùs ſimilibus breuiſſimis oſtenduntur: circunſtantiæ illæ hoc carmine continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

NARRATIO.

Mortis Cæſaris ad tyrannorum exitiales exitus exponendos.

TEſtis equidem poteſt eſſe tyrannorum crudelitatis mors allata Cæſari Dictatori: ille enim die obſcura nimis & caliginoſa, vt noctem veluti quandam Deus vrbi Romæ videretur offudiſſe, prodigijs aliquot ante dies obſeruatis, & fatum vltimum portendentibus Idibus Martij, miſerabiliter occubuit. Cum principes Romani tyrannidem illius ferre non poſſent,

possent, sedentem illum Regia Maiestate, in Curia, in Senatus habendi Augustissimo celsissimoque loco adoriuntur foris Antonio manente, & nonnullis, qui remorarentur eundem, & custodes corporis armatos suis sermonibus, artibus & technis in frequentissimo senatu è subsellijs paulatim surgentes ad Cæsarem accesserunt, & simulatione officij circumstentes (vt supplicaturi rem oraturi sese ad Principis alicuius pedes abijcere solent) in genua procumbentes, rem orare cœperunt, quam illum non concessurum esse certò sciebant: venire vnus, deinde alius, consequi item tertius, denique reliqui, atque omnes vrgere, instare, vt postulata concederet; in sententia manere Cæsare surgere primus omnium Cymber Tullus, &, vt irati cernuntur, accenso vultu, ad audendum paratissimus, qui primas sibi partes in illo gloriosissimo facinore depoposcit, & quidem vt ad audendum, sic ad inuadendum protectus, cædere primum cœpit, deinde Cassius, post reliqui, & inter illos maximè Brutus, similis parentum ac maiorum, quasi Princeps & Antesignanus. Quibus obsistere non desistit Cæsar, tanquam Dux inuictissimus, incredibili robore ac magnitudine animal donec ab omnibus ex omni parte, patente planè conspiratione, se vidit pugionibus districtis, & oculorum aciem fulgore suo pestringentibus appeti: facere id temporis visus est, quod fortissimi viri, cum cadunt facerent, vt honeste caderet, ad talos vsque togam demisit: denique duobus & viginti pugionibus confoditur ille, qui terrarum Dominus erat potentissimus, & totus cruore manans humi cecidit, & ad Cn. Pompeij statuam miserandum in modum procumbuit. Id temporis magna perturbatio, multi dissonique clamores audiuntur in Curia: fugiunt occisores partim in ædes finitimas, vt sese oppilatis foribus defenderent, partim in Capitolium, tanquam in arcem tutissimam, vnde nisi datis ab Antonio obsidibus non descenderunt.

DE LOCO COMMVNI.

SI narratio facti, propter similitudines insertas, ad similia iure conferatur, multo melius locus communis in similitudinem venire potest. Qui sic progreditur augens amplificansq; rem, vt partes suas & officia nequeat nisi ope similium, comparatorum, exemplorum, quibuscũ testimonia in sententijs posita cohærent, & copulantur, vt nihil

nihil locus communis efficere posse videatur, quod ex nominatis argumentis non proficiscatur. Atque is locus communis est præsens, qui hac argumentorum amplificatione triumphat, non ille, quo de superius.

Præceptiones loci communis.

VT à nobis dicta clarius pateant & illustrentur, tradenda sunt præceptiones ad huiusce communis loci genus spectantes.

Locus communis est, *quo bona, aut mala, quæ alicui rei insunt, augentur.*

Dicitur locus communis, quòd in omnes, qui eius rei, de quâ agitur participes sunt, conueniat: vt si in sacrilegum, in hæreticum, in adulterum dicas: eadem oratio in omnes sacrilegos, hæreticos, adulteros cadit. Eadem ratione si beneficium aut fortitudinem extollas, omnis ea laus omnibus beneficis, aut fortibus conueniet.

Habet locus communis commodissimam sedem post Confirmationis argumenta: vt Cicero cùm laudaret Archiam Poetam post argumenta, locum communem poeseos tractauit, & in Roscianâ, patricidij.

Conficietur locus communis, *exordio, contrario, expositione amplificatoriâ, comparatione, sententiâ, digressione coniecturali, miserisordiæ exclusione, legitimo, iusto, vtili, possibili, honesto, euentu. Nos locum communem hæreseos dilatemus, vt ad hanc normam, qui voluerit, reliquos pertractare possit.*

Locus communis in hæreticos.

Exordium.

QVanquam omnes illi homines, qui nefarijs sceleribus cooperti Deum optimum ac maximum violant, omni vituperatione dignissima sunt; quod à Creatore suo turpiter deficiant, & ingrati & immemores beneficiorum acceptorum in Dæmonis seruitutem miseram & intolerandam adducantur: nulli tamen maioribus de causis vituperationem

omnem

omnem & reprehensionem subire debent, atque illi, qui hæreseos sectatores à Christianâ fide defecerunt.

A contrario.

QVòd aliquis facilè intelliget, cùm fundamentum ipsum Christianæ Religionis, fidem sanctissimam, cui cultoris egregiè fideles niti debent, & illius insignibus gloriari, impiè ac nefariè deserant. Fides enim aditus est illustris ad reliquas Christianæ sanctitatis virtutes, sine quâ nullus homo radices agere potest in veris ac solidis virtutibus, nullum ad cœlorum gloriam aditum, nullum ad cœlorum gloriam ius habere potuerit. Quemadmodum enim in ædium aliquarum peristilia, & ad superiora cubicula, conclauia, palatiaque multo auro & ebore facta perlustranda, nisi per ianuam aditu patefacto nunquam aliquis ingreditur: sic sine priuatis sectatoribus hæreseos aditus ad gloriam diuinam, cœlique domicilia semper occluduntur.

Ab expositione amplificatoriâ.

QVis enim obsecro bellum vnquam Domino suo inferens & eiusdem Regnum, multis diuitijs florentissimum suorum fidelitate stabilitum vastare volens ac depopulari, aditum ad illud habere poterit, cui nuncium remisisse visus est, nefariè prodens Regis sui maiestatem, & fores perfidiâ sibi ac nefariâ proditione patefacti præcludens? nisi bellum facere desiterit, & abiectis armis, non solùm depositis pacem deposcat, in gratiam rediens, & execrans ac detestans perfidiam & impietatem suam, non subsistet.

A comparatione.

ATque homicidis, aut parricidis longè hostes fidei anteponendi sunt scelere ac prauitate suâ: illi enim quanquam nefarijs se flagitijs contaminant, dum homines alios diuitijs, aut vita spoliant, & filij parentes suos, à quibus geniti fuerunt & susceptí in hanc lucem vitâ crudelissimè priuant, tamen sæpe aut inopia, vel lacessiti faciunt, quod postea eos fecisse pœnitet, & ad se redeunt, & sceleris admissi veniam petunt;

tunt, & se Creatori suo post cædem factam, per sacram confessionem reconciliant: & si facultates aut pecunias habent, satisfaciunt, quantum in se est, occisis hominibus, filios illorum, aut vxorem suis sumptibus alendo: At hæreseos sectatores, qui non hominibus solùm priuatim, sed generatim vniuersæ Reipub. nocent, atque ipsis cœlitibus, Virgini sanctissimæ, Deo immortali bellum omni scelere & odio imbutum inferunt, quanto sceleratiores sunt? cùm in scelere præsertim perstent, & animos non solùm multorum speciatim à Religione conentur abducere, sed totam Christianam Religionem & sanctissimum diuini numinis cultum funditus extinguere?

A Sententia.

QVod si sacri Doctores, Hæreticos belluas immanes appellant, & eò scripta Patrum sanctorum spectant, vt ex humanæ vitæ societate, infra mortuos amandandos contendant: quippe qui tantam hominum generi perniciem & pestem important: si harpyas, si hydram, lernæam, si pestes ac furias humani generis dicant: cur non eorum prauitatem & nequitiam satis apertam & testatam habebimus?

A digressione Coniecturali.

HOmines alij cum peecarunt, eos aut beneficijs in patriam collatis, aut litterarum variâ multiplicique cognitione, aut maiorum nobilitate, aut fortitudine rebusque præclarè gestis; vel tandem illorum dolore, demissione, lachrymisque commoti veniâ dignos putabimus: quippe qui nec scelus istud admissuri sint imposterum, & illos iam peccasse pœniteat. At verò qui omnibus flagitijs contaminati, hæreseos maculis fœdati, nullum non scelus & crimen in priuatos, in Remp. in cœlites, in Deum immortalem moliti fuerunt, & moliuntur; qui nō modo non dolent se reos fuisse tantæ prauitatis, sed exercitibus omni copiarum genere abundantibus Regna occuparunt, & ex sedibus suis cultores Christianæ Religionis eiecerunt, vna cùm illis fidem ipsam sanctissimam ex eisdem locis omni peruersitate depellentes, quo malo, qua peste digni sunt? Quod si aliqui cultores fidei nostræ eam retinuerunt, ij pauci sunt, & occulti, in tenebris & squalore iacentes, Sacramentis omnibus & præsidijs Ecclesiæ Catholicæ in posterum destituendi, nisi

nisi exules & extorres (quod cum lacrymis Anglicani multi faciunt, volentes animis suis consulere) in aliena regna Fidei Christianæ ditioni subiecta se recipiant.

A misericordiæ exclusione.

QVare dum in hac prauitate isti homines nefarij perseuerauerint, quis eorum miserebitur, qui hæresim colant? Fidem Christi execrentur? & virtutes veræ Religionis oderint? dæmonem auctorem nequitiæ asciuerint? fontem perennis gratiæ Deum sempiternum deseruerint? qui veritatem odio capitali persequantur, & mendacium omni contentione pertinaciaque defendant? Qui libidinem suam & voluptates, sequuntur, leges Fidei Catholicæ præscriptionesque detestantur. Atque cum nequitiæ, cum libidinibus, cum furori, cum superbiæ, cum furtis, cum rapinis deserta Religione fores aperuerint, virtutem, castitatem, demissionem, abstinentiam, caritatem, virtutes omnes ex animis per summam perfidiam eiecerint, quid his furijs & nefarijs Religionis veræ extinctoribus facias?

A Legitimo.

QVæ leges in hos latæ? quæ decreta seueriſſima sunt facta? in quanta ignominia apud Hispanos præsertim nostros versantur comprehensi in hoc maleficio? hæreseos accusati conuictique nonne damnantur, vt aut publicè pœnam subeant aliquam pro grauitate magnitudineque perfidiæ, aut amictum infamem gerant, aut si magistri fuerint, & auctores nouæ alicuius, aut denuo excitatæ hæreseos flammis addicantur? Et si pertinaces obdurauerint, & in hæresi perstiterint, non illam abiurantes, viui comburantur? quippe qui tanta pertinacia vitam amittere voluerunt.

A Iusto.

QVa lege nihil esse potest, cum iustitiæ & æquitatis munere magis copulatum: Cùm enim de pertinacia tanta nulla speranda sit mutatio sententiæ, & in tantam Reipub. Religionisque perniciem redundauerit perfidia nequissimorum hæreseos

seos sectatorum, quid magis consentaneum legibus, quàm eis, qui suæ vitæ & animi misereri nolint, nullam misericordiam impertiri? Et quia pertinaciter perseuerauerint, iam inde ab illo tempore, quas perpessuri sint in perpetuum subeant pœnas flammarum ardentium, in ignes coniecti. Quæsitorum sacræ Fidei seueritate flagrantes.

Ab Vtili.

NEque vacat profectò vtilitate magna supplicium in hos nequissimos homines statutum: cùm improbi pœnarum metu, ab hæresi deterreantur, & tantum perfidiæ scelus in homines, & in Deum admissum, exquisitas pœnas, & flammarum ardores iure deposcat. Et vero Hæretici sua defectione, sua postea pertinacia tantum in Christiana Religione facibus hæreseos subiectis, & suppeditatis passim incendium concitarunt, quo illi, quo tot gentes, quo tot regna igne istiusmodi deflagrarunt, & ex aliqua parte deflagrasset Hispania Cacalla nequissimo in vrbe Vallisoletana, Castellæ veteris principe præcellentissima, & in Bethica nostra Ægidio, Constantinoque duobus furijs ac pestibus nostræ Fidei in vrbe Hispali Hispaniarum Regina potentissima, eundem ignem excitantibus, nisi Quæsitores hæreticæ prauitatis vigilarent ad Reipub. Christianæ commodum, & tantam tamque pernicioſam pestem sua vigilantia, studio, potestateque de medio sustulissent.

A Possibili.

NEque est profectò, quod ab extirpanda hæreseos exe'randa peste deterreamur, & propositis aliquot difficultatibus & laboribus abducamur. Nam primum in florentissimis Hispaniarum regnis factu facillimum æquissimo sanctissimoq; Censoriæ dignitatis consilio potestatem & auctoritatem nostrorum Regum viribus summam valdeque formidandam habente. Altera pars, quæ plus habet difficultatis, & aliorum gubernacula regnorum continet, armis, armis inquam & classibus labefactanda semper erit, quod tanta religione, sumptibus maximis Reges Hispaniarum semper adhuc præstiterunt, quo sunt ornati Regum Catholicorum nomine, & in hostes nostræ Fidei teterrimo semper odio concitati.

Ab

Ab honesto.

CVm autem agatur honos Christianæ Religionis, gloria cœlitum agatur, agatur dignitas Virginis sanctissimæ, agatur denique Christi Iesu, & sanctissimæ Triados decus immortale; quid magis honestatis, & virtutis appetentes commouere debebit vnquam, quàm ipsius aulæ cœlestis Heroes clarissimi, & ipsa Regina Cœlorum, atque Deus idem Immortalis, qui ab his belluis immanissimis gloria & honore suo in his infimis terrarum sedibus spoliantur, & illorum telis audacteriactis ac retortis impiè nimis ac nefariè passim appetuntur?

Ab Euentu.

QVare si nos egregios Christianæ Fidei cultores, si diuini honoris studiosos præbere voluerimus, & proximorum vtilitatem, Religionis conseruationem, & amplificationem appetierimus, ad sanctorum, & ad Dei gloriam tuendam propagandamque tot præsertim præsidijs muniti, incredibiliter incumbere debemus, nec cessare modis omnibus, quos adhibere potuerimus, vt tantam malorum pestem, tetram & execrandam hæresim ex finibus non modo nostris, sed ex alienis sedibus ejcientes in regiones inferorum sempiternas amandemus.

THESIS.

PErcurre, *studiose lector, capita loci communis omnia, & nullum quidem inuenies, quod extra similitudinem, comparata, exempla, & testimonia vagetur. Id propterea dixi, vt in thesim ingredientes non admireris illius loca, quæ ab honesto, vtili, facili, necessario petuntur, ad nostra, de quibus agimus, argumenta referri: Nam cum his locis admiscenda sint exempla similitudinis, testimonia siue humana, siue diuina, comparationes, non immeritò thesis instituenda videbitur, & in hunc locum conferetur.*

Est autem Thesis, *quam Cic. propositum vocat, quæstio, quâ aliquid generatim quæritur. Differt ab Hypothesi, quam Latini causam, seu controuersiam vocant, quod illa nullis circumstantijs circumscribatur, vt an expetenda sit eloquentia: Hæc verò certis personis, locis, temporibus includitur, vt an partitiones Ciceronis Hispali, hyeme, & vere discendæ sint.*

Atque Thesis *duo genera sunt, vnum cognitionis: cuius finis est scientia: vt an Solu magnitudine longo interuallo terra superetur. Alterum actionis quod refertur ad efficiendum aliquid: vt quibus officijs amicitia colenda sit.*

Differt autem thesis à loco communi, quòd locus communis est conuicta, & manifesta rei exaggeratio: positio dubiæ rei quæstio: locus communis assumitur ad augendam, & amplificandam causam: thesis ad explicandam, & probandam: locus communis quasi certâ re interponitur: Thesis disputatur & disseritur. Denique ille affectuum proprius est, thesis considerationis.

Tractatur autem Thesis *exordio, honesto, vtili, necessario, quibus locu admiscenda sunt exempla, similitudines, testimonia siue humana, siue diuina. Atque si quod erit, quod obiici posit, refutandum ante Epilogum per præoccupationem & solutionem.*

THESIS.

An Dialectica discenda sit?

IN Dialecticam, concitari inimicos aliquot ægrè fero, P. G. neque profecto ferre possum iactari nonnullorum sermonibus imperitorum, & ab omni ratione abhorrentium Dialecticæ ludos non apperiendos esse, & quod Dialecticæ datur tempus, id alijs facultatibus & disciplinis dari posse cum honestius, tum vtilius. Ecquod enim studium Dialectica honestius esse videbitur, quæ mentem acuit & ad indagandum & inuenien-

inueniendum acre reddit & intelligens iudicium? Cum Deus optimus ac maximus hominem corpore & animo constantem ad sui numinis similitudinem formauerit, rationis & intelligentiæ participem fecit: vt hac in re cum diuinis mentibus, quasi agnatione coniunctus, veri inuestigandi patefaciendique studio delectaretur, & spirituum cœlestium instar mente supera consequeretur, & vnde tanta cœlorum in omni tempora constantia, tam incitata rapidaque celeritate, quemadmodum cursus alij syderum rati essent & immutabiles, alij ad certum tempus velocius, aut tardius mouerentur, & aut antecederent aut consequerentur, aut eisdem spatijs & interuallis suos motus efficerent, & sine minima semper perturbatione, ratiocinando Dialecticæ ope perciperet. Quid magis etiam honestum, & hominis excellentia dignum, quàm rationibus ab hac etiam arte peritis, & virtutis dignitatem & hominis celsitatem, nostramque conditionem assequi, & qui ad virtutem aspirare & Deum summa religione colere debeamus? Quod si nihil agere nisi ratione regium & excelsum fuit semper habitum, quid clarius & illustrius, quam duce Dialectica, vti mentis intelligentia, non accurate solum & acutè, sed concinnè & eleganter, quocunque cum homine agas, siue polito & aulico, siue docto & sapiente, siue vasto & agresti, siue rudi & imperito nostrum iudicium & consilium exquirente? Magnam hoc, crede, habebit honestatem & dignitatem: quod si non hac dignitate prædita fuisset Dialectica, non tanti Philippus Aristotelem fecisset exquisitum de tota Græcia præceptorem, neque illum ad filium Alexandrum instituendum imbuendumque bonis litteris, tanta cum mercede, prærogatiuis & immunitatibus datis delegisset. Non idem Alexander cum eloquentiam, tum Dialecticam tam diligenter studioseque didicisset. Neque idem sanè Imperator domitis tot gentibus ac nationibus tantum Aristoteli magistro suo tribuisset, nisi fructus vberes ac præstantes contra fallacias fraudesque suorum inimicorum ex Dialectica perceptos agnouisset. Quem nisi auctorem tam honestæ disciplinæ vidissent etiam sacri Doctores, vidisset mater Ecclesia, nunquam abhinc tot annos Aristotelem Dialecticæ præceptorem conseruandum retinendumque permisisset. Ita Plato Philosophorum princeps, ita Stoici quondam artium peritissimi, ita Beatus Augustinus ad illorum iudicium sententiam suam adiungens, artibus alijs Dialecticam præponendam meritò

ritò iudicauit. De cuius sententiâ quoniam constare iam inter omnes video, vtilitates Dialecticæ breuiter aspiciamus. Vt enim nec vinea, & horti cultissimi à ferarum immanitate sine sepimento, neque vrbes sine muris ab hostium incursionibus seruari possunt, sic nec vllæ quidem artes per seipsas singulæ defendi poterunt nisi ope ac munere Dialecticæ. Nam cum in veritate potissimum inuestigandâ, & in fallo discernendo dijudicandoque posita sit Dialecticæ opera, officio suo ac munere fungitur: illa enim imprimis vnumquemque suis præceptis ad decertandum cum aduersario instruit & armat. Rhetor enim cùm aut suadere debeat, aut dissuadere, quomodo in foro quondam versans aut accusaret, aut defenderet, quomodo apud populum concionaretur, aut in senatu de rebus maxis ageret, nisi rem vniuersam distribueret in partes, latentem explicaret definiendo, ambigua distingueret, quæ quibus sint consequentia, regulâ veri ac falsi consideraret, & educeret ex locis argumenta, aduersarium interrogaret callide, argumentationibus, quo nollet, adduceret, & sæpè conuinceret inscitiæ, inconstantiæ, reddens mutum & elinguem, & dissolueret captiosas sæpè argumentationes acuti & ingeniosi eiusdem aduersarij, & quod erat ab eodem sæpè apprehensum, ex manibus eiusdem detorqueret? Quæ omnia sunt officia propria ac peculiaria Dialecticæ. Putare igitur nemo poterit sine Dialecticâ oratoris officio quenquam præclarè fungi posse. Non loquar ego, loquatur Cicero, qui beneficio Dialecticæ, quidquid in eloquentiâ consequutus fuit, quod certè maximum fuit, se consequutum fuisse fatetur. Qui non ex Rhetorum officinis, sed ex academiæ spatijs talis ac tantus euaserit orator. Atque idem quotidie cum Diodoro exercebatur in hac arte facultateque disserendi. Demosthenes etiam Græcorum Oratorum Princeps discipulus fuit Platonis, & eidem diligentem, assiduamque operam nauauit. Pericles, qui tonare ac fulgurare ferebatur, & totam Græciam permiscere dicendo, Anaxagoræ fuit auditor. Atque vt quod ad eloquentiam spectat, absoluam: Cum in hoc solum ex Cenonis sententia Rhetoricam à Dialectica differre sciamus, vt hæc strictior, illa fusior, hæc palmæ in pugnum compressæ, illa eidem palmæ digitis suis exporrectæ patentique comparetur, à Dialecticâ quidem iuuatur ars oratoria. Quid de Iurisperitia dicemus, quæ nunquam in tot volumina suis primis temporibus diuisa, ad artem postea facultatemque redacta

redacta fuisset, nisi Dialecticæ præsidio iuuaretur? Cum enim quæstio iuris quæcunque, aut verborum proprietate, aut æqui contentione, aut voluntatis coniecturâ contineatur, cui dubium esse poterit, quin Dialectica totum hoc ferè dissidium, & lites omnes dirimat, & ad concordiam reducat in dubitationem vocata, tractaque argumentis quæstione, & postea, quod sequendum sit, ratiocinatione præclarè constituto iure? Non dicam aliquid de Iurisconsultis alijs, certum est & testatum omnibus Scævolam illum, nominis celebritate clarum propter Dialecticæ cognitionem, omnibus suæ facultatis principibus hac iuris ciuilis scientiâ præstitisse. Quod si iurisperitia tantum à Dialecticâ iuuatur, vt ea per artem hanc constituatur in statu suo, & eadem suos Iurisperitos in gradu dignitatis celsissimo constituat, quid est, quod de Medicina dubitemus, cùm ad illam percipiendam accedere nemo possit, nisi Dialecticæ peritus? Id quod ab initio fundatæ cuiuscunque academiæ constanter obseruatur. Vna restat, Patres, sacra Theologia, quæ in illa concertationis parte, quæ plus habet difficultatis, plus etiam subtilitatis, nihil profert in medium, neque constituit sine Dialecticæ probatione, & ad suas firmandas stabiliendasque sententias, & ad fidei nostræ veritatem dignitatemque corroborandam eiusdem Dialecticæ lacertis viribusque vtitur. Cum verò Apostoli sanctissimi, cum Doctor Gentium Paulus, cùm ipse Princeps & auctor veritatis Christus Iesus Dialecticæ arma cœperit, & tractauerit tantâ cum præstantiâ, cum Doctores Ecclesiæ his vestigiis insistentes, non ad inanem iactationem, & futilem ostentationem, sed ad veritatis lucem spargendam disseminandamque eadem vsi fuerint disputandi facultate per omnem sæculorum memoriam, cur illius fructus & vtilitates ad sacræ Theologiæ disciplinam adiunctas non agnoscemus? Hinc sacrarum litterarum difficilia loca, hinc decreta consiliorum sanctissima, hinc quæstiones omnes & dogmata nostræ Religionis magnum pondus & auctoritatem acceperunt. Neque quisquam est, qui sacræ Theologiæ cursum inire possit, neque ad eiusdem sanctissimæ disciplinæ, nisi Dialecticæ curriculo confecto, aspirare. Adi academias omnes, vbi gymnasia Christianorum, lustra officinas litterarias, & quæcumque tabernacula studiorum, in quibus sit aditus ad sacram Theologiam, Dialecticis instituti omnes transeunt ad hanc cœlestem diuinamque disciplinam. Atque si maximarum disciplinarum nulla est

fine Dialectica quæcumque cognitio, minimè profecto mirabimur, si artes inferiores ingenuæ liberalesque huiusce Dialecticæ facultate maximè contineantur, & suum officium cumulatè faciant. Quamobrem non immeritò artem artium & scientiam scientiarum multi Dialecticam appellarunt. Quicunque ille sit, qui in sua facultate versetur, Dialectico se subiiciat, & operam præstet, à quo præsidia petet adiumentaque suæ artis bene tractandæ necessaria. Quando enim via pateret, & modus teneretur quidquam efficiendi, nisi sua quisque prius munera distingueret, internosceret, in suum finem conferret, & peruenire contenderet, duce Dialectica properaret, festinaretque? cùm autem hostes fidei ad suos errores & nefarias opiniones persuadendas, Dialectica nefariè abutantur in animorum exitium, & in Ecclesiæ perniciem maximam, nos si veritatis Matris filij, si fideles Christianæ Religionis cultores esse cupimus, ad omnis generis hominum incolumitatem, ad Ecclesiæ conseruationem & amplificationem, ad coarguendos errores, veritateque disciplinæ tollendos non instruemur diligenter, egregieque ornabimur Dialectica? illi adibunt suas academias, vt dialecticam præfinitis temporibus discant, nos in nostris academijs non erimus, Dialecticæque magno labore vacabimus? Illi vt peruertant sensus, & doctrinam nostrorum. Patrum polluant, in eis laborabunt & desudabunt, nos vt Doctorum sacrorum disciplinam, & à Christo Iesu, ab Apostolis accepta dogmata sanctissima tueamur, non eosdem labores suscipiemus? illi vt animos hominum Christi sanguine, cruciatibusque acerbissimis emptos inficiant, ad Dialecticæ studium incumbent, nos vt has labes & maculas ex Christianorum animis deleamus, huic facultati strenuam operam non nauabimus? illi vt multitudinem imperitam, & insciam iuuentutem in errores inducant, Sophismata sua iactabunt, nos vt tantis erroribus genus quodcumque mortalium liberemus, non Dialecticæ armis vtemur? illi, vt occasum & interitum Ecclesiæ moliantur, Dialecticæ præsidijs munitos se prodire ad disputandum clamitabunt, nos vt eandem Matrem sanctissimam saluam & incolumem conseruemus, non istius artis acerrima tela torquebimus, & fortiter veritatis partes agentes, non etiam atque etiam retorquebimus? nihil est difficile, & arduum, nihil in vllo genere rerum tam reconditum, & obstrusum, nihil in vlla arte tam

magnum

magnum & excelsum, nihil in quacumque disciplina tam ab omni mortalium cognitione abhorrens, quod non differendi facultate inuestigari queat & patefieri. Nihil est quod eius beneficio tractandum non sit, & discutiendum, si veritatis viam tenere volumus, & ex hostibus insignia semper reportare victoriarum. A Dialectica omnes artes, ab eadem arte omnes disciplinæ suam vim accipiunt, & opportunè diffundunt & conferunt ad suorum munerum præclaras functiones suscipiendas: cum Dialectica stabimus, sine illa turpiter concidemus & ignominiosè: cum illa erimus salui semper & incolumes, sine Dialectica deducemur confestim ad interitum & occasum vltimum: Dialecticæ inuicta virtute muniemur, sine illa frangemur & conficiemur, eneruati quidem & exangues. Cœlum istud quod aspicitis, eam efficientiam habet & vim præstantissimam, vt ex illius vi & conuersione motuque constantissimo constent omnia, & illius beneficio singulari, quæcumque sunt infra Lunam contineantur. Quod profectò si consisteret, & à recta moderatione deficeret, si vis illius cœlestis in hæc terrarum sola non influeret, animantia rationis expertia, & homines mentis intelligentia præditi multum detrimenti caperent, strages & internecio consequeretur omnis generis animantium, non ea venustas pulchritudoque rerum tanta varietate distincta niteret, horrida mœreret, & squalida agrorum facies ad tempus intermisso, vel ablato prorsus motu conuersioneque cœlesti, & illius efficacitate mirabili. Sic tantæ opes, atque diuitiæ, sic tot arcana dissimilia inter se indeque distantia quid habere possunt vtilitatis, si absit manus Dialecticæ, quæ diffundere nouit tantam multitudinem & diuersitatem artium & scientiarum, tot gladijs & telis vtiliter & opportunè ex cuiusque facultatis doctrinaque præscriptionibus vtitur ad homines defendendos, & ad inimicorum stragem & carnificinam edendam? Quamobrem omnes non vtilem solum, sed necessariam videant recognoscantque ad quæcunque rerum & mediocrium & maximarum genera pertractanda Dialecticam; quod hostes fidei pro comperto semper habuerunt, & maximè sectatores Mahumetis, qui nullam disputationem, nullum veritatis certamen, quod necessariò ineundum erat, tela iaciente vibranteque Dialectica, subire voluerunt. Atque ille teterrimus

Iulia-

Iulianus, pestis & turbo Christianæ Reipublicæ cum litterarum studia, præcipuè disceptatricem Dialecticam ex Christianorum sedibus tollendam delendamque temerarijs & atrocissimis edictis curauit, litteris, & Dialecticæ nominatim, cuicunque generi Christianorum, pœnis statutis, & pecuniarum, & vitæ grauissimis interdicens. Sequuti hostes fuerunt crudelitatem Philistæorum in Solymorum gentem exercitam, quos fabrilem artem exercere, arma etiam habere, tractare gladios, vti telis fulgentibus, aut reliquis bellicis instrumentis prohibuerunt: quibus cùm carerent, imbecilles essent & infirmi, neque quidquam vitium ad nocendum haberent. Quapropter multum debemus maioribus nostris, multum profectò, & plus equidem quàm explicari possit: valdè etiam grati necesse est Patribus sanctissimis conemur esse, multum ipsos academiarum conditores celebremus & extollamus in cœlum: qui cùm aliarum artium & disciplinarum studia, artem maximè differendi nouis quotannis curriculis instaurant, præceptores exquisitis augent præmijs, magnificentissimis ornant, & illustrant stipendijs, vt facilem & patentem viam ad alias artes & disciplinas per Dialecticam, quasi per ianuam, adolescentes habeant. At quo modo, qua ratione hæc ars traditur? vtà primis cunabulis discatur, iactis ad illius intelligentiam fundamentis: deinde præceptores cursum faciant, & processus mirabiles ad curriculi vsque exitum expletam ac perfectam, suisque omnibus traditam partibus relinquendo facultatem. Quæ verò statis temporibus disputationes habentur? quanta cum concertatione, quamque vehementi ingeniorum contentione? quæ dant Adolescentes documenta cognitionis triennij totius decursu consequutæ? quemadmodum de præstantiore gradu impetrando cum magna nominis celebritate contendunt? Atque vt ipsa ars Dialecticæ habeat plurimum delectationis, tres excogitati fuerunt à maioribus ornandæ decorandæque facultatis causa, Baccalaurei, Licentiati, Magistrique gradus illustres & honorifici. In qua etiam arte quantum inest iucunditatis, cum Dialecticus laudatur ab omnibus, cùm acumen in obiiciendo, celeritas in respondendo, in argumentando acrimonia celebratur? cum laudant omnes, cùm plaudunt, cùm ad exitum magis argumentum perduci non posse, qui de ea re iudicium facere possunt, non adulantes confirmant? Cum verò primus locus conceditur, cùm commendatur in accipienda laurea, cùm deferuntur insignia,

signia, cum accipiuntur tympanorum sono, tibiarumque iucundâ modulatione, & ipsis prope totius amplissimi theatri parietibus quasi gestientibus, quid lætius? quod iucundius spectaculum corporis & mentis oculis proponi potest? Quæ cùm ita sint, quid est, quod mihi opponas aduersarie Dialecticam multo ante repertam fuisse, quàm illam, quam Plato, quam Aristoteles, quam alij Philosophi tradiderunt, atque primis illis temporibus nascentis Mundi, cum rudes & impoliti, totius humanitatis expertes more ferarum in syluis agebant, eosdem arte disputandi vsos fuisse? Nam & contendebant inter se, & suas afferebant rationes, & depellebant allatas ab aduersariis: sed hæc si fuit, fuit equidem duce naturâ nascens illa, non adulta, neque suis absoluta dotibus, quoad Aristotelem artem ad summam laudis amplitudinem perduxit. Et planè quomodo fuerunt artes reliquæ, primò obseruatæ, deinde suis eximiis absolutæ laudibus (nihil enim in principio statim fuit absolutum, simulatque inuentum in naturâ rerum omnium, sed suis progressionibus creuit, & ad extremum suam obtinuit absolutionem) Ita quidem per pauca ante Aristotelem, eaque imperfecta præcepta Dialecticæ extiterunt, Archita Tarentino prædicamentorum præceptore florente prius, & consequutis temporibus Gorgia Leontio, Protagora, Prodigo & Sophistis aliis de disputandi præstantiâ gloriantibus. Quorum importunitatem exagitauit Plato, & Aristoteles refutauit differendi arte & acumine, perficiens, & absoluens tantopere Dialecticam, vt cuiuscunque memoriæ suffragiis & consensione mortalium præceptor communis & maximè singularis fuerit habitus & dictus in hodiernum vsque diem. Addunt etiam nonnulli Dialecticam horridam squalidam esse, incomptam & impolitam nullo cultu & elegantiâ, vt planè barbari videantur illi, & ab omni politiore candore ornatuque procul abhorrentes, qui tot frondibus ac virgultis, spinis & tribulis horrentem artem didicerint. Itaque constat multos illius deformitatem, squaloremque terrificum perhorrescentes, fugisse Dialecticam, tanquam monstrum horrificum & immane. Sed hi profectò nihil videntur humanitatis habere, qui floscul is delectantur, & aspectu pulchritudinis alliciuntur, ignari prorsus rerum & finis, in quem tam fructuosa facultas confertur: cùm ex duobus itineribus illud omittendum non sit, quod quamuis arduum ac difficile fuerit, multis petriculis infestum, exitus tamen habet iucundos & amœnos, & omnibus

omnibus delitiis, & voluptatibus redundantes. Contra alterum relinquendum & violis ac floribus stratum, amœnitatibus & viriditatibus distinctum, sed horrifico & exitiali fine tormentorum. An vero sepulchrum totum candore mirabili, & auri fulgore splendens deligam, cum intus lacertis, muribus, vermiculis, & aliis animalculis scateat & cadauerum intolerando odore infectum perferri nequeat; arcam ex ligno rudi & impolito relinquam, totam auro, argento, gemmis pretiosissimis refertissimam? Facesse stulte & ignare rerum omnium, & specta Dialecticæ finem, & auidius eam sities, & tantæ semper artis ediscendæ sitim insatiabilem explere desiderabis. Quid magis horrificum videbatur, & magis fugiendum statim, ad oculorum aspectum, quàm Virga terrifici serpentis speciem & similitudinem præferens? At cape extremam, apprehende manu, & ob vtilitates mirificas nunquam satis pro dignitate celebrari posse reperies. Illa stragem attulit generi Ægyptiorum terrificam, aquam continuo conuertit in sanguinem, gentem Hebræorum ex intolerabili seruitute liberauit: Eadem patefecit aditum per mare rubrum, & obruit ducem, & Regem superbissimum Pharaonem cum omni peditatu equitatuque scelus & crudelitatem anhelantem: Eadem aquarum vim & multitudinem incredibilem ex dura & aspera petra ad Solymorum sitim explendam & satiandam in vasta desertaque solitudine, copiose nimis & abundanter expressit. Quid deinde? quo progrediuntur inimici huiusce facultatis? Quotusquisque modo reperietur, inquiunt, qui sine Dialecticæ ope suis vtatur rationibus, sua inuenta argumenta, opponat subtiliter, & quod velit efficere concludat ad animi voluntatem? Non inficior, sed illud magnopere contendo, multò præstantius, multo perfectius, quæ voluerint, illos expedituros esse, si facerent ex arte potius, quam ex longâ obseruatione, vel ingenii quadam singulari acrimoniâ. Quod quoniam faciunt, ingenii vim, non artis præcepta sequuti, video illos errare sæpius, & casum sequutos, sæpè sibilis & cachinnatione multorum silere cogi cum magno suo probro & dedecore. Quamobrem si Dialectica tantum honestatis & vtilitatis habet, si non caret iucundâ voluptate, si necessitatem affert omnium artium & disciplinarum alumnis ediscendarum præceptionum, quæ modum, rationemque demonstrant, viam patefaciunt ad rerum cognitionem tractationemque cunctarum, sine qua quæcunque artes

tes disciplinæque mutæ inermesque videbuntur: cunctas aspicite facultates, & quid à Dialectica acceperint, recognoscentes profitentesque audite. Sic enim omnes loquuntur: quoniam quæ in nobis dispersa ac dissipata quondam fuerunt, vt in musicis, & numeri, & voces, & modi: in Geometriâ lineamenta, formæ interualla, magnitudines: In Astrologia cœli conuersio, ortus, obitus, motusque syderum: in Grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus: in ipsa denique ratione dicendi inuentio, dispositio, ornatus, memoria, actio, omnia ignota quidem omnibus & diffusa latè videbantur: Te autem adhibita O Dialectica præcellens & excelsa facultas, res tantas, tam multiplices tamque varias, dissolutas omnes conuulsasque conglutinasti, & ratione quadam tam mirabili, tamque ex omni parte congruenti constrinxisti: agimus gratias tibi maximas, nostram ducem, cunctarumque rerum principem prædicabimus, & feremus in perpetuum. Quid adhæc Medicina, quid Iurisprudentia, quæ in tanto honore habitæ sunt semperque fuerunt? Dialectica adiutrice effectriceque maximè se valere plurimum apud mortales apertè perspicueque testantur. Restat vna sacra Theologia, quæ quanquam Regina cunctarum artium, & disciplinarum, eadem tamen cum vtatur administra suarum diuitiarum & ornamentorum Dialectica, eam à latere semper suo considere vult, & per illam omnia sua consilia arcanaque expediri profetrique, in orbis gentium lucem clarissimam. Dialecticam igitur cunctarum præsidium, vitam & ornamentum artium, & disciplinarum maximarum amplectamur, huic nos dedamus, & deuoueamus omnes, si more doctissimorum hominum si cum consilio, si cum ratione, si ex optima facultate, ex artium & disciplinarum præscriptionibus, si ex veritate postremo omnia facere voluerimus, à scopo, quem sequi debemus veritatis, nunquam aberrantes.

An Astro-

An Astrologia discenda sit.

Ex locis Theseos.

NEscio quo bono rerum humanarum factum esse dicam; Auditores optimi, vt Astrologos habuerimus hisce temporibus nonnullos in ciuitate, quorum prædictionibus multis malis ac præcipuè pestilentiæ obuiam ire conati fuimus, dum menses aliquot ante, futuram esse prædixere pestilentiam. Atque illorum responsa euentibus comprobata fuerunt, nec aliunde quam ex Astrologiæ cognitione profecta; quam dum discendam esse contendo, præcipuas aliquas rationes accipite. Quid enim magis honestum esse potest, quam vt hominum ingenia ea facultate potissimum imbuantur, quæ ab ipso cœlo, & aere suas causas & rationes petit, in sublimi cœlestique regione versans, humi, vt scitis omnes, minime serpens, nec terrarum sordibus inquinata? Quæ quo magis in sublimi loco versatur magis nitida & illustris, cœlesti semper claritate fulgebit. Nam non immeritò inuentum illius partim Regibus sapientissimis, partim sapientiæ nomine celebratis hominibus tributum fuit semper, & adiudicatum. Quod vt facilius intelligatis, quæ de Athlante Mauritaniæ Rege tradita sunt similia fabularum esse scitote: quem tam alta corporis statura & membrorum omnium mole, lateribus firmissimis esse veteres mentiebantur, vt suis humeris cœlum sustinere diceretur. Ideo enim hæc ficta fuisse mediocriter litterarum peritus intelliget, quod ille Astrologiæ inuentor fuisse perhiberetur, & terrestrium regionum angustias admirari desinens, definitos syderum cursus, & ordinata conuersiones ad numerum cadentes, quibus cœstra mouentur mente perscrutari studuerit. Nicepsus Rex Ægyptiorum fuit, & is iustitiæ laude clarus, & ob hanc virtutem iustissimus imperator appellatus, qui Astrorum cursus cœlique conuersiones mirificè tenebat. Atque ex nostris Hispanis Regibus, vt aliarum gentium principes omittam, & Cæsares præcipuè orbis terrarum victores, Rex Alfonsus decimum cœlum inueniisse fertur, Astrologiæ scientissimus, præque aliis orbis terrarum clarissimis Regibus huic arti deditissimus. Quod si altius rem hanc & originem Astrologiæ repetere voluerimus, Ægyptii primi fuerunt, aut Babylonii, qui curam omnem in syderum intel-

intelligentiâ posuerunt : à quibus in Græciam Astrologia concessit, a Græciæ sedibus in Arabiam, inde in Hispaniam illis temporibus iam bonarum artium studiis & doctissimorum hominum ingeniis florentem, iam Alfonso, quem supra nominauimus, regnante, & doctissimorum virorum conatus studiaque fouente peruenit : vnde peruagata est cunctos populos, & vrbes Hispaniæ. Hinc defluxit, & propagata fuit, per reliquas, quæ nomen Astrologiæ non acceperant, gentes atque nationes : & in tanto honore & gloriâ esse cœpit, vt aliquando & Athenienſium, & Romanorum ætate florentissimâ, nullus esset vllâ facultate, aut scientiarum laude cohonestatus, nullus neque generis nobilitate clarus, neque gloriâ militari præstans, neque vllis Reipub. honoribus insignis, qui non Astrologiæ scientiam & cognitionem habendam curaret : vt his tot, tantisque clarissimorum hominum, & Regum, & Imperatorum potentissimorum testimoniis ad summam dignitatem euecta fuerit Astrologia. Sed cum illa perscrutetur naturas difficiles & inuolutas rerum abstrusarum, & à communi hominum intelligentiâ remotissimarum ; qui status sit totius Mundi, atque naturæ, quæ magnitudo, & immensitas cœlorum, quæ species, quæ pulchritudo & efficientia, quanto impetu, & quam admirabili celeritate moueri, vertique consueſcant ; qui ortus & occasus syderum, quæ tanta varietas & pulchritudo Lunæ, qui splendor & ardor Solis, qui princeps est reliquorum, qui tantus ordo & tanta in omni æternitate constantia, quantum afferet vtilitatis ? Quid significent illustres & perlucidæ stellæ ? quid obscuræ & caliginosæ demonstrent ? quid trajectiones stellarum, quid visæ faces, quid stellæ, quas Græci Cometas, nostri crinitas appellant, soleant portendere ? Cur stellæ aliquæ notarum figurarum similitudine nomina inuenerint ? Cur quædam belluarum, vt capra, vt leo ; aliæ rerum inanimatarum, vt Argos, vt corona : aliæ veterum idolorum, vt Mercurius, & Saturnus nomina retinuerint ; quam variæ sint & longè inter se dissidentes affectiones cuiuscunque stellæ, cur frigma Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iouis illustret, ac temperet ? ipse Sol mundum sua larga luce compleat ; & ab eo Luna illuminata grauiditates afferat, partus, maturitatesque gignendi ? Quid cum tradat etiam Astrologia, omnes stellæ quibus temporibus sua spatia conficiant ? & quâ ratione ab ortu in occasum vsque commeant ; & quæ

ratio tantæ dissimilitudinis, vt aliæ minoribus spatiis suum
lustrent orbem, quam plurimæ tardius cursum absoluant? quæ
defectio Solis & Lunæ? vt Luna incidens in vmbram terræ in-
terie ctu interpositaque terræ repentè deficiat, & Luna simili-
ter subiecta & opposita Soli obscuret lumen illius, & propè
obruat? Quando fulgura & tonitrua, quando nimbi & tempe-
states cæteræ, motus terræ, tumultus bellorum, fames & pe-
stilentia, & aliæ diræ, funestæque calamitates sint euenturæ
mortalibus, auguratur? quæ quem admodum euentibus com-
probantur, vt alia testimonia omittam, ea quidem, quæ obli-
uisci non possumus, propter magnitudinem suam afferamus.
Recordamini terrificum illum cometem, qui ab hinc sex an-
nos & triginta visus fuit in cœlo, & in Africam spectabat, qui
tot ab Astrologis prædictas classes attulit, & subitam Regni
Lusitaniæ mutationem, & interitum trium Regum, maxi-
mè Sebastiani tantâ spe & exspectatione præditi adolescen-
tis. Recordamini eisdem propè temporibus terræ motum
factum, & adeo terrificum, vt omnibus ferè in locis, eodem
die atque hora loca omnia celebria desertaque contremue-
rint; terra multis in locis desederit, labes factæ fuerint innu-
merabiles, parietes non pauci disiuncti plurimas rimas ege-
rint, aut ædificia vitia fecerint, & corruerint tecta, atque ipsi
contremuerint vi terræ motus montes altissimi. Tremere id
temporis homines, pauere, & exanimari, fugere multi in so-
litudinem, diuersi dissipatique, tectorum & ædificiorum o-
mnium ruinam, & totius orbis occasum metuentes. Quid di-
cemus de pestilentiâ, quæ totam ferè Hispaniam tantâ cum
strage omnis generis, ordinis, & ætatis virorum, ac mulie-
rum edita miserrimè per biennium afflictauit? Quod erat
optandum maximè, & quod vnum ad flammam pestilen-
tiæ, communemque ardorem extinguendum pertinebat, id
Astrologiæ dono ac munere prouisum fuisse, prospectum-
que summo Reipub. commodo obliuisci non possumus. Tunc
excitati Medici fuerunt, vt remedia depellendæ pestilen-
tiæ maximè salutaria compararentur in tempore.: vt boni
Medici medendique scientiæ principes libros mitterent in
publicum, ad illum, quem infixura fuisset crudelius pesti-
lentia reprimendum obtundendumque mucronem. Tunc
illæ ciuitates, quæ proximæ fuerant pestilentiâ laboran-
tibus custodias omni diligentia festinarunt ponere, vt ex

oppi-

oppidis pestilentiâ infectis, venientibus aditu commercioque omni interdiceretur: tunc maxime excitati fuerunt concionatores Diuini verbi, vt ex publicis suggestis omnibus in templis ad scelerum pestem, ad peccatorum sentinam per confessionem ex animis eiiciendam pellendamque foras omni studio contentioneque populum adhortarentur. Tum denique factum est, vt mutatio repentina vitæ deprauatæ, & institutio melioris, vitiis procul amandatis, cum sacramentorum & confessionis sacræ frequentatione celebraretur. Quæ profectò omnia tanto animorum bono facta sunt, & quidem clades funestas per pestilentiam futuram inuehendas in æstatem proximam prædicente Astrologiâ. Quibus de causis maximæ Astrologis agendæ, habendæque essent gratiæ ab omni mortalium genere, quos si inopinantes, & nihil tale de pestilentiâ cogitantes malum tantum oppressisset, quanto funerum maximorum & plurimorum cumulo redundasset Hispania! O singularem Astrologiæ vim! O præclaras & singulares artis vtilitates! O valde prædicandam ad Orbis terræ gentium conseruationem Astrologicam! Habent Astrologi, habent illi causas cognitas, easque proprias naturæ, quæ solent esse plerumque. Mentiar tamen, si non dicam, non necessario semper consistere, sed immortalis Dei prouidentiâ euenisse, aut abesse non raro. Quæ autem solent esse, illæ quidem mandatæ sunt litteris monumentisque Astrologorum, & ab eisdem aliarum aliæ calamitatum prænuntiæ: sic præcipuæ quædam maximæque notæ pestilentiæ, quæ in vrbium (in quas inuadit hæc terrima lues) ne stragem funesta calamitate ederent, ab Astrologis, vt opportunè cauerent omnes ciues, & incolumitati suæ consulerent, multo antequam euenisse viderentur, denunciatæ. Nam cum fames antecessisset, & caritas & inopia rerum omnium, cum præterea cometæ visa fuissent, cum stellæ obscuræ & caliginosæ, & faces horribiles Hispalim spectare visæ essent; cum Autumno præterito cœlum ipsum flammas spirare visum esset: cum aer crassus & concretus circumfudisset terram & cœlum nubium obscura caligine circumfusum ad pluendum videretur affectum, neque vi ventorum, nisi guttæ ardore quasi flammarum conflagrantes expressæ decidere viderentur in terram, prænunciarunt, Auditores, Astrologi, vt remedia salutaria compararetis in tempore, & prouideretis saluti, quæ tantum periculum & discrimen adituri fuissetis. Testata loquor, Patres, sæpe multos

ante dies lucem hanc pestilentiæ metuimus. Multi exierunt in vulgus salutaribus remediis refertissimi libri Medicorum cognitis Astrologorum de pestilentiâ, nobis, & huic vrbi, & vniuersæ propè Hispaniæ imminenti prædictionibus. Quòd si non alios nobis fructus, nisi pestilentiæ verissimè constantissimeque prædictæ præstitissent, ii satis essent, ad Astrologiæ laudes, & vtilitates plurimas & maximas, & ad humani generis vniuersi salutem incolumitatemque spectantes agnoscendas. Sed video quosdam tacitè secum dicere, Cyprianos, Ambrosios, Gregorios, Augustinos, & alios Ecclesiæ sacros Doctores in Astrologos, tanquam in eos, qui furere nunquam & insanire desinant, vehementer inuehi. Idem Martinus, qui ex Pontificibus sui nominis in Pontificatus sedem primus ascendit, in Astrologos dixisse perhibetur. Gregorium etiam natu minorem, Alexandrum tertium huiusce nominis diris execrationibus deuouentes Astrologiam, è moribus & disciplina Fidei Christianæ sustuliisse clamant, & non desinunt iidem homines vociferari. Iidem Astrologorum inimici Astrologiam insectari pergunt decreto Concilii Toletani, tanquam plenam superstitionum, errorum laqueis implicitam, sacrorum Patrum auctoritate & religione iam pridem damnatam. Iidem clamant, non placuit Imperatoribus Constantino & Theodosio Astrologia, qui matris Ecclesiæ imperio fauebant. Non placuit Valentiniano, qui in eadem fide ac potestate Romanæ Ecclesiæ erat. Non placet Gratiano defensori maximo Christianæ Religionis, qui cum multa tuendæ defendendæque eiusdem Religionis causa decreta fecerit, tum illud præclarum, quo grauissima supplicia in Astrologiæ sectatores statuere non dubitauit. Atque ab his singularibus viris abeo ad Romanos, quibus cur Astrologi ridiculi visi sunt? cur etiam ludibrio & contemtui habiti? Cur illis odio maximo fuerunt? cur toties vexati & omnibus iniuriis onerati? cur rebus omnibus ornatissimus Marcus Varro omnem opinionum inanitatem, tanquam futilem & commentitiam, omnem leuitatem, omnem malitiam ab Astrologia prodiisse testatur? Nolunt afferre quasi satiati fastidio, leges Tyberii, Vitellii, Diocletiani, spectantes ad eiiciendam ex vrbe, & longè ab Italiæ finibus arcendam Astrologiam: Non tamen cessant eos stultitiæ & temeritatis arguere, & maculam vectigalis impositi Astrologis Alexandriæ, quod ab stultitia, cenmmon nuncupatum est, assidua commemoratione iactare.

Quibus

Quibus adiungo ad maiorem vim & robur suæ dictionis Zoroastem, Pharaonem, Cæsares, Deiotaros, Pompeios & alios addictos hisce superstitionibus miseros & exitiales exitus habuisse: Sed quid hæc cum bonis Astrologis? An quisquam putat interesse bonorum, si scelerati aliqui Astrologiâ abusi fuerint? Viderint, qui hæc nobis obiiciunt, & exprobrant tanquam communem pestem, & perniciem Rerum publicarum Astrologiam, ne illi ipsi, qui ab eisdem nominati sunt, à quibus Astrologos contemptos putant, loquantur de nefariis & improbis Astrologis, qui per scelus & nequitiam summam Astrologiâ abutuntur, qui transiliunt limites naturæ, qui si se suis finibus continerent, & similes Icari non altius euolarent, quam præscriptionibus artis datum est, nunquam excisis pennis in miseriarum pelagus infinitum incidissent. Quæ est igitur Astrologiæ disciplina? qui nam hæc disciplina suos alumnos instituit? docet ea traditque constanter, quæ placent clarissimis, doctissimisque, quos inimici nominauerunt, quæ placent sanctis Ecclesiæ Doctoribus, & cum doctrinâ D. Thomæ, cui cæteri Theologi assentiuntur, mirificè congruunt. Illa enim probatur omnibus Astrologia, in qua causas necessariò consequantur effectus, quas cernere est in defectionibus Solis & Lunæ: Illa etiam non improbatur, in quâ cum causa accedit, id, cuius est causa, efficit, sed non necessariò, neque omni tempore, quod quia neque necessario, & non semper euenire constat, non tanquam certum & minimè dubium, sed vt coniecturam capiens ex signis cælestibus suo iudicio, & non semper contigisse vidit, Astrologus responsa dabit, omnia semper affirmans, ex diuina potestate pendere, & in illius manu omnia posita esse, cuius nutu ac ditione cælestia, terrestriaque geruntur atque gubernantur. Quamobrem in his, quæ hominem libero arbitrio priuant, tollunt assensiones humanas, & voluntatem fatali necessitate deuinciunt, & constrictam vinculis in seruitutem adducunt, nihil esse loci, neque facultatis Astrologiæ, Astrologi boni concedunt, concedit ipsa facultas Astrologiæ. Atque frequens Astrologorum schola improbat hanc diuinationem, quæ priuat hominem liberæ voluntatis imperio & peculiaris arbitrij gubernaculis, quibus destitutum ita cupiditatum temerè se efferentium libidini addicunt, & deuouent, vt affinem necessariò faciant pœnis inferorum sempiternis: si quid prædixerit huiusmodi, quod extremum est, fallax, mendax, contraria naturæ, aduersaria

Christianæ legi, infesta hominibus est, & immortali Deo ita nefariè diuinans Astrologia: Qua si malè abutuntur Astrologi nonnulli ijque improbi, non est id vitium artis, sed hominis: neque ob hanc causam Astrologiam amplecti litterarum studiosos iniquum est. Relinquuntur enim ob hanc causam omnes artes, & imprimis humaniores. Quot enim Grammatici inscientes sacræ Theologiæ litteras diuinas audacter & impudenter explicare aggressi in errores multos inciderunt? Relinquatur Poesis: quot enim Poetæ versus obscænos, & impuritatum plenissimos fecerunt, nefarios libidinum voluptates, & cupidinis motus turpissimos poesi molli lasciuaque persequentes, quibus in adolescentum pectoribus veneris impuræ lenocinia, carnisque illecebras, tanquam venenum animos interimens, infuderunt? Relinquatur ars bene dicendi, moderatrix quondam Regnorum, & lumen artium disciplinarumque clarissimum: Quot enim oratores improbi seditiones in Rebus publicis, & turbulentos motus excitauerunt? quot leges vtilitati publicæ pernicioſas tulerunt? quot patriam adduxerunt in maximum periculum, & extremum penè discrimen? quot postremo vim adhibuerunt, contentionemque dicendi ad commouenda bella ciuilia, ad iniurias vindicandas publicè, & priuatim illatas? Atque in illis ipsis causis forensibus, iudiciisque publicis, in quibus semper floruerunt Oratores, semperque dominati sunt, quoties oppresserunt reos innocentes? quoties ex periculis eripuerunt nocentes & sceleratos? quoties denique causas obtinuerunt iniquas, iudicum animis artificio dictionis elaboratæ fucatæque tenebras, & caliginem offundentes? Relinquatur etiam, si placet, ars Musicæ in templis ad sacrificia rei diuinæ, ad Diuorum & Dei immortalis cultum, sanctissimamque Religionem temper ad hunc vsque diem adhibita, quâ mentes hominum ad Beatorum gloriam excitantur, & dum diuinis precibus intersunt homines, Musicæ suauitate sic afficiuntur, & perfunduntur, vt animis in cœlo versari videantur, & sanctorum incredibili atque cœlestis iucunditatis voluptate perfrui: Quoniam nonnulli sint Musici, qui lasciuos cantus, molles etiam in canendo flexiones, & falsas voculas adhibeant. Illud equidem Musicæ genus ars musicæ colendum præcipit, quod optimis verbis, & præclaris rebus, & certâ atque seuerâ cantus lege & ratione conficitur. Omittamus persequi reliquas scientias, & disciplinas

plinas, etsi superiora artium studia propter paucorum prauitatem omittenda non sunt, cur Astrologiam, si hac arte diuinante quidam aburantur, contra leges omnes atque rationes omittemus? Illam illam Astrologiam, quam scelerati introduxerunt, quamque cum pertinaciâ confirmauerunt posse prænoscere constantissimè ex syderum obseruatione futuros rerum euentus, qui vitam & actiones humanas attingunt, aut ea, quæ posita sunt, in hominis libera voluntate, abiiciendam explodendamque ex hominum vsu constat. Atque huius diuinationis studiosi plerique ab ipsa fide sanctissima turpiter defciuerunt. Iidem sacrarum litterarum monumenta diuina, morumque disciplinam bonorum, omnemque Theologiæ cognitionem, & sapientiam cœlestem, quantum in ipsis fuit, scelerata istiusmodi prædictione non peruerterunt solùm, sed etiam penitus de medio sustulerunt. Qui enim hanc ita diuinantem Astrologiam sibi persuaserunt, animum imprimis immortalitate carentem faciunt, adimunt homini liberum arbitrium, propriamque voluntatem: negant etiam diuini numinis prouidentiâ mundum hunc constitutum fuisse, gubernarique, omniaque quæ geruntur, non illius geri sempiternâ sapientiâ, qui cuncta sic constituit, sic prouidet, vt omnia sanctissimè prouidentissimeque constituerit. Quid quod miracula diuinâ virtute edita ad cœlestes causas hæc diuinans Astrologia reuocat? licentiam effundendi se in obscœnas & impuras libidines homini flagitiosè tribuit? leges ac præcepta diuina procul amandat, & à colendis obseruandisque præscriptionibus huiusmodi auocat hominem, & in illorum contemptum & despicientiam nefariè inducit, scelerum inuolucra, tegumentaque peccatorum inuehit, & humanas diuinasque leges crudelitatis impia macula aspergit, & inquinat? Natales hominum dies ad omnem impietatem & flagitiorum labem sæpe confert, & propensiones animorum fatali necessitate deuincit, constringitque; vt in hominis voluntate minimè positum fuisse videatur reprimere motus rationi contrarios, & libidinem legi humanæ diuinæque resistentem, & aduersantem: sed ipse miserandum in modum nolens & inuitus in sempiternæ noctis caliginem ruere debeat necessario. Hanc diuinationem ex hominum vita, veteres nostrique homines tollendam delendamque decreuerunt, & omnibus dedecoris & ignominiæ maculis aspergendam non solum, sed à Reipub. honoribus

prohibendam, & onere graui tributorum obruendam. Nostram verò, quâ vtimur, astrologiam, necessitatis vim non afferentem, & ex Dei sempiterni prouidentia pendentem, leges omnes ac iura non probant solum, sed vt dignitatis & vtilitatis plenissimam colendam, amplectendamque censent. Quamobrem Astrologia cum Dialecticâ non contendat, quæ iacit fundamenta, & aperit viam ad reliquas artes ac disciplinas: Non certet cum poësi, quæ numerorum angustijs astricta, concinnitate tantâ nunquam erit, neque suauitate tantâ, vt ad delectationem, quæ ex rerum cœlestium cognitione percipitur, comparari possit: Non congrediatur cum facultate dicendi, quæ quamuis ad cuiuscunque generis materiam pertineat, & latissimè diffundatur, non tamen semper in rerum celsissimarum amplitudine versabitur, sæpius quidem in quæstionibus ancipi i marte dist acti in iudicio. Anteponatur ne contentione Geometriæ, Arithmeticæque duabus maximis, & clarissimis facultatibus; nam si Arithmetica numeros, Geometria lineamenta, formas, interualla, magnitudines respicit, Astrologia candorem & splendorem cœli, & astrorum pulchritudinem, & stellarum motus diuersos, dissimilesque, & euentus varios, & multiplices, qua ratione prædiximus, ostendit. Si Arithmetica valet, plurimum, vt rerum suarum consideratione animum à sensibus auocemus, & à consuetudine corporis abducamus, vt ordinem & pulchritudinem earum rerum, quæ nullam in omni æternitate mutationem subeunt, intueamur: nonne Astrologia nos docebit abstrahere quoque mentem à rebus infimis, vt ipsam cœli conuersionem eadem semper stabilitate per omne tempus definitam ad nostras actiones suscipiendas, & ad omne virtutis genus summa religione colendum amplectamur? si quod numeris astringitur, per se quidem aptum est, & venustum, & omnium ad se oculos & voluntates elicit, quod est cœlesti splendore clarum & illustre, non sensus omnes, & animos ad se rapiet splendoris immensi magnitudine, & assuefacit animum à cogitatione rerum terrestrium abducere, quæ inanem habent fulgoris imaginem, & sæpè sordium & squaloris pleniſſimam, præ cœlestium claritate, præ Dei immortalis lumine clarissimo? sed iam Geometriam cum Astrologia conferamus. Si Geometria docet agros rectè diuidere, castra locare, vrbes ædificare, arces munire, constituere; Astrologia non distantias in agrorum fertilitate, aut sterilitate, non in bello-

rum

rum casibus exitu secundo vel aduerso terminatis, non in amplificandis populis, & vrbibus augendis, non in conseruandis arcibus distantijsque cœlorum perscrutandis versatur? At Geometria, quemadmodum Arithmetica sensus ad rationem & modum, quo singulæ res terminantur, traducit, vt res cœlestes atque diuinas intueamur, & indissolubilem illam societatem qua cuncta copulata sunt, & cœlum per media cum hac infima terra optima ratione deuinctum est, atque cohæret; Astrologia modo atque ordine, quo cœlestes orbes vertuntur constantissimè, & Sol cursum quotidie semel facit ab ortu in occasum vsque notissima semper celeritate, nos cum syderibus, cum Sole nostris in actionibus mira semper consensione perpetuaque stabilitate deuinciendis, & amore mirabili conglutinandis congruere constanter æquabiliterque docebit. Sed ne singulatim multa persequar, quod genus erit virtutis, quod cœli contemplatione, non sine præcipua Astrologorum laude adipisci valeamus? Si tantum igitur Astrologia dignitatis habet, si tot Heroum, & Principum clarissimorum splendore illustratur, si tot referta commoditatibus & emolumentis maximis, si diuinans Astrologia suorum alumnorum consensione exploditur ex academijs, & ex hominum vita, quia rebus humanis & diuinis perniciosa fuit semper, si nulla ars, neque facultas ex nominatis cum Astrologia tot titulis & insignibus ornata contendit, si cum Arithmetica, cùm Geometria decertans euadit superior: hanc ad animorum & Reipub. vtilitatem summorum hominum gloria dignam iudicemus, complectamur, & ad humanæ dignitatis ornatum & illustrem præstantiam magis ac magis decorandam cohonestandamque constituamus.

THESIS.

An Philosophia discenda sit?

NEmini profectò dubium esse video, quod proponitur, sed quoniam id propositum esse vident omnes ingenij acuendi causa, quod in dubium vocati visum est, de Philosophia discenda, dicam breuiter, quod ad institutum præsens spectat, tot præsertim oculis auditorum in me coniectis, & ad orationem percipiendam tanta beneuolentia animis cun-

ctorum erectis. Nam quis obsecro tam parum rationis particeps esse videbitur, qui non intelligat, quod antiquitate cæteris artibus, & facultatibus præstat philosophandi genus, id cæterarum rerum humanarum studio longè præferendum esse? Cum præsertim Regibus primis nascentis sæculi temporibus nihil tanto vnquam studio curæque fuerit, quasi Regiæ maiestatis proprium, quàm Philosophiæ operam nauare. Quæ sic postea creuit, Athenienſium memoriâ florente fœliciſſimâ, Macedonumque Imperij amplificatis opibus, vt Principes multi Athenienses Philosophiam magis, quàm eloquentiam discendam curauerint. Qua sic ab Aristotele fuit instructus, ille gentium nationumque cunctarum victor Alexander, vt pœnituerit Imperatorem inuictiſſimum Aristotelis Philosophiæ publicatæ, & emissæ in orbis gentium lucem clariſſimam, peruagantis iam terrarum sola, regnorumque alieniſſimorum sedes disiunctiſſimas: & non alia profectò de causa, quàm quod ipse illius præcellentiſſimæ scientiæ peritus esse duntaxat optaret. Quòd si cognitione Philosophiæ pars illa excolitur animi, qua proprius ad Deum optimum, maximum accedimus rerum maximarum scientia, virtutumque præclariſſimarum ornatu, quid hominis præstantia dignius existimari potest Philosophiæ studio? Cum autem philosophandi ratio sit duplex, vna de via, & de moribus agens, altera de naturæ mysterijs & arcanis occultis, quis est tam mollis & voluptatius, vt pecudis & hominis differentiam non assequatur Philosophiæ vtriusque beneficio? Illa sensu res iudicat; hæc animo & ratione intelligit: illa duntaxat præsentia sentit; hæc & præterita reminiscitur, & futura cum præsentibus copulat: illa in terram prona, tanquam ad pastum solum facta videtur; hæc hominem ad cœli contemplationem erigit, quasi ad agnoscendam & spectandam, eam, quam cum diuinis mentibus habet, propinquam cognationem. Quorum igitur Philosophorum præceptis à brutis animantibus tantopere dissidere viuendi ratione cogimur, eorum vtilitates mirabiles percipiendas non constituemus? Cum præsertim ex tribus bonorum generibus, corporis, diuitiarum, & animi, primum illud in corporis elegantia, membrorumque omnium conformatione positum ad virtutem conferre moneamur exemplo Socratis, qui discipulos ad se deductos, vel sponte venientes, speculum iactari iubebat: vt cùm oris dignitatem, & datam humanæ for-

næ formæ præstantiam aspicerent animi speciem & pulchritudinem eius similem, multoque elegantiorem reddere conarentur: Sin autem deformitatem oris, labesque corporis turpes aliquas cernerent, erigerent, confirmarentque se se quantum in illis esset, vt maculas omnes virtutum ornamentis tegerent, & occultarent. De diuitijs & facultatibus, quemadmodum multi æstimauerint vel ex eo intelligetis, quod illi ipsi aurum, argentum, & opes à maioribus iure hæreditario acceptas magnanimiter repudiauerunt, vt vitam suam in omni rerum humanarum contemptione ac despicientia collocarent. Honoribus autem multi nuncium remiserunt, vt priuatam & vmbratilem, & à sæculi gloria procul remotam vitam agerent & his honoribus non modo virtutes, sed etiam litterarum otium & Philosophiæ studia præponerent. Illorum verò Philosophorum, quanta fuerunt in genus humanum merita, qui in sola virtute, reliquis bonorum generibus contemptis atque repudiatis hominis fœlicitatem posuerunt, ducentes pecudes intemperantissimas eos, qui corporis voluptatibus tanquam expertes rationis, qui commodis & emolumentis, diuitijs & honoribus omnia metirentur? Dies me deficeret, si rerum, quas proposui vellem exempla proferre, quibus boni præstantesque Philosophi hominem ad diuersarum virtutum functionem excitare studuerunt, ne fortunæ vicissitudine labefactaretur, nec dejiceret animum aduersis, neque minus efferret secundis rebus, sed æquabilem & constantem armaret, contra omnem casum & incertos humanæ conditionis euentus, vt veri & falsi cognitione mentem in errorem & superstitionem labi non sineret: atque omnem inanitatem circumcidens animi motus regeret, sedaret perturbationes, ab ægritudine & metu, inuicto seipsum robore & virtute liberaret, & conformatione, moderationeque temperantiæ libidinem refrænaret voluptatis, ipsumque rationi appetitum obedientem, morigerumque præberet, partes omnes ad tuendum conseruandumque naturæ statum mira concordia consprationeque componens. Quis enim dicendo consequi possit, miserias & ærumnas, in quas inciderat animus, si à Philosophiæ præceptionibus abhorrens modo formidinum specie plurima perterritus, modo tormentorum doloribus excruciatus, interdum facibus inflammatus cupiditatum, sæpè exagitatus libidinum motu turbulentissimo:

vt nunc

vt nunquam respirare, nunquam requiescere videretur? Quibus cùm Philosophiæ pharmacis, & salutaribus præscriptionibus Plato, cùm Xenocrates, cum Socrates, cum alij boni præstantesque Philosophi obuiam ire conarentur, & prodesse sanè plurimum, quid vtilius Philosophia, morum & vitæ magistra esse potest? Quare si salutem animorum, si multas alias corporis, & bonorum vtilitates Philosophia mortalibus affert, non etiam incitabimur huiusce scientiæ percipiendæ maxima facilitate, quam in duo genera potissimùm diuisam morum & naturæ cernimus? Quam non iam perceptu difficilem, vagam & errantem, & nullis terminis ac finibus circunscriptam, quemadmodum primis suis cunabulis, cùm eam Socrates, qui de vita & moribus maximè omnium optimeque disputauit, fertur de cœlo ad terram deuocasse, sed Aristotelis ingenio exquisitoque acumine, certo ordine & ratione conclusam videmus. Quam nostris temporibus nouis in dies monumentis exeuntibus & manantibus in vulgus auctam etiam intuemur: mirificè amplificatam, & gradibus honorificentissimis, & Magistrorum insignibus delatis, in ipsis academijs tanto plausu, tantaque acclamatione cohonestatam. Quod si his rebus facilè non pateret, & non esset expeditum iter, tamen nomen sapientiæ propter præstantiam suam Philosophiæ delatum admirabiles sui amores in nostris animis excitatura fuisset. Non enim Medici, non Iurispetiti, non reliquarum artium & scientiarum professores nomen istud, sed Philosophi dicti appellatique amatores sapientiæ detulerunt. Quorum scientia, quo meliorem in methodum rationemque redacta cernitur, eo magis faciles nos & promptos, alacres magis & lætos reddere debet ad sui muneris excelsum & illustre studium. Verum eam non modo vtilem, sed necessariam aspicite. Nam sine Philosophiæ cognitione nunquam equidem Medicus præclarè versabitur in sua facultate, non etiam Iurisperitus, cuius leges & sanctiones, nisi mores & vitam hominum respicerent, philosophiæ præceptis imbuendam informandamque, non ad constituendas, sed ad euertendas penitus Respublicas pertinerent: neque leges illæ, non iura dicerentur, sed pestes ac procella Reipub. cum æquum, & ius, nisi Philosophiæ placitis stabilitum definitumque constare non possit. Quòd igitur Rempub. benè constitutam, quod præclarè gubernatam, quod seditionibus liberam, quod tranquillam & pacatam videmus, quod nouis in dies incrementis amplificatam, fructus

ctus ij sunt & monumenta Philosophiæ. Da mihi igitur ciuitatem aliquam fluxis moribus ac collapsa disciplina, vitijs multis contaminatam, auaritiæ sordibus inquinatam, seditionibus turbulentis concitatam, iactatam inuidiæ fluctibus, libidinum facibus flagrantem, ciuesque omnes otio languoreq; hebescentes: in qua nulla ratio, nulla honestatis species, nulla virtutum simulachra videantur: quid hac ciuitate tetrius? quid perniciosius esse potest? Hanc tu non vrbem, sed furum latronumque receptaculum, perfugium homicidarum, & sicariorum, & asylum omni scelere ac nequitia perditorum dices. His profectò malis careret, & legibus gubernaretur optimis, & cresceret in dies virtutum cunctarum adaucta cumulo ciuitas hæc, si Philosophiæ placita sequerentur incolæ & habitatores omnes. Sit Medicus inimicus veræ sanctæque Philosophiæ, sit inimicus illius præscriptionum Iurisperitus, quod ille passim homicidia faciet, quas strages edet specie ac simulatione medicinæ? Iurisperitus quantam perniciem rebus publicis afferet, à Philosophiæ salutaribus monitis, & præscriptionibus alienus? sed tam mirificam ex Philosophia cape voluptatem, quàm illa iucunda, quam grata suis alumnis erit, siue naturæ mysteria perscrutetur, siue mores & virtutes ostendat? quantam afferet voluptatem ostendens speciem candoremque cœli, conuersionem eiusdem rapidam & incitatam, noctium dierumque vicissitudines, commutationes temporum quadripartitas ad frugum maturitatem, & ad temperationem corporum aptas, cursus Solis, Lunæ accretionem ac diminutionem, vtriusque defectiones, stellarum dispares motus, constantiamque æquabilem in cursu conseruatam, grauiditates Lunæ maturitates & partus. In quarum rerum consideratione, quis tam expers rationis erit, qui non gaudeat suæ ætatis omne curriculum conficere? Quantum etiam delectat, animos pulchritudinem virtutis contemplari, actiones illius varias tanta moderatione definitas, concentum omnem, & harmoniam morum vitæ integerrimorum, & finem, in quem spectat absolutionis adipiscendæ, gloriæque comparandæ Beatorum immortalis? Dum ille Philosophus virtutem admirabiles sui amores in hominum mentibus excitare dixit, dum alius eam in solio præcelso collocatam & claritatis eximijs circunfusam splendore, sublatis oculis suspicientem cœlum, & pedibus calcantem proterentemque mortem ostendit, quid iucundius, quid suauius ad corporis & animi veram ac

solidam

solidam voluptatem? Affertem sexcenta istiusmodi exempla, nisi orationis terminos transilire vererer. Sed ecce, nescio quis in Philosophia parum versatus, & suæ facultatis amans, plus me Philosophiæ, quam ab alijs tributum fuerit, tribuisse contendet: Quod in poësi istiusmodi exempla reperiantur, quod præceptis salutaribus, & ad vitam spectantibus abundet, quod Poëtarum libri pleni sint virtutum factis egregijs ac singularibus, quod fortitudinis, quod laboris quod molestiæ, quod temperantiæ, quod reliquarum virtutum trophæis immortalibus referti legantur: O cæcam hominis temeritatem! O deridendam planè dementiam! Poëtas obijcis Philosophis, Poëtas inquam, quorum plurimi plus mali, & turpitudinis, quàm bonitatis habent & honestatis? Sed esto, fuerint omnes honestatis amantes, omnes virtutis colentes, egregijsque Philosophiæ muneribus perfuncti fuerint: sed vnde istud, quidquid est, delibatum & haustum, nisi ex Philosophiæ fontibus, quæ mater est omnium benefactorum, beneque dictorum, à qua ad vitiorum peccatorumque nefarias labes tollendas salutaris est petenda medicina? quæ radicem omnium malorum stirpitus se extracturam esse pollicetur? Quæ virtutis indagatrix, quæ vitæ rectè regendæ dux est, expultrixque vitiorum? sine qua non homines solùm, sed hominum vita nulla ducenda est? Quæ vrbes peperit, dissipatos homines in vitæ societatem conuocauit, quæ eosdem inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tùm litterarum & vocum communione coniunxit: Quæ inuentrix est legum, magistra morum & disciplinarum: Quæ vitæ tranquillitatem largita est hominibus & terrorem mortis sustulit. Quæ poëseos, quæ eloquentiæ, quæ iuris, quæ cunctarum artium procreatrix quædam, & quasi parens est, & ob hanc causam, si non alias haberet præcipuas laudes, appetenda, perdiscendaque fuisset. Quis Abrahamum illum, quis Isaacum, quis Iacob, tria sacrarum litterarum lumina non recordatur? Quis Abrahami obedientiam, & voluntatem morigeram, & obsequentem prorsus immortali Deo non meminit? quis Isaacum scientiæ puteos fodientem, profunda quæque & abdita penitus perscrutantem non accepit? quis postremò Iacob, in rerum diuinarum contemplatione, quod & ipsum nomen indicat, versantem non audiuit, atque illius scalas ab infima terra in summum supremumque

mumque cœlestis aulæ domicilium sublatas non millies ex sacris concionibus, aut diuinis annalibus accepisse testabitur? Ad partem Philosophiæ, vitam moresque hominum componentem, constituendemque suis præceptis & monitis salutaribus Abrahamus; naturæ mysteria ab hominum intelligentia procul remota Isaacus, voluptates vero solidas ac iucundas animorum ex contemplatione perceptas Iacob ostendit. Fabula est, Auditores, quam narrabo, sed infabulis hominum mores, & quotidianam imaginem vitæ luculenter expressam omnes intelligetis. Cerberum illum abstractum Herculis opera ex obscuris Inferorum sedibus accepimus, illumque tricipitem, ad hæc terrarum sola perductum. Quorsum hæc? vt ab Hero præcellentissimo patefactam, & è tenebris in lucem erectam fuisse, quæ in obscuro loco Cymmeria quasi circumfusa caligine delitescebat, triplicem philosophiam sciamus, rationi, moribus, naturæque seruientem. Hercules enim præter domita tot horrifica monstra, confectaque robore ac magnitudine animi sui, si Homero credendum est; in Iunonem sagittas emisit, telum trisulcum magna brachiorum contentione contorsit in Plutonem, grauem & luculentam plagam infligens. Quæ quo spectant, nisi vt tripartitam Philosophiæ materiam spectemus? Cuius illud imprimis officium est, vt nullus locus sit, tam abditus & retrusus, quo non peruenerit, & penetrauerit Philosophia: si quidem recessus terrarum vltimos perscrutatur, & rationibus suis, & argumentis, fallacias & fraudes, in abdito terrarum loco latentes eruit, & veritatis lucem patefacit, id quod Plutonem, id est Dæmonem inferorum principem, iactis, & intortis argumentorum telis impetere, & mille plagis ac vulneribus conficere est. Cùm verò tot monstra domuerit, & prostrauerit feritatem belluarum, & diritatem immanem conciderit, quarum gentium feram & belluinam naturam coercuit & à ferina immanitate ad humanitatem ciuilitatemque traduxit, præceptis informans, & imbuens salutaribus. In Iunonem fecit impetum, Reginam aggressa fuit Dearum, superauit, & plagis penè lethalibus confecit; nimirum supera altitudine sua consequitur, & quidquid fabulis confictum est ab humanis mentibus amouet, & quod planè cœleste sit, & rationi consentaneum consectatur Philosophia, & hominum generi quid fugiendum sit, quid sequendum ostendit.

At ab

At ab eo, quod supra ostendi, discedere visus fui, & bipartitam Philosophiam iam mei ipsius nescius tripartitam ostendo? minimè quidem, sed cum illius duæ sint partes præcipuæ, in quibus adhuc se nostra iactauit oratio: in tertiam propriam Dialecticæ, quæ pars est Philosophiæ, & eidem adiudicari potest, incidentes, ab instituta tractataque à nobis partitione recedere non dicemur. Quamobrem in Philosophiam, tanta dignitate, tot commodis & vtilitatibus, iucunditate multa, suauitateque redundantem incumbite adolescentes: his magis nostris temporibus, quàm ant quis facilis aditus & illustris ad illius cognitionem patet: nullum in illam aduersarij telum iacient, quod non facilè perfringatur. Plenam dignitatis, plenam honoris scientiam aggrediemini, & quod vestra maximè interest, siue ad medendi facultatem, siue ad sacram Theologiam instituendam perdiscendamque plurimum sine dubitatione facientem.

COMPARATIO.

Comparatio est contentio vnius rei cum altera: Vel est oratio ex collatione aliquid disquirens, quo id, quod comparatur, aut magis extollat, aut ostendat æquale.

Cadunt in comparationem omnia, quæ laudari posse, aut vituperari diximus: cadunt enim in eam personæ, res, dicta, aut facta. Tractatur comparatio ex locis vituperationis & laudis: constat autem proœmio, patria, maioribus, educatione, rebus gestis, Epilogo.

Annibalis, Publiiq; Scipionis comparatio.

Proœmium.

GAudent homines magnopere virtutes clarissimorum Ducum, & rei militaris summa laude præcellentium audire, quod eorum fortitudo, magnitudoque animi, & ad res fortiter gestas adiuncta felicitas, magnos spiritus in aliorum animis ad patriam defendendam tutandamque solet ingene-

ingenerare. Id quod Athenienſes declararunt, vitæ muneribus Imperatores functos Oratoris voce commendantes. Romani etiam reportatis victorijs eoſdem in magno hominum conuentu ac frequentia honorificis laudibus affecerunt. Ex quibus Scipionem cum Annibale Carthaginenſium Duce fortiſſimo comparandum veſtrorum animorum tanta tamque ſingulari benignitate delegi.

A patria.

PAtria nati ſunt non eadem, ſed de qua poterit vterque iure optimo gloriari. Nam Annibal Carthagine natus fuit, vrbe quondam opulentiſſima, bellicoſiſſimaque, & Africani regni Principe: ex qua tot Duces, & Imperatores fortiſſimi orti fuerunt; qui cum vrbe Roma de terrarum Imperio per multos annos dubio ſæpè, & ancipiti marte decertarunt. Cuius cùm fundamenta vrbis jacerentur, caput equi repertum fuit, inſigne belli notiſſimum, & populi Carthaginenſium ferocitatem prædicens. Scipio natus fuit Romæ, quæ caput Italiæ, Domina terrarum, tot Duces, tot Imperatores rerum præclarè geſtarum gloriâ inſignes, qui fortitudine ſuâ Romanum Imperium extremis orbis terræ finibus terminarunt, protuliſſe dicta eſt: cuius etiam dum prima ponerentur fundamenta, hominis caput inuentum, vrbis futuram prænuntiare viſum eſt claritatem fortunatiſſimam, omniumque gentium ac nationum Ducum ſuorum fortitudine ſubiectarum imperium, potentiſſimumque dominatum.

A maioribus.

NAtus vterque in patriâ clariſſimâ, regnique potentiſſimi principe parentes iactare potuit clara excelſaque ſtirpe procreatos. Annibal enim parentem ſortitus fuit, multis præclaris facinoribus inſignem, & prælijs contra Romanos acriter vehementerque commiſſis celebratum. Scipio parentem ſuum, & in hoc ſine dubitatione parem: quod bella multa geſſit, & prælia grauiſſima contra Carthaginenſes acerrimâ contentione commiſit: ac præcipuè ſigna contulit in Italia ad fluuium Trebiam. In vtraque familia viri apparuerunt & rebus bellicis dati, & Reipubl. muneribus maximis perfuncti. Qui quales ac quanti fuerint, quantâ nominis gloriâ floruerint,

rint, quas gesserint dignitates, & honores, nihil opus est, commemoremus: cùm omnes Carthagine, Romæque Principes non haberentur solum, sed omnium linguis ac sermonibus prædicarentur. Quorum testimonia in hodiernum vsque diem permanserunt publicis literis consignata ad vtriusque familiæ gloriam sempiternam.

Ab educatione.

His maioribus procreati, curâ sanè studioque maximo educati fuerunt, & litteris Græcis ac Latinis non mediocriter eruditi: sed præcipuè ad rei bellicæ studium & arma capienda instructi diligentissimè. Ac ne huiusce loci explendi causa, quod de educatione prædixi, à me tentatum fuisse putetis, non illis solum artibus informati fuerunt ambo, quibus puerilis ætas imbui solet, vt Latinè solum, aut Græcè agere didicissent, quæ duæ linguæ quondam florebant, maximeque dominabantur in orbe terrarum: sed alijs artibus & disciplinis, quæ ad regimen & clauum Reipubli. tenendum necessariæ videbantur. Quamobrem cùm litterarum, tum doctissimorum hominum amantes mirum in modum fuerunt: vt enim Annibal Sosillo Lacedæmone familiariter vsus fuit: sic Scipio, Ennium summo amore prosequutus: Quapropter in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus è marmore. Itaque vterque & litterarum sciens, & ad rei bellicæ studium artibus necessarijs præclarè instructus fuisse perhibetur:

A rebus præclarè gestis.

Sed iam vtriusque res præclarè gestas, & nomen insigne consideremus; vterque enim ab adolescentiâ rei militari operam nauauit, & ad Imperatoris laudem nouis in dies progressionibus aspirauit. Adolescens Annibal expugnatâ vrbe Sagunto, ab Africani regni finibus in Italiam venire non exhorruit, ingentes peditum & equitum copias secum ducere, potentissimam Rempub. quam maiores non mediocriter formidauerant, bello lacessere, multis exercitibus ad internecionem deletis, multis Consulibus, & Imperatoribus occisis, in ore, conspectuque Romanorum castra ponere, non procul à mœnibus, & portis eiusdem vrbis, externos Reges, longinquasque

quasque nationes ad inferendaRomanis arma concitare. Scipio quatuor potentissimos Duces, quatuorque exercitus omni copiarum genere abundantes fudit fugauitque, capto, deuictoq; magni nominis, & admirandæ virtutis Hispaniarum vno Rege potentissimo. Deinde quis est, qui non legerit Annibalem à Scipione collatis signis profligatum fuisse, coactumque desertâ patriâ suâ vrbe Carthagine ad auxilia petenda, ad gentes alias & externos Reges supplicem confugere? Quod si Annibal gloriari potuit tot se ciuium Romanorum & equitum & Senatorum sanguinem profudisse: non impunè tantas & tam funestas clades edidisse Pœnum Scipio gloriari poterit. Atque id fecit Scipio, quod Imperatorum Romanorum contigit nemini, non ipsi Fabio, quem obstitisse audacissimis Annibalis conatibus, & illius furibundam mentem fregisse consilio prudentiaque magnum satis & amplum Romani duxerunt. Annibal in Italiam, & per medias Alpes exercitum in vrbem vsque propè Romam traiecit: Scipio in Africam copias suas traduxit, Fabio, multisque alijs obsistentibus, & non vrbem solum oppugnauit, sed cœpit Annibale fugato, & vectigalem ac tributariam populo Romano fecit: vnde non inferior Annibale, sed fortior propè visus est, & superior Africanus. Quid enim parem dicam, quem tot victorijs de Annibale fortiter & gloriosè reportatis, tot vrbis Carthaginis trophæis, statuis immortalibus, & illustri eximio Africani cognomento decoratum, omnium gentium monumenta commendarunt? Quod si semper æqualitatem seruatam esse dixeris, quod iniquitate loci, militum ignauiâ, & casu nonnullo victoriæ constent, magni etiam Duces, nescio quibus de causis cum inferioribus sæpè Ducibus confligentes victorias amiserunt, non tecum magnopere pugnabo, dum fortitudine, rerumque gloria præclarè gestarum, vtrumque valde clarum & insignem fuisse mihi omnes, qui de rebus bellicis quidquam legerint, vel audierint sine contentione concedant.

Epilogus.

SEd nolo pluribus exercitationem dilatare, dummodo veritatis auidi, rerumque bellicarum cupidi, tantam vtriusque Ducis fortitudinem, tantam animi magnitudinem, tam fœlices & secundos euentus, tantam postremo nominis gloriâ egregijs

facinoribus comparatam imitentur: & quibus gradibus honorem sibi tam immortalem pepererint, animo cogitationeque complectentes, minimè desistant, quoad summi, & singularis Imperatoris formam & imaginem factis præclarissimis exprimendam perficiendamque curent.

Altera Comparatio B. Chrysostomi & Beati Ambrosij.

Proœmium.

QVanquam sanctorum merita tantæ sint laudis & gloriæ, vt eorum de laudibus cùm agamus, nihil opus sit conferre virtutes vnius, cum alterius sui ordinis florentissimi singularibus ornamentis: quod illi, quem consequuti fuerunt gloriæ gradum in aula cœlesti, eò sint contenti, neque inuideant aliorum altiori loco; sed gaudeant mirandum in modum cuiuscunque cælitis dignitate clarissimâ: tamen cùm non de præponendis cælitibus agamus, sed de similitudine, & propè nonnullorum æquabilitate demonstrandâ, non abs re fortasse videbitur per contentionem laudem alicuius cum alterius virtute conferendo, dicendi facultatem ostendere: sic multi clarissimi viri maiorum vestigijs insistendo gradum propeparem consequuti fuisse videbuntur in Reipub. & nos si non adparem, ad aliquam tamen virtutis vmbram consectandam incitabimur. Quod cùm in alijs tum maximè in duobus sanctissimis sapientissimisque Ecclesiæ doctoribus, Ambrosio, Chrysostomoque videmus.

A patria.

QVorum patrium solum quanquam non idem fuit, & distantibus terræ partibus situm: Chrysostomus enim Antiochiæ, Ambrosius in Gallia natus fuisse perhibetur; tamen eorum laudibus vtraque patria magnam est gloriam consequuta. Et quanquam laus Antiochiæ latè pateat, quæ celebris quondam vrbs & copiosa erat, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studijs affluens: tamen Ambrosij patriam cogitemus vrbem fuisse clarissimam, & propè totius Galliæ principem opulentissimam, cum in eâ sedem habuerint & do-

& domicilium præfecti moderatoresque illius prouinciæ ad quam regendam gubernandamque missus fuit Ambrosius clarissimus tanti Doctoris pater & ornatissimus. Quam vbertate rerum, positione loci, temperatione cœli, multitudine nobilitateque ciuium & omnibus opportunitatibus & commoditatibus vrbium maximarum expetendis celebrem fuisse Præfectorum dignitas & amplitudo declarabit.

A maioribus.

S. IB. Chrysostomus nobili genere natus fuit, & vetustissimis maiorum imaginibus insigni, si clarus parentibus locupletissimis, & multum gratiâ, & auctoritate valentibus apud Reges & Imperatores huiusce sæculi, vt declarant honores & dignitates, quibus cum tantâ sui nominis gloriâ functus fuit; non inferior fuit nobilitate generis, claritate maiorum Ambrosius, qui clarissima posset proauorum stemmata iactare, tum auctoritatem & gratiam eorundem apud principes & Heroas terrarum potentissimos. Quam maiores iidem diuitijs & opibus ad sumptus non modò necessarios, sed etiam liberales faciendos abundè satis & liberaliter affluentes tuebantur, & multò clariorem & illustriorem bonorum & dignitatum Reipub. maximarum splendore reddebant; vt inter principes ciuitatis facilè suam dignitatem eximiam, & insignem nominis amplitudinem testarentur. At vtriusque enim parentis potentiam, & illustrem splendorem, tanquam ad asylum vnicum, & præsidium rerum suarum, inopes, & à potentioribus vexati confugiebant. Neque domus illorum venientium & negotiantium, & semper omnibus propè horis, sæpè temporibus alienissimis ad illos adeuntium vacabat, semper fores patebant, & cum nemini præcluderetur aditus, magno concursu frequentiaque infimorum, mediocrium, & summorum hominum celebrabatur. Itaque si in nobilitatem maiorum vtriusque perspicias in eodem honore, & pari gloriâ vterque Chrysostomus, & Ambrosius esse videbitur.

Ab Educatione.

HAc maiorum illustri stirpe præstantes, pari studio fuerunt & diligentia semper educati, bonis litteris in ipsâ pueritiâ, quæ ad omnem humanitatem informari solet, im-

buti ſtudijs humanioribus, litteris latinis & Græcis, liberalium artium, & Philoſophiæ ſcientiâ. Adde iuris vtriuſque non exiguam cognitionem, & ſacræ Theologiæ, quam ad extremum didicerunt, lau lem ampliſſimam. Quæ ſtudiorum & ornamenta ſingularia, ſi ſpectare ſigillatim voluerimus, magnam nobis admirandi materiam afferent : & tantum vtriuſque Principis rectè præclareque inſtituendi curam fuiſſe reperiemus, quantam ſpem egregiam in hominum animis excitare potuit educatio. Ad quod officium diligentius faciundum & accuratius, parentes vtriuſque excitabantur & inflammabantur vtriuſque adoleſcentis indole mirificâ ad res literarias, & ad honeſtatis ſtudium ſingulari propenſione.

A rectè factis.

QVi progrediente ætate, quemadmodum ſui ſpecimen maximum dederint, quis non videt, ſi ſingulas artes & diſciplinas, quibus doctiſſimis ſui temporis hominib. præſtiterunt, contemplemur? An verò B. Ambroſij eloquentiæ fœliciſſimum augurium contrariò fuit euentu comprobatum? in cuius pueri labellis apum examen viſum fuit conſidere, quod ſuauis & melle dulcior, quæ ex illius ore adultâ poſtea ætate flueret, prædicabatur oratio. Num ſimilem orationis dulcedinem, & omni ſuauitate affluentem ex Chryſoſtomi ore manaturam ætate progrediente, nomen illius, quod aureum os dicitur, polliceri nobis potuit? Eadem ſuæ facundiæ documenta dedit vterque, cum cauſas quod illis temporibus proprium erat oratorum, forenſes ageret. Et ambo bonorum patrocinium ſuſcipientes à veritate iuſtitiaque ſtarent, magnis eloquentię viribus exultantes & triumphantes in iudicijs. Cum autem ijdem Eccleſiæ ſtatum amplecterentur, & à laico um ſocietate ad Eccleſiæ dignitatem aſcenderent, qui vtriuſque labores? quod ſtudium & diligentia? quæ morum integritas? quæ vigiliæ, quæ ſanctitatis edita paſſim exempla? Non Ambroſium & Chryſoſtomum tiarâ Pontificum, non Pontificijs inſignibus ornatos, non in honorificentiſſima ſede collocatos, non ſedulam operam animorum ſaluti impendentes, non defendendæ libertatis Eccleſiæ & eiuſdem dignitatis ſtudio acriter vehementerque laborantes cernere videmini? A vitijs improbos auocare, fœditatem flagitiorum oſtendere, ad virtutem ardenter adhortari, omnium Cleri Eccleſiæque

cleſiæque ſtatum præclarè componere, & bonis moribus ac virtutibus oues paſcere, & ad gloriam cœli immortalem ad Deum optimum, ac maximum mentem mortalium excitare conabantur. Hoc etiam munere ſummâ cum laude fungentes ſe, diuini numinis ſeueros & egregios cultores præbebant: qui neque principum, & Imperatorum, neque Imperatricis animos ſuperbos & inſolentes formidarent. Non Ambroſius prohibet Theodoſium Imperatorem aditu Eccleſiæ, propter cædem & ſtragem Theſſalonicæ editam? non eidem Imperatori obſiſtenti ſummâ cum grauitate reſtitit? non illius futiles refutauit rationes, & ad factam cædem defendendam argumenta propoſita? non denique vſque eo deduxit Imperatorem, vt ſe demitteret, vt poſceret veniam delicti, vt pœnam ſtatutam ſummâ voluntate ſuſciperet, & perferret in Principum ſuorum & totius populi luce clariſſimâ? Non minore fuit Chryſoſtomus robore ac magnitudine animi, cùm Eudoxiam imperatricem, contra legem inſultantem ac bacchantem temerè in alienis bonis, auctoritate ſuâ reprimere & coercere ſtuduit, eandem exitium & peſtem maximam ſibi molientem non timuit, acerbioris reprehenſionis aculeos, vt ad reſtituenda prædia Calliopæ adduceretur, infigere perſeuerauit in finem vſque. Cùm ludi committerentur, & paſſim ſpectacula præberentur ad argenteam Eudoxiæ ſtatuam, an Chryſoſtomus tacuit, an animum deſtitit oſtendere? Miſſus Chryſoſtomus in exilium inimicorum furori cedere voluit, & è ſede pontificiâ deturbatus multas pro veritate exhauſit malorum acerbitates. Ambroſius in exilium libenter ire non recuſaret, forti & magno quidem eſſet animo, neque ſuccumberet vnquam fortunæ, qui tot abſolutæ ſanctitatis diuitias congeſſerat, ſi Imperator non pareret mandatis, & pœnam non ſubiret impoſitam. Vterque etiam quæ ingenij monumenta poſteritati reliquit? quibus commodis & beneficijs auxit Eccleſiam, quibus fruitur hodierna die, & perfruetur in omnem ſæculorum memoriam? ea tanti habita fuerunt, vt propter illorum fructus vberrimos & ſanctitatem ſuam in Eccleſiæ Doctorum ordinem celſiſſimum fuerint euecti. Reſtat mors vtriuſque, quæ vitæ integerrimæ ſanctiſſimæque conſentanea eundem exitum fœlicem habuit, nam vterque in cœleſtis aulæ domicilia plaudente Beatorum ſenatu fuit acceptus. Cuius gloriæ immortalis dedit ampliſſima teſtimonia mater Eccleſia diuino ſpiritu afflata, quæ vtrumque non ſanctorum ſolum,

sed Doctorum Ecclesiæ clarissimorum honore colit ac veneratur.

Epilogus.

QVamobrem si ab ineunte pueritiâ, in extremum vsque vitæ spiritum, patriâ, generis nobilitate, studijs, moribus, vitæ sanctitate, honorum dignitate tantopere coniunguntur, digni sunt profecto, qui pari ornamentorum prædicatione celebrentur, & ad imitandum tanquam duo paria literarum & virtutis exempla generi Christianorum exercitatione præsenti proponantur.

Comparatio Complutensis Academiæ cum Salmaticensi.

Proœmium.

INcurrerem in ingrati animi labem P. G. si de Complutensi, Salmanticensique Academiâ, parentibus olim honoratissimis, mihique propter indulgentiam iam pridem præstitam amantissimis, non aliquid litteris mandarem; vt si non parem gratiam referrem, gratem saltem animi voluntatem declararem pro meritis vtriusque magnis in nos cæterosque suos alumnos extantibus. Illa enim me puerum & Rhetoricæ nauantem operam litteris Latinis & Græcis, altera iuris vtriusque peritiâ iuuenem, & altius ascendentem suo sinu gremioq; complectens instituxit. Quod si in agendis gratijs, commemorandisque eorum, qui de nobis bene meriti sunt beneficijs gratissimo sermone vti semper debemus, cùm desint opes, & facultates, quibus satisfacere grati, memoresque valeamus, in parentes saltem gratiores esse debebimus, & magis alacres, & erecti ad illorum memoriam posteritati commendandam excitari: cùm præsertim hæc facultas, quæcunque in nobis extiterit, suorum Doctorum hortatu præceptisque ad omnem humanitatem informata fuerit, & autoribus iuris Pontificij, & Cæsarei disciplinis instructa. Quod si quis in hoc statu, hac Religiosi viri disciplinâ leges & iura parum nobis prodesse arbitrabitur ad hanc, quam profitentur artis Rhetoricæ facultatem exercendam, vehem[illegible] errat: quod ad Ciceronis o-

rationes

rationes integrè perfecteque auditoribus explanandas, multum Pontificum & Iurisconsultorum sanctiones valent. Neque in Cicerone explicando versari potest cum laude nescius iudiciorum, quæ quondam Iurisconsultorum nostrorum officio fungentes exercebant oratores. Quod si non hi fructus, ex vtroque iure perciperentur, tamen ad excipiendas confessiones, ad quæstiones conscientiæ soluendas, explicandosque incidentium passim difficultatum laqueos, quantum vtilitatis afferant acturis consiliorum responsa, nemo sanæ mentis ignorabit.

A conditore.

CVm autem academiæ primum commendari soleant, quemadmodum vrbes à conditoribus, Complutensem & Salmanticensem reddunt celebrem & illustrem conditores: qui quanquam dissimili statu & fortunâ fuerunt, tamen vterque sui nominis gloria vtramque academiam commendare potuit immortalitati. Complutensem enim Academiam Franciscus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis amplissimus magnis sumptibus condidit. Ad cuius dignitatem illustrandam nisi Romani Pontificis decus illustre, nullum desiderari poterat ornamentum illustrius. Ad hanc enim proximè dignitatem augustissimam celsissimamque Cardinalis honore præcellentissimo vir præditus accedebat Salmanticensem condiderunt Reges Hispani, primùm Palentiæ, quæ vrbs bonis litteris percipiendis apta, & à vitiis & illecebris, quibus capi iuuentus plerumque solet, procul aliena erat: deinde progrediente tempore Salmanticam posteri transtulerunt. Et quanquam Reges & claritate nominis, & celsitate Regiæ potestatis, & gazâ & opibus superbissimis reliquis Principibus huiusce sæculi præstent, atque suâ auctoritate magnopere fulciant statuta monimenta liberalitatis ad posteritatis memoriam sempiternam, quod Reges harum solent esse Mæcenates & patroni Academiarum: tamen cum Regum quoque Hispaniæ potentissimorum, & maximorum sapientiæ Mæcenatum patrocinio & auctoritate fulciatur, Complutensis Academia non parum illa videbitur auctoritatis apud omnes sibi gentes conciliasse. Quid quod Cardinalis iste clarissimus eadem Regiæ dignitatis gloriâ viguit in Hispania, Proregis nomen & honorem excelsum Regibus illâ tempestate absen-

tibus adeptus : sed quanquam in hoc honore & sede potentissimâ non esset collocatus, quidquid potentiæ ab illo, quod Regiâ dignitate fuisset inferius, aberat, suis maximis, clarissimisque supplere potuisset ornamentis. Quem enim Pontificem in Hispaniâ, quem Cardinalem tanta sanctitatis magnitudine fuisse præditum aut audiuimus, aut legimus vnquam? qui tanto Religionis studio flagrauit, & veræ perfectionis sanctorum adipiscendæ insatiabili cupiditate, vt cum ad purpuram & galerum prouectus fuisset, vilissimo tamen sacco, & crasso vteretur cucullo, cum mollibus vti potuisset culcitris, & pluma tenuissima refertissimis, & conchyliatis ad maiestatem purpurati Patris ostentandam, peristromatis lectum mollissimè stratum ornare, palmitum fasciculis corpus affligebat, vexabatque nocturnis temporibus, & in illis suauius iucundiusque, carnem reprimens ac coercens, somnum capiebat, quàm in tenuissima mollissimaque syndone : cum more multorum Principum opulentissimorum & Cardinalium præcellentissimorum epulis exquisitis, & acerrima conditionum varietate apparatissimis mensas extruere potuisset, semper modicis escis, & vulgaribus, parco ac tenui victu contentus vescebatur. Quanto paupertatis studio flagrauit, qui gregem famulorum præeuntium & consequentium numerosum aspernabatur, quibus vtuntur Principes ad iactationem & magnificentiam suæ dignitatis ? qui tot ordines & gradus officijs dissimilibus fungentium seruorum, & operas principibus, à cubiculo, à secretis, à poculis, à manibus præstantium repudiauit ? qui structores, prægustatoresque & ratiocinatores, & satellitium astantium, & comitantium veræ paupertatis consectandæ amore contempsit? Quos autem sumptus in his rebus inanissimis facturus erat, in opere diuini obsequij, summæque sanctitatis contulit. Ita quidem ab illo plurima sacrarum Virginum, & Religiosorum Patrum extructa cœnobia, & reditibus amplissimis locupletata fuerunt. Multæ Virgines in matrimonium collocatæ, multæ altæ sustentataque liberalissimè, omnis generis hominum inopia laborantium subleuatæ miseriæ, denique bonarum artium & disciplinarum officina, toto orbe terrarum celebrata, Complutensis academia magnis sumptibus ædificata fuit. At ne quis falsò existimet ad sacrarum familiarum cœtus dumtaxat, & ad aras & ad sacrificia Religionis principem hunc diuino beneficio Reipubl. Christianæ datum fuisse, quis Proregis munere & dignitate celsissima functum

fuisse

fuisse Cardinalem Ximenium accepit, qui non legerit, eundem Hispanarum gubernacula tractasse? Quis non audiuit etiam, eundem temporibus illis grauissimis omnia pacasse, constituisseque regna gubernandi nunquam ante illum diem arte perspecta mirabili? An fortasse putamus Madauram arcem munitissimam in Africæ littoribus & confinio iacentem capiendam esse nisi tanti principis solertia, sanctitateque? quo robore ac magnitudine animi? quo consilio? qua virtute visus fuit? in Maurorum conspectum veniens, cùm primum adortus fuit arcem, deinde cepit fœcundissima fortuna, partim fusis fugatisque millibus infinitis Barbarorum, qui ad defendendam arcem confluxerant, partim cæsis, partim in ditionem acceptis? Quod si non iste tantus tamque præcellens Princeps Regia conditoris maiestate vigebat, viguit in Regis locum Hispaniarum suffectus, & vt Salmanticensis Academia, iactabit Complutensis etiam in Cardinali Regios titulos, & insignia, augustissimam celsissimamque maiestatem, atque hanc, quod præcipuum est omnibus virtutis, & sanctitatis ornamentis condecoratam, vt minimè Salmaticensi tot humanorum & diuinorum sui conditoris luminum fulgore collucens cedere debeat Complutensis Academia.

Ab obseruata temporis & loci opportunitate.

QVibus autem locis ambæ conditæ fuerunt Academiæ? vna Compluti, quod oppidum est Castellæ nouæ; altera Salmanticæ, quæ ciuitas est vetus, vt in vtroque Regno duæ essent bonarum artium & disciplinarum officinæ domiciliaque clarissima, ad quæ ex omnibus populis, & vrbibus confluerent adolescentes boni literis ac disciplinis imbuendi, nec ab studiis auocarentur aliqui longinquitate locorum, quique tenui fortuna prædíti magnos sumptus facere non possent. Vtrumq; oppidum si non celebritate sua notum esset, & commendatũ satis, academiæ tamen amplitudine sua præstanti nomẽ ad extremos terrarum fines detulisset. Vtrumq; etiam & situ loci, & temperie cœli, & rusticationũ amœnitate, & vbertate, & in magna semper vilitate pretij, abundat iis omnibus, quæ ad hominũ victum sunt necessaria: sic autẽ vtrumq; commoditates habet, & opportunitates maximas ad rem litterariam percipiendam alacriterq; colen-

colendam, vt nullis redundet deliciis & lenocinijs, quibus capi potest iuuentus & à labore ad otium, ab honestate ad turpitudinem, a virtutibus ad vitia facilè abstraheretur. Vtraque autem Academia eò potissimum tempore condita fuit, cùm hostes fidei in Rempub. Christianam insultare videbantur, & errore suos per omnes gentes ac nationes spargere ac disseminare latissimè. Cùm indigebat mater Ecclesia litteratorum auxiliis, & Doctorum hominum subsidiis ad dignitatem suam defendendam, & ad hostium tela acerrimâ contentione perfringenda. Cum noua quotidie monstra nasci viderentur, & in magno timore boni Christiani essent, prodituros, & ex latebris suis erupturos esse plures, nisi qui eorum audaciæ resisterent, & tuerentur veritatem, Doctores essent sapientissimi, omnibus diuinæ sapientiæ laudibus instructi. Ita factum est, vt ex duabus Academiis tanquam in colonias missi fuerint per omne tempus, ab initio, & fundamentis suis iactis in omnia terrarum regna veritatis acerrimi defensores, & depulsores hæreseos teterrimæ ad matris Ecclesiæ tuendam, ornandamque dignitatem.

Ab Artium & Disciplinarum studijs.

QVæ autem literarum studia? quæ artium ac bonarum scientiarum genera? quæ denique doctrinarum, & disciplinarum maximarum fastigia desiderabuntur, quæ Compluti, quæ Salmanticæ literarum studiosi discere, & accuratè percipere non valeant Adolescentes? An Philosophiæ, an Medicinæ, an Iuris vtriusque Pontificij, Cæsareique? an postremò sactæ cœlestisque Theologiæ? His in Academijs omnes artes disciplinæque tractantur suis in gymnasiis, suis statutis horis, auditorum maximo numero incredibilique multitudine confluente. Vnde tanquam ex equo Troiano, magni Dialectici, Oratores absoluti, Philosophi præstantes, Medici insignes, singulares Iurisconsulti, & Theologi consummati ad ornandam augendamque Rempublicam Christianam prodierunt. Quis enim locus? quæ ora? quis angulus, quæ Regum consilia? quæ nostræ Religionis Ecclesiæ? quæ Præfecturæ? quæ Pontificum sedes celsissimæ, Doctoribus Complutensibus, aut Salmanticensibus vacuæ vnquam fuerunt? si Apollonius viueret, si Archytas Tarentinus, si Plato, si Pythagoras, si reliqui Philosophi præstantissimi in sæcula tantarum acade-

academiarum felicissima incidissent, tæderet eos profectò suarum academiarum, tæderet eorum, in quibus antea acquiescebant musarum, præ Complutensis, præ Salmaticensis, præ vtriusque academiæ summâ præstantissimaque dignitate.

A Collegijs.

AVgent Academiarum gloriam collegia plurima, in quæ alumni singularium artium, & disciplinarum cooptantur. Dicatum enim est Compluti singulis artibus & disciplinis suum Collegium præstans & insigne, suis redditibus fundatum, & præclarè constitutum ad eos alendos adolescentes, qui rei familiaris angustiis oppressi, nisi conditorum liberalitate alerentur patriis sedibus se continerent in inopiâ & egestate sua, neque quam ingeniorum vim & acumen ab immortali Deo acceperant, in Reipubl. commodum vtilitatemque conferrent. Et quanquam numero collegiorum Complutensi præstet Salmaticensis academia, tamen non est mirandum, quod non Conditores academiæ, sed diuersarum Ecclesiarum Pontifices ad hæc Collegia fundanda suos animos appulerit. Neque verò tam æquabiliter conuenire possunt, & congruere tam mirificè, vt in aliquo rerum genere non vna superetur altera propter plurimorum Principum studia & opes ad augendam amplificandamq; Salmanticensem academiam collata. Quanquam, nescio quomodo iam ad æquandam magnificentiam Complutensis academia videtur aspirare multis iam diuersorum Principum Collegiis adiunctis ad veterum, plurimorumque in dies rationem augendam, expectatione & spe, non frustra, vt res ipsæ testari Complutensibus visæ sunt, iniecta. Quòd verò ad academiam constituendam spectat, similimæ propè sunt, & vt videmus, nomine, reque congruunt, ac mirifica agnatione continentur.

Obiectio.

AT locupletior & opulentior est Salmanticensis Academia, redditibus magis aucta, magisque amplificata: nec nego, sed cum ea terrarum loca sumptus maiores deposcant, quod accedit, & additur ad præceptorum stipendia, spectatis sumptibus & auctoritate, quam Doctores sustinen,

non

non habet magnum pondus & momentum ad Complutensis academiæ minimam imminutionem ; cum præsertim Compluti vilius emantur res, & non eo famulorum, & puerorum comitatu multo, Doctores prodeant in publicum propter loci mores vsitatos. Adde ferè omnes Doctores sacræ Theologiæ, cum cathedram consequuti sunt, ita cæteris antiquitate præstare, vt multi ad Pastoris Martyrum clarissimorum sacerdotijs obtentis Ecclesiam aditum habeant. Quod igitur ex cathedrâ minus stipendij soluitur, id ex sacerdotijs redditibus accrescit: vt propè pares pecuniarum numero genus Doctorum vtrumque censeantur. Quid quod plures cuiuscunque artis ac disciplinæ Compluti lauream accipiunt, inde maius lucrum, vberior quæstus accedit?

Altera Obiectio.

AT etiam Iuris Cæsarei facultate scientiaque excellunt Salmanticenses, à cuius cathedris fundandis abhorruit semper Cardinalis Ximenius. Non id negamus, si cunabula prima vagientis academiæ Complutensis memoriâ repetamus: cum decretis & sanctionibus eam prælegi facultatem, & explicari fundator ipse prohibuerit à litibus procul, & iurgijs alienus, & animorum saluti duntaxat, & Religionis amplificationi studens: sed iuris vtriusque sunt Compluti iam Præceptores insignes, & vtrumque studium, Salmanticam minimè contendentes, adolescentes consequentur, & tenebunt optimè propter cathedrarum accessionem factam, & stipendia satis opima legum interpretibus & maximis præceptoribus constituta.

Comparatio, & Epilogus.

QVare taceant Athenæ illæ bonarum artium inuentrices: taceat Alexandrina academia: taceat illa vetus Italia plena quondam bonarum artium & litterarum, quorum propter studiorum frequentiam celebritatemque magnæ Græciæ nomine cohonestata florebat. Taceant ferè omnes orbis terrarum academiæ, vbicunque fundata fuerint ac conditæ, quæ cum his duabus orbis gentium florentissimis litterarum emporiis, neque de Doctorum præstantiâ, neque de variâ multiplicique litterarum scientiâ, neque de rectâ iuuentutis institutione, neque

que de ingeniorum acumine, neque de concursu frequentiaque alumnorum, neque de fructibus Christianæ Religioni allatis, neque de nominis immortalis gloria, vllo vnquam tempore, in contentionem diminutionemque descendent.

Comparatio demissionis cum Patientiâ.

NOn est in animo sic de patientia, demissioneque, duabus maximis virtutibus dicere, vt vnam alteri præponam: quod virtutes omnes, cœlestes sunt atque diuinæ, & ita copulatæ, & inter se connexæ, vt aliarum aliæ participes sint: sed ita in hac duarum virtutum laude versabor, vt quanta sint similitudine coniunctæ videamus, vnius & alterius ornamenta breuissimè conferentes. Nam si auctorem habet vtraque virtus, & principium suæ dignitatis Deum optimum ac maximum, qui Filium suum præceptorem & magistrum virtutum maximarum in hæc terrarum sola misit, quid vtraque virtute cœlestius? quid illustrius, quæ suam ab immortali Deo traxit originem & primordia diuina? Si Philosophiam de cœlo vocatam à Socrate (quod olim sibi persuaserunt homines rudes, & ignari totius humanitatis) tanto in pretio & æstimatione tanquam disciplinam ad hominum vitam rectè constituendam plurimum valentem habuerunt antiqui, quibus laudibus afficiemus? quibus honoribus prosequemur? qua tandem religione virtutem vtramque ducem & Principem perfectionis adipiscendæ à Deo diuinitus hominum generi demonstratam complectemur? Ceciderat Lucifer ille ex altissimo dignitatis gradu in obscuram sempiternæ noctis regionem, temeritatis & insolentiæ superbissimæ tumore elatus, dum honores diuinos, & cultum & Religionem numini sempiterno debitam sibi audacter præripiebat & impudenter, & ad omnem iactationem & ostentationem genus hominum incitabat arrogans & nefarius. Idem nequissimus spiritus dux discordiarum, & seditionum omnium, omnibus iracundiæ facibus inflammabat hominum animos, & ardentioribus magis furoribus ad bella suscipienda, & ad strages & ruinas miserabiles edendas, ad iniurias omnes grauiter vlciscendas cæcos ac præcipites ruere faciebat, in animorum exitium ac pestem vltimam. Missus fuit è cœlorum sedibus Filius Patris æterni,

qui

qui demissionem mortales cunctos doceret ac patientiam, duplicem viam rectam & expeditam ad cœlestis aulæ patriam æternam ducentem, qui vnam ab altera pendere, summus cælestisque Magister demonstrauit & vinculo societatis mirabili deuinctam constrictamque, cum per omne suæ vitæ curriculum vna semper exercuerit, & in suis sanctissimis actionibus simul collucentes ostenderit, vt nunquam disiunctæ separataque viderentur ambæ, spectaculum semper suæ magnitudinis & præstantiæ præbentes mirificum & insigne mortalibus. Vna quidem è patria cœlesti prolatæ diuina claritate splenduerunt, splendebuntque semper, & vt nihil humanum ac terrestre appetamus, sed diuinum ac cæleste demonstrabunt, & vt omnes fortunæ vicissitudines, & tragicos exitus fortiter & constanter toleremus: in quarum rerum vtroque genere inest demissio, ac patientia. Quoniam patria, & auctore, qui Deus est immortalis conueniunt, quò nos deducent vtriusque res præclarè gestæ, operæ pretium est animaduertamus. Ac nobis veniat in mentem, non horum, quos cernimus orbium cœlestium tanto fulgore collucentium, non ipsius infimi Lunæ globi, splendidissimique Solis cunctorum astrorum splendorem sua immensa claritate totos dies obscurantis, sed illius Empyrei, illius Beatorum domicilij, & sedis sanctissimæ Triados aulæ celsissimæ, quæ tum auro strata est purissimo, & ex auro splendidissimo mœnibus auri fulgore collucentibus circumdata: cuius portæ singulæ ex singulis margaritis fulgentissimis factæ splendent Agni immortalis luce collustrata: vbi nulla noctis obscuritas, nullæ tenebræ, nulla caligo interuenire potest, sed perpetua semper temperatione regio viget, & vere amœnissimo iucundissimoque floret ac nitet, & auræ suauissimè flantis mirifica lenitate recreatur. Ab hac procul membrorum omnis generis non lues solum, sed tentationes absunt: nec mali quidquam esse potest. Quid famem, quid pestilentiam, quid occasus & interitus nominem? nullius cuiusque mali minima species, nec admbratio metuetur vnquam. Quamobrem nulla mœroris est, nulla perturbationis causa, sed studiis semper & immensis sempiternisque lætitiis Beati ciues perfunduntur, nullius rei indigentes, redundantes autem omnibus veris ac solidis bonorum cœlestium generibus in Dei sempiterni oculis & ore conquiescunt tanti numinis maiestate, incredibili ac diuina lætitiæ voluptate perfruentes, iisque sunt honoribus ornati, qui verè honorum nominibus digni sunt: Atque hæc gaudia capient,

pient, hos honores obtinebunt in omnem sæculorum æternitatem. Quod de patria superborum & iracundorum hominum dici nulla ratione potest, cùm malis omnibus, & æternis suppliciorum generibus omnes improbi, in tenebris semper iacentes & conflictentur & conflictabantur in perpetuum. Quod si patriam suam hoc sæculum, dum superstites sunt, homines ærumnosi ducunt, quid indignius hominis præstantia, quam animos ad cœli gloriam immortalem natos abiicere turpiter ac prosternere ritu pecudum intemperatissimarum ad res duntaxat præsentes, fluxas & citò perituras? Vide igitur qui demissionis amans, qui patientiæ studiosus esse velis, quid interfit inter harum virtutum, & vitiorum virtuti aduersariorum patriam. Iam verò cum de auctore demissionis & patientiæ, id est, de Deo optimo maximo, de præceptore totius absolutionis Christo Iesu constet, quid ad harum virtutum dignitatem illustrandam clarius esse potest? si tamen magnitudinem demissionis, si patientiæ præstantiam attentè considerare voluerint, quid humilitate, quid patientia sublimius reperiretur? Equidem cum sese demittentem hominem, & patienter iniurias tolerantem videat, inscius veritatis, hanc nimis fracto & angusto animo putat esse, qui se non vlciscatur, iniurias non vindicet, non spiritus insolentes, & inimicorum feritati parem feritatem non opponat. Quasi vero quidquam paruum, aut humile sit ducendum, si ad alterius exiguitatem & humilitatem comparatum sit, & cum collem editum & excelsum videmus ad montes altissimos & cæli prope ipsius æmulos spectantem, non humilem ac demissum agnoscamus. Cum igitur omne id quod magnum dicitur, è magnitudinis contentione petendum sit, quis dubitabit demissionis appetentes, qui ad cœlestem & immortalem gloriam properant, multo clariorem dignitatem & illustriorem consequutos fuisse, quam illos, qui leuem & inanem sæculi vmbram & imaginem consectari non desinent, & cœlitum splendorem, & illustre decus appetere nolint, & ad illud omnes corporis & animi neruos intendere, exempla sibi in omni genere eorum proponentes illustria? Qui insolentes & superbi sunt, nesciunt oculos ex infimis rebus attollere, & ad Beatorum amplos & excelsos gradus animorum aspectum referre, tanquam rustici quidam & agrestes, qui in oppidulo humili & obscuro nati illorum facile principes locorum inolescunt: Qui vbi primum Hispalim, aut in aliam ciuitatem ampliſſimam &

ornatissimam veniunt, & in his oppidis florentissimis virorum splendorem, & ciuium diuitias, & multorum Principum magnificentiam vident, seipsos temeritatis & insaniæ protinus arguunt, qui nec cum mediocri dignitate præditis hominibus se comparandos esse cernunt, & intolerandos illos spiritus, quos insolentiâ temerariâ extulerant, deponunt, & abiiciunt sine cunctatione. Quòd quidem in omni genere rerum cernere licet. Etenim quis est Philosophus paulò tantior, qui se, cum Platonem, aut Aristotelem, considerauerit, non protinus abiiciat? Quem Imperatorem ob rerum præclarè gestarum gloriam insignem non deterrebit ad Alexandri fortitudinem in orbe terrarum capiundo felicitere adiuncta fortuna? aut cuius Regis imperium, cum longè lateque ad vltimos terræ fines Romanorum spectante ditione potentissimâ conferre quisquam audebit? idem vt per omnia pares sint generatim & speciatim demissio, patientiaque, virtutes clarissimæ, de patientiæ laude dictum putate. Cuius Alumnos neque multitudo magnitudoque tormentorum, neque diuturnitas carceris, neque squalor & sordes, neque fames & sitis, neque bonorum spoliatio, neque cunctorum tyrannorum exquisita supplicia ab officii laude clarissima auocare potuerunt. Nam cum altiora mentis oculis complectantur, & illos clarior & illustrior honoris pulchritudo maneat, cruciatus omnes tyrannorum perferentes, nihil formidant in carcerem conici, in squalore ac sordibus iacere, corpori catenas iniici, in equuleo torqueri, candentes laminas admoueri, capitis damnati, raptari ad equorum caudas alligatos, & vitam incendio, cruce, & omni crudelitate tormentorum adimi, cùm nihil sit honorificentius, neque illustrius, quàm omnes pro Religione, pro Christi Iesu gloria subire suppliciorum acerbitates. Si corpus deformetur, & excrucietur variis tormentorum generibus, in altero cœlestis vitæ sæculo pulchritudine immortalitatis decorabitur, & vita nullis sæculorum finibus terminanda succeder, Beatorum Principum semper fœlicitate, semper cælitum sempiternâ gloriâ, & honoribus etiam nunquam perituris cumulanda. Sunt enim patientes (quemadmodum & demissionis alumni) magnâ Dei cognitione præditi, altius illorum animi extollu[illegible]tur contemnentes sui corporis, vitæ, capitis pericula, ad summam beatorum dignitatem, & ad Martyrum gloriam, & splendorem comparantes sese, & ob eos, quos perferunt supplitiorum etiam inauditos cruciatus, facibus flagrantes ardenti-

bus

bus incredibiliter efferuntur, neque conquiescere possunt tantæ dignitatis cupiditate succensi. Et quidem quemadmodum Magnates huiusce sæculi suis insignibus aurei velleris reliqui generis mortalibus excellunt, ita tanto interuallo præeunt patientiæ, demissionisque ornamentis affecti cœlites, vt suis honoribus & dignitatibus amplissimis illustrati, quamcunque non humanæ fortunæ solum, sed istius, quem aspicimus, solis astrorum principis claritatem obscurent. Quid enim interest inter Ermenegildum quondam Regem, & modo Martyrem inuictissimum? quid inter reliquos cuiuscunque dignitatis humanæ splendore claros, & inter illos minimos aulæ cœlestis Heroas, patientiæ luminibus fulgentes? Nullius est tantum flumen ingenii, nulla tanta orationis; scribendique vis, quæ non dicam ornare minimam tantæ dignitatis partem, sed neque adumbrare vlla ratione possit. Quod si ex sanctorum splendore dignitas vtriusque virtutis agnoscitur, quæ & quanta sunt Diuorum patientiâ, demissioneque æquabiliter præditorum exempla? quis vnquam ex flore Beatorum, non vtriusque virtutis immortali laude viguit? quis meritis vtriusque laudis illustribus non redundauit? Laudas patientiam B. Francisci in corporis pœnis perferendis acerbissimis, in conflictandâ carne; in domandis cupiditatibus, in faciendis itineribus æstate, hyemeque pedibus, in condonandis denique iniuriis, & tolerandis animi incredibili voluptate: recordare precor eiusdem quoque sanctissimi viri demissionem, à quo cognomenti consequutus fuit insigne, propter altas, quas in tantâ virtute radices egerat: recordare mirificam speciem clarissimæ sedis, socii sui animo diuinitus obiectam, qui mentis oculis cernere visus est subsellium cælesti claritate circumfusum, & in altissimo cœlesti aulæ loco collocatum supra plurimos diuinorum spirituum gradus clarissimos, & admiratus splendorem & claritatem aspecti subsellii magis mirari visus fuit, & cælesti voluptate perfundi, simul atque accepit, Francisco, tantum, tamque sublime subsellium propter illius admirandam diuinamque demissionem comparatum. Id temporis adit ad Franciscum socius percontari incipit parentem de opinione, quam de se haberet, & nihil de visione præsenti loquitur, nec minimum significat, cuius rei potissimum causa veniisset, sed tanquam parentem rogare audet: Cui cum Franciscus respondisset, & summa fuisset responsi, vt nihil Francisco submissius esse, nihil ad illius demissionem addi

posse videretur. (Nam infra omnes homines, infra latrones grassatoresque viarum, infra homicidas, infra quodcunque sceleratorum hominum genus se posuisset, & omnium se pessimum constituisset,) comes responso sanctissimi Patris obstupuit, & cum obiiceret fore, vt istud credibile fieret nemini, addidit verus sui ipsius contemptor Franciscus causam, quo fidem faceret veri sciendi cupidissimo: Quia si in supra nominatis hominibus, quæ in me innumerabilia constant, Dei beneficia constitissent, magis illi profecto grati, magis sine dubitatione memores Beneficiorum fuissent acceptorum. Effertis etiam demissionem sanctissimi Regis Ludouici in Xenodochiis inuisendis, & in pauperum abluendis pedibus, in curandis tractandisque vtraque Regia manu vulneribus, & ad inopiam, & squalorem, ad pedorem horridorum hominum pedes abiicientis sese, & aureum diadema, purpuram fulgentem, Regiam maiestatem prosternentis: conplectimini quoque mentibus patientiam illam, qua tot fecit itinera, tot maria transmisit, tot loca peragrauit terrarum, tantam militum suorum immunitionem, tantam pestilentia crudelissime grassante stragem editam, & reliquas calamitates, & clades acceptas, ac mortem suam tam æquo ac verè Regio animo pertulit. Commemorarem aliorum exempla multorum Christi Iesu militum, qui qua patientia fuerunt, eadem demissionis eximia præstantique laude viguerunt. Sed vos ex Christo Iesu fonte perenni & inexhausto, vt aliarum virtutum omnium, ita dimissionis & patientiæ exempla maxima stupendaque petetis; qui in ipso ortu, adituque vitæ suæ tantopere demisit se ad humilem porticum & ad pecudum duarum præsepe Dominus terræ, cœlique potentissimus. Atque eodem tempore, quantam rerum inopiam, quas hyemales pruinas, niues, & cæteras iniurias perpetitur? Octaua postea lux est à natalitiis, & vsque eo se demisit, vt non hominis, sed infimi serui peccatorisque, cum summa virtus esset, & absoluta sanctimonia, fortunam suscipere non recusauerit, circumcisionis signo & stygmate in carne sua sanctissima seruilem in morem impresso. At in hoc demissionis facto pulcherrimo, quæ dat mansuetudinis inuictæ diuinæque patientiæ documenta? non caro sanctissima rescinditur gladio sacerdotis? non altè acie gladii carnem penetrante discindenteque signum imprimitur? non sanguine multo abscissæ corporis partes profluunt? non puer Iesu [illegible] issimum? non perfert crucia-

tus

tus acerbissimos? Quid dicam de illâ eiusdem Domini demissione, patientiaque mirabili? cum tollitur in crucem in vrbe maximâ celeberrimaque, tanto concursu virorum ac mulierum, & inter duos interiectus latrones, & nudus & spoliatus vestibus, & probris, & conuicijs afficitur, vexatur, & laceratur, pendens ex arbore, ligno que sublato? An patientiæ laus non eminet, cum in crucem tollitur, & manus pedesque traiiciuntur dititate clauorum? cum membra corporis disrumpuntur, dilaniaturque adhibitâ vi, tensisque tanta inimicorum contentione brachijs, cum fel aceto permixtum omnium rerum Creatori bibendum tanta crudelitate porrigitur? Quid cùm idem Dominus Matrem Ioanni, Ioannem matri commendauit, cùm matrem relictam, discipulos desertos ac dissipatos, & inimicorum iniquitate latentes & abditos in latebris recordatur? Gradus eosdem, & pares profecto hæ duæ clarissimæ virtutes facere visæ sunt, & cum auctore & præceptore Christo Iesu, cum patria cœlesti, cum exemplis illustribus & honorificis dignitatem suam eadem propè æquabilitate demonstrare. Quod si paribus res suas vtilitatibus & emolumentis metiamur, quanta eædem virtutes æquabilitate ferantur, nemo non videbit, nam imprimis in suæ naturæ conditionem intuentes ambo, patientiæ, demissionisque studiosi, clariorem & illustriorem eam efficere conantur. Abiicere se non desistit demissionis amans, & patientiæ cupidus offerre se ipsum in apertum quodcunque periculum: cum demittens se se nouerit naturam suam ex limo & argilla factam, & in cinerem redigendam citius, aut serius, patefacere sibi modis omnibus studet viam, vt cælitum dignitatem, & immortalitatem consequatur. In qua etiam cogitatione versatur patientiæ cupidus: videt enim exiguum esse vitæ curriculum, & breuibus terminis circunscriptum: istud autem, quidquid reliquum est vitæ, innumeris telis fortunæ expositum, vt nihil sit hominis natura imbecillius, quæ vitro ipso fragilior, cum magis valere visa est, è medio mille casibus, & paruis sæpè offensionibus auferetur. Quid ni ergo agam, inquit ille, de vita diuturniore, æquandaque cum immortalitate sæculorum omnium, paucis sæpe toleratis cruciatibus, & in rebus aduersis retento robore ac magnitudine animi? Cum præsertim tàm bene adhuc sperata Beatorum immortalitate mecum agatur, qui liberet ex malis plurimis & miseriis istius vitæ, qui ex fortunæ acerbitatibus infinitis eripiat, & in beatorum felices, & æter-

nis bonis & gaudijs redundantes sedes æternas immigrem? Quid me efferam, clamat humilis, cum homo cum vento ipso, cum fumo, inanissima huiusce sæculi gloria conferatur? Quid honores & dignitates appetam breui perituras, passimque ruinis grauissimis expositas? Illi me delectant honores, illæque cœlestis aulæ immortalibus ornamentis illustratæ dignitates sempiternæ. Patientiæ Christianæ rigidus ac seuerus cultor in eundem modum quoscunque honorum gradus Principes & Reges huiusce sæculi pollicentur ac deferunt, aspernatur & abiicit, verissimorum & solidorum Dei immortalis honorum infinitâ cupiditate flagrans. Quemadmodum igitur ille vestitus sericos, cultum corporis pretiosum, amplissimas ædes, palatia ebore & auro obducta, gregem famulorum præeuntium & sequentium, titulos omnes, & insignia honoris humani; pro celsioribus honorum gradibus contemnit, & incredibili animi magnitudine repudiat; ita patientiæ laude commendatus, dum offeruntur ei voluptates, & iucunditates huiusce sæculi, studia summorum Principum, & gratia Regum clarissimorum, salus & incolumitas cum diuitijs & opibus, cum accessione fortunæ, & amplificatione status floentissimi, omnia hæc alacritate summâ despicit, & corpus in medias flammas, in gladios dist ictos, & in securim intentam, in omnes tyrannorum cruciatus obiicit & opponit: & nihil sibi iucundius videri potest, quàm morte sua repræsentari sibi dignitatem Ecclesiæ, gloriam & decus immortale Christi Iesu. Sed quid non agent? quid non contendent demissione patientiaque præstanti præcellentes viri, qui ijs virtutibus cumularunt & auxerunt maximas diuinæ virtutis opes, & thesauros absolutæ sanctitatis infinitos? Nescio enim quomodo Deus ipse, de cœlorum sedibus altissimis benigunioribus amoris & indulgentiæ paternæ oculis vtrumque genus hominum tolerantium omnia, seque studiose demittentium aspicit, vt eisdem semper adesse, eorundem animos locupletare, cum eisdem oblectare sese, & tanquam in cœlestium deliciarum viridarijs iucundissimis versari, floresque & suauitates innumerabilium ornamentorum adamare, tantam vim & magnitudinem odoris diuini percipere, & eam præsentia sui numinis nouis in dies, & maioribus incrementis cumulare non desistat. Nunc si non aliud attulero, nisi virginis exemplum Mariæ, eo contenti precor estote: Neque enim plura datur nobis afferendi facultas propter temporis angustias, & immen-

immensum rerum pelagus, quo obruemur, nisi de industria præciderentur, quæ properantis orationis cursum sua multitudine retardarent. Nam quæ ex omni cœlitum flore, omni genere virtutum virgine Maria præstantior? in quam potissimum Deus immortalis ab infinita sæculorum omnium æternitate ad Filij sedem & tabernaculum deligendum oculos coniecit. Quam virginem integerrimam Filij matrem, parentem generis humani, præsidium & anchoram nostratum rerum, lanuam gloriæ cœlestis appellamus, & prædicamus, pro suis maximis & singularibus meritis, summo studio, ac religione tantæ Beatorum Reginæ flagrantes. At virginem hanc ad tantæ sanctitatis laudem, ad tantam Matris Dei sempiterni gloriam ostendendam, nonne demissionis præcipuè laude mirandam, præ cæteris ex infinita muliebris cœtus suauitate, virginibus delegit? At hanc eandem, quemadmodum omni patientiæ studio exercitam, ita animi robore, ac magnitudine mirifica præditam, à summisque laudibus & ornamentis cumulatam, ab illo potissimum tempore, cum gladium suppliciorum, & cruciatuum cunctorum Symeon sanctissimæ Virgini prædixit, accepimus & legimus. Gloria Bearis Martyribus & demissionis honore præstantibus, & gradus amplissimi inter alios Heroas & magnates cœlestes præcipui & singulares præstituti, declarant vtriusque virtutis & æqualem dignitatis sedem, & decus immortale consequutum. Considerate, quo euecti fuerint, ad quem locum cœli sublimem ascenderint, quod fastigium & sublime culmen obtinuerint, qui à nobis commemorati sunt oratione præsenti sancti, sanctæque omnes. Et cum B. Francisci sedem altissimam, cum Regis sanctissimi Ludouici gloriam excelsam, cum aliorum patientia & demissione florentium gradus celsissimos cogitaueritis, cum virginem Mariam, cœlorum Reginam & Imperatricem diuinorum spirituũ, cum Christum Iesum propinquum solio sanctissimæ Triados, & in illis sedibus, diuinisque domicilijs supra sanctorum omnium cœtus demissionis & patientiæ suæ insignia longè lateque collucentia, & harum virtutum titulis & stemmatibus decoratum, eundem Filium Patris æterni contemplati fueritis, vtriusque, mihi credite, virtutis studio insatiabilique cupiditate flagrabitis, & quæ à nobis prædicta sunt, de tantarum virtutum æquabilitate planè fraterna in animo condenda potissimùm & præclaris actionibus comparanda constituetis: vt quam patientiæ demissionisque laudi-

bus ornati cœlestes Heroes sedem sunt dignitatis amplissimam consequuti, eandem vos æmuli & imitatores egregij omni studio, labore, vigilantia, assiduitateque consequamini. Quod vt obtineatis, quemadmodum optimus quisque niti ac contendere debeat, præter laudes harum virtutum, quæ ad auctorem præcipuè, & ad patriam cœlestem, & ad vtilitates maximas & commoda vera ac solida, & ad incrementa plurima, progressionesque palam in diuinæ sanctitatis via aspectas, ad beatorum honores, & ad gloriam immortalem, tot sanctorum illustribus exemplis contentam pertinet, oblectate vos etiam, pascite sensus & animos vestros sanctissimæ crucis trophæis monumentisque cœlestibus, quæ sunt tantarum virtutum stemmata celsissima; & cum in Ecclesiæ celebriore parte, in templis, in aris, non modo in parietibus nostræ salutis trophæa, crucis scilicet monumenta videritis, & ex ipsa cruce pendentem Christum Iesum, summo studio ac religione à Christi cultoribus suspici suppliciter ac venerari. Cum eiusdem insignibus diademate Regum & tiara Pontificum Romanorum ornati, cum salutem, cum vitam nostram, cum gloriam, cum honorem & decus Christianorum crucem ipsam dici, & prædicari aspexeritis & audieritis, altius mentis oculos tollite, & lustrate sedes omnes, lustrate cœtus & ordines Beatorum, & ad Reginæ vsque cœlorum filijque cunctis aulæ cœlestis ordinibus magnificentissimè glorioſissimeque præsidentium, vtrumque insigne solium penetrate celeritate mentis incredibili, & quoties militantis & triumphantis Ecclesiæ sedes honorificentissimas peragraueritis, toties vobis patientiæ demissionisque trophæa non poterunt non occurrere monumentaque glorioſissima, vt illorum præsidiis, quasi pennis duabus elati in cœlestem Beatorum sedem læti, & exultantes euehamini.

Pugna Dauidis cum Goliath comparatur.

NVlla res est, quæ maiorem vim habeat ad hominum vitam rectè constituendam, ad eandem ab otio, vitiisque omnibus ad laboris & veræ laudis studium traducendam, quàm clarissimorum hominum, & eximia virtute præditorum exempla pulcherrima. Est enim exemplum viua quædam, & expressa recte factorum imago, & simulachrum illustre cunctis ad laudem aspirantibus propositum semper ad imitan-

imitandum, quo optimus quisque magis inflammatur, & sui sæpè prorsus immemor præstantia tantæ magnitudinis ad virtutis actiones præclarè suscipiendas excitatur. Quod si statuas fortissimorum Ducum, in celebrioribus olim & altioribus locis statutas esse veteres magni ad Reipub. amplificationem interesse putauerint, & illos potissimum, qui de patria bene meriti fuerunt, viuos sæpissimè, sæpius mortuos propter præclaram sui nominis memoriam posteris relictam commendabant: cur sanctissimorum Heroum, & illorum potissimùm, qui confectis huiusce militiæ stipendijs in beatam illam cœlestemque patriam ascenderunt in laudibus debitis ad recordationem illorum excitandam imitandamque factorum gloriam illustri testataque virtute celebratam iuuentuti non proponemus? Comprehendite animis, Auditores, factum Dauidis, victoriamque de Goliath immani, truculentoque Gygante reportatam. Ille superbissimus & insolentissimus Goliath præter cæteros exercitus sui milites audaces & insolentes tanta temeritate & furore mentis præceps ferre visus est in optimum quemque fortissimumque generis Iudæorum militem ac Ducem, vt nullo discrimine fortissimum ad præliandum audacter prouocauerit & insolenter. Ille erat corporis statura magna, alto corpore, lateribus vastissimis, mole planè gygantis horribili, cum gladio accinctus, cum hasta fulgentique mucrone cædem & internecionem omnibus minitans, lorica fortissima & latissima, & cæteris omnibus armis munitus & instructus, toto ore spumas agens, ex oculis, ex vultu flammas spirans, & ex imo pectore crudelitatem & feritatem anhelans ad præliandum audacissimum fortissimumque lacessebat Iudæorum. Illi, qui bestiam tam terram, tam horribilem, tam immanem non aspexerant vnquam, tremere, nec audere ad dimicandum prodire, fugere omnes, ac recusare certamen, & in ignominia & infamia versari, qui tantæ belluæ, qui se opponeret, & conatus & impetus sustineret, qui audaciam ferocitatemque eius frangeret, reperiebant neminem. Quid ageret Saul, qui summam imperij tenebat, qui Regni Iudeorum gubernacula tractabat? tantam inferri ignominiam sui generis hominibus, & populo Dei sempiterni tantis in delicijs habito, tantis honoribus affecto, tantis victoris, & victoriarum clarissimarum insignibus præcellenti, tantum probrum & dedecus inuri pateretur? O summam Dei immortalis laudem! O mirandam diuinorum consiliorum rationem! Quem minus putares,

tares, & parum ad arma tranctanda idoneum diceres, prorsus rei militaris inscientem, qui neque arma induerat, neque gladio se accinxerat, neque militum campos, neque acies instructas viderat, qui ruri semper egerat, & pascendis ouibus occupatus ad singulare certamen, dimicationemque iucundam, præter spem hominum & opinionem vltro offert sese, ac deuouet ad Regis voluntatem, vt prouinciam sibi demandet & deferat. Addit paratum se esse, in medium campum prodire, & cum teterrima bellua aperto Marte confligere, & quidem non gladio, non telis, non armis alijs militaribus, sed funda, lapide baculoque esse decertaturum sese, & superaturum sine dubitatione contemptorem generis sui, & honoris diuini pollicetur. Cernite igitur & oculos in medium campum conijcite, & Goliath, illis latentibus, illa magnitudine corporis, illa mole membrorum omnium, illa postremo superbia ferocitateque sua contemnentem Dauidem, & gloriantem in viribus, in fortitudine sua, & conijcientem probra multa in Dauidem, qui ausus fuisset periculosi certaminis partes suscipere corpore exiguo præditus, & contemnendus ad aspectum oculorum. Cum belluam Golioth aspexeritis, aspicite Dauidem etiam parua corporis statura præditum sine armis, sine gladio, sine telo procedentem in medium, nihil de se iactantem, Dei immortalis viribus nitentem non suis, & victoriam sperantem diuini numinis cœlesti virtute fretum. Oculi omnium in vtrumque coniecti erant, & pugnæ dubium euentum expectabant. Primùm Goliath irridere Dauidem, aduersari non pauci milites quasi puerum & nihil ad Goliath comparandum, simul aspernari: Iudæi rem omnem immortali Deo commendare, & ex illius diuino robore exitum fœliciſſimum sperare. Quid plura? summa cunctorum exspectatione concurritur, & vix Goliath ictum intendit, cum inanis excidit conatus, planè puncto temporis apparuerunt inanes risus, inanis iactatio & ostentatio superbissima, inanes motus corporis, inanes spes, & cogitationes, inanes postremo voces, quas effundebat: cum statim Dauid, vix lapidem iacere visus est in Dei immortalis nomine, cum saucius turpissimo letho cecidit Goliath resupinus, horrendo armorum strepentium sono, prodigiosa illa sui corporis gygantei mole, multum spatij terræ occupans. Accedere continuo Dauid incredibili animi magnitudine præditus, arrepto gygantis gladio, caput à cervicibus abscindere, Philistæi continuò terga vertere;

vertere; Iudæi conclamare victoriam, adoriri fortiter aduersarios, insequi celeritate magna fugientes inimicos, sparsos iam, & dissipatos, confusos & perturbatos vehementer, & spem salutis in incitata fuga ponentes, partim vulnerare, & à lateribus & à fronte cædere innumerabilem multitudinem, & stragem infinitam edere, necare denique ferè omnes, præter illos, qui potuerunt euadere pedum incitata celeritate. Conferte nunc vastitatem gygantis Goliath, cum exiguitate corporis Dauid, ferocitatem gygantis, cum mansuetudine pastoris, elationem illius, cum istius demissione, illius iactationem, cum istius in diuino numine collocata spe, gladium Gygantis, cum funda Dauidis, hastam cum baculo, arma denique cum lapidibus, galeam cum pileo segmentato, loricam cum pelle caprina, incitantis gygantis animum, cum pacato sedatoque Dauidis, impetum Goliath, cum Dauidis animo, illum victum, Dauidem victorem, exercitum Iudæorum insectantem copias Philistinorum, illorum fugam, cædem, & strages plurimas, cum addito Iudæis animo, cum perseuerantia persequendi copias Philistinorum, cum spolijs, & victoria reportata, denique causam aduersariorum victam, alteram integram ac florentem, & Dei numen & præsentiam ostentantem. Quod factum glorioſius reperiri potuit ad immortalis Dei gloriam prædicandam? in quo cum ageretur gloria tanti Domini, quam hostes imminuere conabantur & infringere; cùm ageretur decus illustre maiestatis eiusdem Dei sempiterni, quod superbissimi homines abijcere nitebantur & delere, per gygantem immanissimum insolentissimumque; cum denique dignitas ageretur tantæ celsitatis, multis antea victoriarum trophæis, immortalitate sæculorum omnium testata, quam ex hominum animis, ac memoria tollendam, & oblivione sempiterna obruendam hostes ijdem curabant, sic illam Deus ipse auxit & amplificauit, & posteritati commendandam vnius Dauidis facto pulcherrimo tradidit, vt non buccinarum clangore, non tympanorum sono, non vtriusque exercitus collatis signis, non viribus Martis infestis, sed vnius hominis manu, vnius pastoris virtute, vnius inermis lapide proiecto percusserit, oppresserit, & cæsum prostrauerit resupinum in terram. Factum est istud præstantissimum, plenissimum gloria, plenissimum diuinæ Maiestatis honore, & illius simile, cum mulieris vnius virtute fugauit copias Assyriorum innumerabiles & obsidione acri vehemen-

hementique ciuitatem in extremas anguſtias adductam liberauit occiſo prius ſuperbiſſimo teterrimoque Holoferne Duce. Non equidem Deo optimo ac maximo opus eſt exercitibus omni copiarum genere abundantibus, non eget ille peditibus, non equitibus multis, non apparatu magno, militaribuſque inſtrumentis ad debellandas capiendaſque ſibi inimicas & infeſtas gentes. Quemadmodum ſchachidos colluſor ſcientiſſimus vno pedite multorum ſtragem edit militum, & campum ſibi patefacit ad Reginam conſtituendam, & includendum opprimendumque aduerſariæ factionis Regem, & quacumque illum deducit perruptione facta, in ſedem altiorem impellit, illos de ſuis ſedibus depellens, alios fugans & rapiens, & quacumque tranſmittit, in multorum funeribus exultantem & triumphantem peditem in eum vſque locum alciſſimum perducit, ac prouehit gloriosè, vt poſt ſtragem editam, & exercitam carnificinam de Rege victoriam glorioſam reportet: ſic equidem Deus immortalis non ferri viribus, non vtriuſque exercitus acerrimo congreſſu, ſed vnius hominis, vel potius pueri, in bello nunquam verſati, vnius paſtoris in caulis, & in camporum apertis æquoribus vagantis, & paſcentis ouium ſibi commiſſarum gregem, inermis prorſus, lapidis iactu, victoriam & inſignia reportauit victoriæ præclariſſima. O gloriam æternæ maieſtatis celſiſſimam! O decus omni laude prædicatione neque celebrandum! O vim ac poteſtatem Dei immortalis robore ac virtute plane celeberrimam! Quid aliud agimus? quid aliud contendimus inſcij, & ignari veræ ſolidæque gloriæ, niſi Dei diuinum, & immortalem honorem? quo cum actiones noſtras, mentes & animos contulerimus, cum magis deſtituti videamur, maioribus auxilijs, & opibus muniti ſemper eſſe videbimur. Iſtius Dei gloriam ſpectans Moyſes, hanc appetens, & contendens, quot ſigna Ægyptiorum ſedibus admiranda, ſempiterna recordatione dignißima fortis & inuictus edidit? Quod per mare immenſum & formidandum fluctibus ex vtraque parte muri inſtar conſiſtentibus, ad tranſmittendam gentem ſuam iter patefecit, quanti roboris ac diuinæ virtutis fuit? Michael ille cœleſtis, prauitate Luciferi concitato tumultu, & orto bello grauiſſimo teterrimoque nefariorum ſpirituum conſpiratione ſcelerata acies hoſtium inſtructas honorem ſibi arrogantium, & immortali Deo inſolenter eripientium profligauit, & ad inferorum ſedes deturbauit,

bauit, deijciens vnà sceleratissimum eorum ducem Luciferum & tanti sceleris consortes nequissimos, vnius duntaxat Dei immortalis nomen implorans. Appetijt gloriam diuinam Lucifer, ea spoliatus fuit, quam consequutus fuerat liberalitate tanti Domini. Pulcher erat, & admiranda pulchritudinis magnitudine, postea deformis factus, & omnium, quæ fuerunt in posterum fœdissimus. In summa gloria futurus erat, si creatori suo paruisset, dedecoris & ignominiæ notam maculis omnibus inustus sempiternam subijt. Æternis gaudijs perfrueretur, si in fide Domini permansisset, ab auctore deficiens in luctu & squalore perpetuo iacebit. Princeps esset innumerabilium diuinarum Mentium, dux deinceps & auctor totius sceleris & impietatis in ruina fuit semperque erit. In gaudijs & lætitijs immortalibus futurus erat: postea supplicijs & flammarum ardoribus nunquã excruciari desinet; amicissimus extitit diuinæ maiestatis, capitalis ab illo tempore post nequitiæ defectionisque suæ prauitatem factus fuit inimicus. Quid amplius? discordias, inimicitias, bella nunquam habere desinet cum hominum genere, honoris diuini studiosorum: cuius si vis speciem & similitudinem aliquam expressam habere, intuere mentis oculis Goliath imaginem Luciferi, & Dauidem Michaelis effigiem & simulachrum insigne cum gygante teterrimo pugnantem. Illum intuere virorum inopiam superbissimè exprobrantem; hunc solummodo Deum colentem ac metuentem: illum lacessentem fortissimum quemque de se multa temerè & insolenter iactantem; hunc pro populo Dei, & pro tanti Domini honore pugnare desiderantem: illum armis fulgentibus munitum, prodeuntem in medium; hunc inermem omninò: illum cum Galea; hunc cum pileo segmentato: illum munitum Lorica fortissima, hunc pastoritia amictum pelle: illum accinctum gladio; hunc neque gladium, nec vlla quidem arma gerentem: illum cum accerrimo fulgentique telo, hunc cum baculo pastorum vsitato: illum armis omnibus; hunc cum lapide duro & aspero: vtrumque postea paratum ad dimicandum, sed illum cum probro multo ac dedecore cadentem; hunc cum summa gloria & honore caputà gygantis ceruicibus abscindentem. Intuere postea fugam aduersariorum, impetus Iudæorum, victoriam, lætitiam, plausum, & acclamationẽ. Quid hoc gloriosius ad immortalis Dei honorem sempiternum, & ad Dauidis decus maximum accidere potuisset vnquam? sed videamus iam facti

pulcher-

pulcherrimi plurimas vtilitates, plurimos à populo Iudæorum fructus perceptos. Liberati imprimis fuerunt illorum timore, quo perculsi fuerant animi omnis generis Solymorum: Atque ipse Saul, qui in magno metu fuit, qua solicitudine, quibus curis & anxiatibus liberatus? Iam verò cum a se tantam turpitudinis labem omnes repulissent, cum Goliath inania verba cecidissent, cum superbissimi Gygantis spiritus fracti, compressique fuissent impetus furentes, quis se tanto robore diuini prælidij, munitæ genti, nisi temerarius prorsus ac furens esset, auderet opponere? Mitto hic hostibus ablata spolia, detractas vestes, direpta castra, gladios, tela, cæteraque arma & instrumenta militaria capta. Relinquo cibaria, commeatum omnem, quem in castris hostes reliquerant, pecunias, diuitias, argentum, aurum, res alias magni pretij & æstimationis, quas secum comportare homines solent. Omitto denique quidquid ex victis victores adipisci consueuerunt beneficio fortunæ, & prædas omnes, quibus locupletati exultantes ac triumphantes reuertuntur in ciuitates. Vos cogitate si magni salutem habetis, si magni ducitis parentum & ciuium incolumitatem, si filiorum vitam, si bona, fortunas, tecta, templaque conseruata, quantis periculis liberati estis, quibus gladijs hostilibus, qua crudelitate, furoreque superbissimorum hostium, qui in vos irruerent, & iugularent ad vnum omnes? & quod Iudæi fecerunt, saltem fecissent sine dubitatione, vt huc illucque iactantes gladios Iudæos omnes fugientes partim vulnerarent, partim cederent, & cadauerum cumulo camporum terram operirent. Inde in vrbes defensoribus carentes propter stragem factam inuadendes parcerent filijs vestris, parcerent vxoribus, abstinerent manus à parentibus? non imbuerent gladios occurrentium cruore virorum ac mulierum? qui mulierum eiulatus? qui ploratus? quæ postremò sanguinis vbique per vias, per plateas, in domibus ipsis, & intra palatia, cubiculaque omnia latissimè manantis flumina? ædes, templa, loca omnia diriperentur, & in vestris bonis auarissimè rapacissimeque milites exultantes secum omnia exportarent in suas patrias sedes. Quid cum polluerent templa, cum res sacras contaminarent, cum auro diuitiisque omnibus locupletati vestras ædes & sacras, templa partim euerterent, ac diruerent, & aliquot in seruitutem adducerent, vitam acturi semper miseram & ærumnosam? Iudæi, Iudæi inquam facto Dauidis pestem horum malorum omnium in hostes

ſtes conuerterunt, & quam perniciem ſuis rebus, vitæ, tectis, & templo machinabantur, in excidium ſuum recidiſſe cognouimus. Cedant, Auditores, Romani Dauidi fortiſſimo, qui quamquam multas victorias ſingularium virorum fortitudine conſequuti fuerunt, tamen neque magnitudine rei præclarè geſtæ, neque multitudine commodorum, neque gloria nominis comparari, neque finis in Deum immortalem relati celebritate, cum præſenti Dauidis egregio facinore conferri debebunt. Cedat factum Torquati clariſſimi fortiſſimique viri, qui Galliam laceſſentem inſolenter ad dimicationem ſua virtute ſuperauit. Cedat factum Horatij Coclitis, ex vltima pontis parte phalanges aduerſariorum plurimas ſua fortitudine ſuſtinentis, & refellentis vehementiſſimè, donec à tergo ſuorum opera Romanorum porta euerteretur, diruereturque, & ipſe de ponte flumen in altiſſimum ſeſe deijciens, quanquam armorum pondere preſſus, nando euaderet ad ſuos: Cedat denique, vt alia omittamus veterum monumentis conſignata, factum M. Horatij fortiſſimi ciuis, qui duobus occiſis Curiatijs, ipſe ſolus tribus obſtitit fratribus, & qua ſcitis calliditate ſimilis fugientis, & ad propinquiorem inſequentem conuerſus, vnumquemque ſuperans deſperatam à Romanis victoriam, ex hoſtium manibus eripuit. Omnibus iſtud Dauidis factum glorioſum & immortalitate digniſſimum tenebras & noctem obſcuriſſimam offudit. Vt enim cętera prætereamus, vel hoc quis non videt, reliqua facta armorum vi præſtantiam ſuam obtinuiſſe, iſtud nullis, vt prædiximus armorum nec telorum fulgentium, nec diſtrictorum gladiorum robore præſtitum fuiſſe. Qua de cauſa clarius, & vel hoc ſolùm nomine commendandum ſæculorum omnium memoriæ ſempiternæ. Quod ſi non has vtilitates commemorare potuiſſemus communes omnis generis Solymorum, ſed proprias Dauidis, & ad illum potiſſimum ſpectantes, dignum eſſet factum iſtud procul dubio cunctarum gentium ac nationum prædicatione commemoranda. An ille ſeipſum non conſeruauit incolumem? non occidit Gygantem hoſtem importunum infeſtiſſimumque? non vitam ex illius gladio diſtricto, populoque imminenti eripuit? non hoſti mortem attulit exercitu vtroque ſpectante? non Regem cura ſolicitudineque liberauit Saulem, & ad bene de diuina miſericordia ſperandum cuiuſcumque ordinis mortalibus quaſi ſignũ in ſublime capite Gygantis elato, ſuſtuliſſe viſus fuit? non deſperare de victoria coegit ſta-

tim

tim innumerabiles aduersatiæ partis milites ac duces, & in fugam sese conijcere relictis castris & occisis eorum multis millibus? Non vxorem Michol filiam Regis duxit vxorem sui præstantissimi facti robore ac magnitudine comparatam? non postremo immortalem sibi nominis gloriam comparauit nullo vnquam posterorum ætate delendam? Ab hoc etiam pulcherrimo facto virtutes planè Regiæ, Regia dignitas, & sedes Regis adipiscenda celsissima prædici visa fuit, & Dauidi merito quidem suo deferri. Quem paucis post sæculis gentes Solymorum in Regis Solymorum altissima sede collocatum aspexerunt, & summo honore ac veneratione fuerunt prosequuti. Quid splendoris, quid honoris, quantum gloriæ florere visum fuit in Dauide ab illo tempore, cum prostratum in terram, confecitque Gygantem Goliath? Plus equidem quam cum pastor in solitudine, per campos & nemora, per valles & per syluas pascebat ouium suarum gregem, & ad pascua & ad aquas hyeme & æstate diligens & assiduus agebat. Considerate, quæso, Dauidem pastorem, & Regem diuersis temporibus, & cum ex hoc facto primordia ducta fuerunt honoris dignitatisque celsissimæ, altius equidem exitum pugnæ felicissimum prædicabitis. Erat ille pastor vitam agens in agro, nemora, valles & campos peragrabat, totas hyemes, niues & pruinas, & cæteras tempestates perferrebat; æstus vero tempore grauissimos Solis ardores, & caloris molestias: humi iacebat, & sæpe stans magnam noctium hyemalium, & sæpe turpulentissimarum partem baculo nitens transigebat. Tum cum maximè vestitus erat, pileum segmentatum in capite gerebat, pellem caprinam in corpore, perones in pedibus, cum manticulis à fronte & à tergo pendentibus ad victum quotidianum: quem si ex pastorum communibus escis æstimare debemus, panem & durum admodum, qui satis esset ad infringendos dentes, & alia, panis condimentum conijcere debebimus. His delitijs, his suauitatibus abundabat in pastoris vita agresti, ferinaque. Cùm verò ab agro ad aciem, ab ouium custodia, ad rem militarem dono ac munere diuino fuit vocatus, quæ feciſſe putatis fundamenta vitæ in reliquum tempus lautioris elegantiorisque degendæ, Regiæ etiam & excelsæ dignitatis, ad quam aspirauit, & progressu temporis euectus fuit? Quem in solio celsissimo sedentem, summo cum imperio, maiestateque maxima Magnatum & Principum aulæ suæ clarissimorum splendore illustratam, imperante tanta cum dominatione, tot

populis

populis & vrbibus & prouincijs Solymorum ditioni subiectis, fulgentem diademate gemmis illuminato splendidissimis & cum sceptro cæteris(que) Imperij potentissimi insignibus decoratum contemplamini. Adite aulæ Regiæ reliquum apparatum & splendorem, ædium maximarum elegantiam & magnificentiam, escas accuratione maximâ apparatissimas & valde structas, tot administrorum diuersis fungentium in aulâ Regiâ officijs, multitudinem, & florem, ritus & ceremonias Aulicorum, cultum & honorem omnem tantâ cum demissione Regiæ maiestati tributum. Quibus cum omnibus honoraretur Dauid, & ab huiusce victoriæ secundâ fortuna fundamenta iacta fuerint, vt explorata magnitudi is & tantæ celsitatis auguria planè apparuerint, nihil est profecto, quod de huiusce glorioßissimi commodis dubitemus. Sed ad vtilitatis, ad Regiæ dignitatis partes eximias & gloriosas, lætitiam cunctorum, gaudium & voluptatem Regis Saulis adiungite. Mihi equidem illam consideranti occurrunt victoriarum maximarum effusa gaudia lætitiæque gestientes. Videor enim audire occiso Goliath, & humi iacente gygante truculentissimo cunctorum clamores Solymorum sublatos in cœlum? Quæ vociferationes, qui clamores militum, quæ lætitiæ, dum se vident ex hostium manibus eteptos? Quemadmodum Dauid deductus fuit ad Regem Saulem, spolijs gygantis ornatus, & capite in hastâ inhærente rectâ & excelsâ, elatoque in sublime, vt cunctorum oculis aspiceretur Solymorum. Quantâ voluptate præirent multi, consequerentur alij? qui comitatus, omnium splendore decoratus Principum, & Heroum Iudeæ potentissimorum? quibus tibiarum cantibus? quo concentu, & harmonia? qua vocum mirificè concinentium suauitate? quæ laudes, qui honores tributi? quæ conuiuia apparatissima, magnificentissimaque? qui dies postremo festi consequuti? species sanè videretur & imago dierum, qui solenni pompa & agmine perpetuo, & à porta præcipua in capitolium vsque, cùm triumphum glorioßum Romani Imperatores agerent, toto sese ad spectaculum S. P. Q. R. effundente, celebrabantur. Atque si mentis oculis Solymæi intuerentur, cuius illa victoria spectaculi species esset, & adumbratio, si Deus optimus, ac maximus mentis oculos aperuisset ad agnoscendam inuolucris & tegumentis occisi Gygantis a Dauide veritatem contentam, quibus gaudijs afficerentur? quibus lætitijs gestirent? vix apud se essent tanti boni magnitudine perspecta:

Goliath enim dæmonem teterrimum vincendum ab Assertore Iesu; Dauid ipsum Messiam vindicem humanæ libertatis Christum Iesum, in hominis formâ atque figurâ latentem; victoria libertatem generis hominum, salutem cunctorum, dignitatem in pristinum statum Messiæ inuictâ virtute vindicandam prædicebat: quo nihil, neque ad Dei immortalis gloriam, neque ad humani generis salutem, neque ad orbis terræ lætitiam & voluptatem incredibilem videri poterat appositius. Christus enim Iesus in humili porticu atque contemptâ, ruinosâ ac malè materiatâ sedem sibi delegit & domicilium, nullis armis, neque copiarum pedestrium, neque equestrium fragore, sed lachrymis, frigore, & egestate rerum extremâ, & tolerantia summa, cum perenni humani generis hoste prælium accerrimè committens, victoriam glorioſam ac cœlestem inuicta virtute reportauit. Puer erat Dauid, puer Iesus ipse: Dauid inermis prodijt in campum, sine armis, etiam sine gladio: Iesus nullo apparatu militari, nullis telis descendit ad dimicandum: Dauid funda & lapide duntaxat cum Gygante congressus est; Iesus lacrymis, indigentia rerum, & cœlesti tolerantia cum dæmone nequissimo conflixit: Goliath cecidit humi resupinus; importunus gygas dæmon hostis humani generis infestissimus cecidit mille plagis ac vulneribus concisus: vita Iudæorum, salus & dignitas restituta fuit virtute Dauidis; incolumitas generis hominum, vetus florens, & secunda fortuna reddita fuit & vindicata in veterem statum à cœlesti ac diuino robore Christi Iesu: victoria Dauidis, magnis laudibus, gaudijs, & lætitijs omnibus, cunctorum ordinum, & Principum plausu mirifico celebrata; victoria celebritate Natalitiorum deportata, suauissimis diuinarum mentium cantibus, aduentu pastorum, & Regum ex disiunctissimis terrarum partibus in Bethleemiticam vsque porticum venientium decorata fuit magnificentissimeque cohonestata. Quamobrem ferreus est ille, & omni diritate tetrior, qui gloriam huiusce sæculi fallacem, honores fluxos & perituros, non immortali diuinæ maiestatis gloriæ, ornamentisque sempiternis dignitatum cœlestium posthabendos curauerit. Quem enim superbum, & insolentem demissio Dauidis, quem cultus & honos tributus immortali Deo, quem in Deo positæ spes, defixæque cogitationes, quem adeptæ victoriæ gloria, quem immortalitatis adepta fama, quem cœlorum sedes æternæ domiciliaque istius facti pulcherrimi magnitudine adum-

adumbrata commouere non potuerunt? latere ne quenquam parum etiam sacrarum litterarum peritum Dauid's factum insigne præcellensque potuit? Quid ille egerit, quemadmodum gygantem inuaserit, & prostrauerit resupinum in terram, & caput à ceruicibus absciderit, propter gloriæ præstantiam in Deum immortalem redundantem ignorare nemo potest? O superbiam detestabilem! O nefandam hominum elationem & arrogantiam. Homines hoc audiunt, hoc intelligunt, & agnoscunt gygantis exitium & necem ignominiosam, fugam suorum turpem, cum strage & interitu tanto Philistinorum & spiritus sibi sumere, animos efferre, & caput extollere superbi, & arrogantes audebunt? An cum Balthasari in conuiuio vasa Domini nefario scelere polluenti perspecta repente manus metum inecerit, & mortem, (quæ protinus consequuta fuit) cum totius Regni iactura prædixerit, tetque de superbis hominibus sumpta supplicia non ab elatione deterrebunt homines, & in officio suo continebunt? Nam illa nimis antiqua & omnibus explorata non debetis obliuisci; quod Adamum honoris diuini appetitus & insolentia de Paradisi sedibus deturbauit in terram hanc, vastam & vestitam vepribus, atque dumetis. Fuit Deo, optimo, maximo cum superbis & insolentibus bellum semper assiduum & grauissimum: habet in illos districtum semper gladium, intentat iugulis eorundem tela diuina iustitia, quæ non patitur mucronem hebescere, strages in omni ætate memoriaque faciens maximas. Quod si nos demissionis finibus non tenuerimus, si non demiserimus abiecerimusque libentissimè ad omne submissionis officium, si sanctorum, si Christi Iesu vestigia non sequuti fuerimus, infra hominum aliorum pedes nos ponendo, nihilque de nobis loquendo neque æstimando nisi humiliter, atque demisse, ex quibuscunque locis altioribus, ex Regia etiam, & imperatoria dignitate in miserias & ærumnas maximas præcipites deijciemur. Vt fumus summa appetit, vt fulmen supera petit, sic morbi, miseriæ, ærumnæ, calamitates homines arrogantes & elatos, vno agmine, impetuque incitatæ furenti aggredientur, dissipabunt, & conficient. Vos igitur, qui verum honorem, qui solidam gloriam, qui dignitates nunquam interituras, qui beatorum gradus celsissimos optatis, qui prosperos in hoc sæculo vestrarum rerum euentus, & post illius vitæ curriculum, deuicto humani generis aduersario

immortale decus appetitis, ad Dei gloriam augendam & amplificandam vestras cogitationes, curas, actionesque conferte: vt quemadmodum Dauid gygante confecto, spolijs magnificentissimis ornatus ad Regem Saulem toto plaudente populo deductus fuit, vos etiam superato dæmone teterrimo, omnibus gratiæ cœlestis ornamentis decorati victoriarum trophæa in cœlestis aulæ palatijs celsissimis gloriosa, & nullo vnquam æuo interitura constituatis.

Vtra sit præstantior Poesis, an Rhetorica, in declamatorio genere, & ad comparationem relatæ orationes duæ.

Declamatio Poeseos.

SI Poësis Rhetorem, quo cùm de facultatis dignitate decertat controuersia, quæ venit in iudicium, nostræ præstantiæ capitalem hostem sortitura fuisset iudicem, & non te oratoria Poeticæque principem clarissimum, Iudex integerrime, nunquam in hunc campum arenamque descendisset, cum Rhetore dubio & ancipiti marte conflictura. Sed quoniam noui tuum in Poeseos cognitionem amorem, & propensam voluntatem, & de arte benedicendi non in animo tuo tantopere incidentem opinionem, atque Rhetor iste sibi persuadet, qui poematis studiosos alumnos, reliquarumque (vt magis mirer illius fastidium & insolentiam,) facultatum & disciplinarum maximarum peritissimos semper contempsit, inanissima leuitate iactationeque suæ facultatis elatus: non verebor apud te meam agere, sæpe iam actam & obtentam causam cum poetarum illustri fama ac nominis gloriosa celebritate. Neque rem agam fuco, non pigmentis vllis, quæ fugit & respuit simplex & aperta veritas; illis aduersarius vtatur, quibus nixus, nihil vnquam verum ac syncerum, nil nisi fallax & fraudulentum in iudicium adduxit. Is enim non penitus cognitam & exploratam habuit poësim, quam à Dijs inuentam, & rebus iuuandis datam accepimus, & quotidiana didicimus experientia: In qua duæ facultatum partes præcipuæ positæ sunt, dignitas & vtilitas. Quod si addam iucunditatem, qua cum artes caruerunt, ab illis percipiendis hominum genus quodcumque deterrebitur, noane verum dixisse quidem videbor?

Atque

Atque si splendor tum maximè cernitur, cum Heroas & Principes inuentionis afferamus, cui dubium esse poterit Apollinem principem & auctorem fuisse Poeseos? Musas etiam, quæ Deæ habitæ fuerunt, Poetarum animos ad poema faciendum elegans & concinnum excitasse, quæ in Parnasi monte sedem & domicilium habuerunt? Atque hic quæ de Helicone iactata fuerunt veterum annalibus, & de fonte ad istius montis radices aquis profluente mirifica suauitate redundantibus, ex quibus sumebant animos, & spiritus ad Poesim, viri singulares recordamini quæso. Quæ si Rhetor considerare vellet, cum re militari coæquatam poesim aspiceret, equo cuius ictu fons repentè erupit, bellorum aptissimo simulachro mente comprehenso. At originem & initia Rhetoricæ si quæras, non modò Deos non afferes, sed ineertis auctoribus, parentibus ignotis nata fuisse videbitur: atque ab hominum ipsorum sermone barbaro & inculto primordia duxisse. Poësim sanè tanti habuerunt, qui postea consequuti sunt docti sapientesque viri, vt cum ab initio propè nascentis mundi omnia carminibus consignata viderint, omnes artes atque scientias, & veterem Græcorum Philosophiam, quæ inter illos sua ferebatur Theologia, versibus posteritati mandauerint. Ita quidem Zoroastes & Orpheus fecerunt: Orpheus inquam, qui suos labores ad posteros oratione ligata transfudit, qui carminum, quæ canebat, & musices suauitate Eurydicem vxorem ab inferis excitasse, syluas & montes commouisse, fluuiorum retardasse cursum, & belluas efferas & immanes ad mansuetudinem traduxisse dictus est. Huius simili studio flagrarunt Linus & Tamiras, qui eiusdem poeseos scriptis sua nomina immortalitati commendarunt. Neque obliuisci possum Palefatum & Creophilum Samium, qui naturæ res abditas & retrusas poëtico sermone conscripsit, & id, de quo multi quondam dubitarunt, mundus semperne fuerit, nullo profectus ortu, an ortus, an ab aliquo opifice & architecto conditus, seminator & educator omnium, quæ natura & cultura hominum seruntur, quandoquidem cernebatur, & tangebatur, & erat vndique corporatus. Ad hos adiungo Zenonem, cuius poësim Plato meminit, qui de eadem re, eodem poeseos genere scribens, nomen suum nobilitauit. Quis ignorat quanto in honore fuerint olim matheses? nihil profectò Mathematicis illustrius, qui magna in obscuritate, & recondita in arte & multiplici, subtilique versantur. At ij versus quæsierunt ad artem suam nobilitandam. Testan-

tur istud Arati monumenta, cui Iulius ille Cæsar, vnum ex suis operibus manu propria describens, magnum honorem tribuit, & multo maiorem B. Paulus eundem in actorum monumentis afferens. Ex Astrologis etiam Dorotheus Sinodius memoratur, qui ornatissimis optimisque versibus de cœlo, stellisque scripsit: cuius factum imitandum duxit Manilius tanquam pulcherrimum & amplissimum ad honorem obtinendum immortalem. Artem quoque medendi nobilitarunt alumni suis versibus optimis & numerosis huiusce facultatis medicamenta tradentes. Prætereo multos, noti sunt Seruilij, Heliodori, quorum memoriam Princeps Medicorum Galenus clariorem reddidit & illustriorem sua commendatione. Neque sanè silentio prætereundi sunt Nicoandri, & Andromatæ: hi scriptores Græci, qui profecto nisi ad medicinam versibus adiungendam laudem putauissent, nunquam ad poesim de rebus Medicinæ tractantes, quam in omnem sæculorum æternitatem diffundere voluerunt, suum animum appulissent. Quid dicam de Iurisperitis? quid de conditoribus legum? Solon ille soluta vel ligata oratione leges conscripsit? Draco cuius leges quanquam abrogatæ plurimæ, deletæque fuerunt à Solone, non illas tamen carminis numeris astrinxit? idem de Scythis, quanquam feris, & immanibus, quos Anacharsis legibus ad aliquam humanitatem traduxit, & de Cretensium moribus ac disciplina, idem postremò de reliquis gentibus ac nationibus totius orbis terrarum scriptum accepimus: quæ omnes versibus consignatas suas leges, ac iura tenuerunt. Atque nostrorum Hispanorum gens solertia & industria mirabili præstat, & in hoc cum omnibus totius orbis rebus publicis mirificè congruens, libros antiquitatis admodum venerandæ plurimos, & inter illos leges poetica facultate scriptas habuisse fertur locupletissimo doctissimoque sui temporis teste Strabone. Multa de Sybillis accepimus, sed oracula præcipuè versibus conscripta celebramus. Ipsi etiam Imperatores honorificum esse ducebant hanc præcipuè facultatem poeseos percipere, quorum sepulchra carminibus ornabantur ad posteritatis memoriam sempiternam. Testis est Imperator Adrianus, qui Pompeij sepulchrum, vetustate temporis exesum, & propè dirutum, non instaurauit solum, sed ornauit à se ipso Imperatore versu facto. Testes reliqui principes totius Græciæ, qui nullius artis magis periti fuerunt, quàm poeticæ. Cum conuiuium aliquod faciendum erat, cum prandium

dandum

dandum apparatissimum, cùm cænæ concelebrandæ conuiuarum maxima nobilitate, splendoreque discumbentium, carmina iucundissimè suauissimeque concinebantur. Agebant Imperatores domitis bellicosissimis gentibus triumphos immortali memoria dignissimos, carminibus vitæ publicæ plateæque, quacumque pompa triumphi procedebat, ex Capitolio cum ad Iouis templum peruentum erat, versuum modulatione testutidines & loca omnia personabant. Nullus agebatur dies lætitiæ, nulla natalitia dabantur, nulla sacrificia fiebant, nulli tribuebantur dijs honores, qui non carminibus festiuis & concinnis cohonestarentur. Sed dices, vetera nimis hæc fuisse, & ex hominum memoria deleta iam pridem. Age adsis ad veritatem: qui Principum aduentus, Principum dico, Regum omnium, & Imperatorum, vel alienigenarum, vel nostrorum, qui concelebrantur ingressus in vrbes, & in populos celebriores, qui non carminibus cohonestentur, & quidem inuitatis Poetis, ad Heroica carmina, ad epigrammata, ad diuersa Poematum genera faciunda? Non videris cernere parietes ædium cunctarum epigrammatis cuiuscunque Poeseos diuersitate multum, valdeque splendentes. Cum morerentur homines, & maximi potentissimique terræ Principes, non illorum sepulturæ, non illorum cenotaphia carminibus plurimis longè dissimili genere constantibus poematum exornabantur? Age etiam, qui dies sanctorum honori consecrati, quæ natalitia Domini, quæ feriæ vnquam corporis Christi Iesu, qui honores in sanctorum numeris ascriptis tributi fuerunt vnquam sine poematum venustissima compositione? Tanta est dignitas, tantus splendor poeseos, vt à primordijs humani generis, ab initio statim nascentis Mundi ad maiestatem diuini numinis debitis laudibus & honoribus afficiendam carmina delecta fuerint, propter concinnitatem, propter elegantiam, propter vetustatem suam & præstantiam. Quòd Moysis vetustissimo celeberrimoque cantu (vt iam cum Rhetore sacrarum litterarum testimonijs agam) cæterisque suorum librorum & sacræ paginæ cantibus testatum ostenditur. Quam consuetudinem ab illis antiquissimis temporibus hymnis, & versibus concelebrandæ celsitatis Dei immortalis & Christi Iesu gloriæ cœlestis, ad hanc vsque memoriam cultores nostræ Fidei conseruarunt. Nisi verò tam rudes & ignari sumus temporum, in sacrorum doctorum voluminibus versati, vt Dionysium Areopagitam nesciamus, qui præstantis-

simi præceptoris Hierotei hymnos omni laude prosequitur; nisi etiam fateri nolumus huiusce æmulos & imitatores se præbuisse Græcos & Latinos Doctores præcellentissimos, Quorum carmina Mater Ecclesia cantibus modulatè sonantibus, in omni loco ditioneque Christianorum vsurpat, & tollit in sublime. Nisi etiam expertes omnis antiquitatis versus à Doctoribus, & Principibus nostræ Religionis ad animos in Dei gloriam, & in Diuini numinis cultum excitandos & augendos ignoremus, & fuisse prænunciatos & decantatos summo studio, miraque religione nescimus. Nec vellem profectò, memoriam amitteremus fraudum & technarum dæmonis teterrimi: qui cum superstitiones idolorum & nefarios errores in orbem induceret, ad fallendos decipiendosque homines, ad Patrum sanctorum similitudinem suis in templis, sibique dedicatis delubris versus decantari docuit à suis administris, & scelerum omnium satellibus, eo consilio, vt speciem sanctitatis, & simulationem Religionis hominibus facilius persuaderet, accepta à veris Dei cultoribus versuum, quibus tanta Religio celebrabatur, honorifica frequentatione. Quorum vsque eo carminum sanctitas viguit, & in tanto apud diuinæ legis cultores honore fuit, vt cœlo confirmauerit Trismegistus Deum misisse cœlestem musicæ suauitatem in terras, vt sanctissimum religiosissimumque cultum, quem cælites tribuebant, incolæ & habitatores terrarum summo studio obseruantiaque præstarent, versus & hymnos sanctissimè religiosissimeque concinendo. Hac cœlesti poeseos laude Dauid sanctissimus post victoriam de Goliath illo gygante ferocissimo reportatam à Solymorum populo magnificentissimè fuit exceptus, tanto plausu, tantaacclamatione, totius multitudinis vniuersæ gestientis incredibiliter lætitia. Hinc Saulis inimicitiæ, hinc inuidia, hinc denique bella hostili odio in Rempub. concitata, ad arma & ad cædes plurimas, & ad Regis sanguinem crudeliter sitiendum, progressa fuerunt. Sed quid ad poeseos concinnæ & elegantis dignitatem patefaciendam plura testimonia proferro, cùm præter superiora satis fuisse arbitrer ad illius splendorem & gloriam Patres innumerabiles, omnibus sanctimoniæ numeris expletos in poesi, operam & studium suum diligenter & accuratè posuisse? Conferat modo, si placet Rhetor, suorum virorum auctoritatem cum nostrorum Poetarum grauitate; Rhetores suos cũ poëtis; Ciceronos, Demosthenes, cum Virgilijs, cum Homeris,

ris; antiquitatem Rhetoricæ, cum vetustate Poeseos, gloriam benedicendi, cum artis poeticæ mirandâ celebritate: iam intelliget profecto his ornamentis oratoriâ facultate superiorem esse poeticam. Sed iam post excellentiam & splendorem poeseos, ingredientes in secundam orationis partem ad illius vtilitates maximas accedamus. Quas vno possem verbo concludere, & ex supradictis laudibus vestros sensus & suffragia ad sententiam pro poesi ferendam efflagitare. Nam si in omnibus rebus humanis atque diuinis ab hinc tot innumerabilia sæcula, à primordijs humani generis semper floruit, semperque dominata fuit poesis, quid est quod de tantæ facultatis vtilitatibus & emolumentis maximis amplius verba facere pergamus? Satis arbitror istud vtilitatis esse, atque ita reputo, vt à Rhetore nullum in genus hominum maius beneficium conferri posse videatur. Atque si vtiles habiti fuerunt Rhetores Rebus publicis administrandis, ex Poetis enumeratis, quot non vrbes tantum, sed etiam regna florentissima gubernarunt? si fuerunt Rhetores vtiles bellis ineundis, & prælijs acerrimè committendis, quoties carminibus milites ad prælia concitati? quoties carminibus spiritum Martis efflantes res maximas & insignes gesserunt? quoties milites versibus magis, quàm clangore tubarum in hostes irruentes fugarunt, & fuderunt copias, & ad internecionem redegerunt? incredibile videbitur, quod dicam, sed ita factum veterum monumenta testantur. Cùm Athenienses per ridiculum ac delectamentum Tirteum Ducem Laconibus dedissent, hominem vno captum oculo, & altero pede claudicantem, sed ingenij acumine acerrimo præditum, is non buccinæ strepitu, non tympanorum sono, non alijs militaribus præsidijs & adiumentis, sed versibus adeo concinnis & ardentibus, exercitum suum in Misenios, à quibus sæpe Lacones turpiter fugati superatique fuerant, impulit, & incitauit, vt victoriam & insignia reportauerint victoriarum, partim fusis, partim cæsis, partim in deditionem acceptis hostibus. Quid iam aliud? vis suadere etiam poetam, mouere ac delectare animos audientium, narrare rem omnem, & ita describere, vt ante oculos statui videatur? vis illum rem efferre verbis aptis & appositis, ornare politis & elegantibus, decorare translatis, illustrare luminibus verborum, & insignibus sententiarum, denique augere, cum opus erit, & imminuere carminibus, nullos præterire, qui sint necessarij, lætitiæ, spei, misericordiæ, odij, iracundiæ cæterarumque per-

turbationum affectus incitatos & turbulentos ? lege obsecro poetas nostros , versa volumina poeseos innumerabilia , si per tempus non licet, vnum quæso Virgilium parentem Latinæ, & si collibitum fuerit,& Græcè scias, Homerum principem Græcæ poeseos. Hunc cum tuo Demosthene, alterum cum Cicerone tuo, parente eloquentiæ Romanæ confer, & si sanâ mente fueris, mutabis sententiam, & plus valere dicendo, quod tuæ facultatis officium est, hos poeseos videbis parêtes duos, quam tuæ oratoriæ clarissima lumina Ciceronem & Demosthenem. O singulare poeseos vim! O robur incredibile! O magnum rerum humanarum & diuinarum præsidium ! Non has solum à me commemoratas vtilitates Poesis affert: sed animos ad omne honestatis officium suis præceptis instituit atque componit. Ecquod genus virtutis reperietur, cuius actiones homo carminibus excitatus non suscipiat ? ecquod vitium tam execrabile tantas egit aliquando radices , & in hominum animis inueterauit suâ vetustate , quod non præsidio poeseos radicitus extraheretur ? Ardet homo ambitionis & honoris cupiditate ? hanc sedabit poesis.flagrat diuitiarum & rerum humanarum auiditate maxima ? hanc depellet poesis.odio quis fertur & iracundiâ præcipiti ? hanc cohibebit, & reprimet poesis. effusus est aliquis in libidinem, & in turpes voluptates ? has fugiendas frænandasque docebit poesis.inuidiæ quis morsu laceratur & contabescet miser? flagrare faciet cum ardore Charitatis inflammato poesis.appetit alius epulas exquisitas , & vina veterrima ac suauissima ? temperantiam & abstinentiam præscribet poesis. Quid opus est verbis, nullus erit motus animi tam turbulentus ac vehemens , nulla tam immoderata & effrænata cupiditas, nulla tantopere reflantis fortunæ vicissitudo , & casus calamitosi , quos non sustinendos fortiterque perferendos ostendat poesis. Si quisquam plenam humanarum vtilitatum, plenam commodorum animi, plenam denique omnis veræ ac solidæ iucunditatis poesim non amplectendam putabit , & in iudicium , vt cum illa de dignitate contendat Rhetor, adducendam statuit, quid istius sceleris ac flagitij, quid audaciæ, & licentiæ, eo progressi sunt Rhetoricæ alumni, vt illorum conatus intolerandi, impetus audacissimi, omni sint necessariò ratione reprimendi ? Quorum mentes flatu diuino , instinctu semper cælesti ad poema facundum excitari concesserunt omnes , hos lacessendos violandosque contendent Rhetores? Quid desideras amplius Rhetor? delectationem

& iu-

& iucunditatem corporis honestam, & animi solidam atque veram, quam sensus omnes percipiant ex poeseos facultate? si non te delectant superiora, si mentis dotes, si ornamenta animi non afferunt iucunditatem, bellua quidem es, & in Rhetoris natura ferarum immanitatem geris. Suspice cœlum ipsum, noctu tantis luminibus distinctum, diu Solis astrorum principis claritate collucens. Despice postea terram hanc herbis violis, rosis, ac floribus stratam, lustra cogitatione tot maria immensa, tot insulas, tot portus, denique multitudinem & diuersitatem omnis generis rerum, tantam pulchritudinem venustatemque florentem, tot vtilitatibus & commodis refertam, tanta suauitate, iucunditateque redundantem, omnia denique quæ infra supraque Lunam sunt, quorum cogitatione, aspectu, commodis, varietate, pulchritudine, immensitate animi obstupescunt, & incredibili ac diuina lætitiæ voluptate perfunduntur. Omnia suis carminibus, vt te intueri dicas eadem, & cum illis te tuosque sensus oblectare, dabit luculenter expressa Poetarum ars, & multò melius & magis ad voluptatem tuam, siue sparsa singula diffusaque, siue vniuersè spectanda statuat, siue coacta collectaque tam mirabili artificio, vt nihil te amplius spectare velle nec posse planè confirmes. Ob hanc causam omnes, quid de Poesi præclare iudicium faciunt, eam appellant nitidam & illustrem picturam viuis coloribus omnia pingentem decoratamque atque in apum melle suauitatem inesse Poeseos. Omnes etiam, qui voluerunt commendare Pindari Poeticam, dulcedinem ex illius scriptis manantem fluentemque suauissimè, apum suauitate mellita redundare semper, & affluere Poetam egregium præcellentemque confirmarunt. Ille enim cum rusticaretur semel æstus tempore grauissimo, neque Solis ardores perferre posset, in arborem se recepit opacam, & patulis diffusam ramis ad requiescendum sub illius vmbra, quoad tempus esset progrediendi longius. Mirandum visu! apes in eius os mel congressæ, quibus iucundam hominis & suauem poesim mortalium generi prædixerunt. Ecquid vnquam tale de principe tuæ facultatis, de tuo Cicerone auditum, aut acceptum fuit, cùm ille toties in villam suam, toties in Tusculanum concesserit à laboribus & molestijs forensibus requiescendi causa? Iam verò illud de Syrenibus cur dictum putas, cum illorum cantus in Poetas potissimum collatos fateantur omnes, nisi quia Poetæ vim habent incredibilem ad flectendos,

ctendos & ad adducendos homines in suam sententiam? Cur etiam Cygni suauitatem Poetis veteres tribuerunt, nisi quia ex Poetarum ore pendent omnes incredibili Poeseos dulcedine deliniti? qui quoties faciunt versus, quoties concinunt poëmata sua, quoties denique nos legimus & audimus, concentum & harmoniam mirificam effici planum est, qua cœlestes quosdam & diuinos potius cantus, quam quidquam operâ hominum elaboratum legere vel audire nobis persuademus. Illa pedum colligatio, ordo ac series mirifica, numerisque deuincta progressio, horum ab alijs pendens connexio, cadens suauiter ac iucundè terminata semper Poesis, & in tanta varietate venustas & elegantia, quantum habet voluptatis? Hac mirificè captus orator tuus, quantum cæteri ad res suas obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis sumebant temporis, quantum alij tribuebant tempestiuis conuiuijs, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum sibi ipsimet ad Poeseos studia recolenda sumebat. Addit etiam ille, vt gladio tuo, id est parentis tui mucrone conficiaris, Poeseos studijs adolescentiam ali, senectutem recreari, ornari secundas res, aduersis perfugium ac solatium præberi, homines reficidomi, non impediri foris eadem studia, cum hominibus pernoctare, peregrinari, rusticari, nunquam hominem deserere, sed tanquam Vlyssem Mineruam comitari. Hæc non sunt oratoris tui testimonia? negare poteris hunc Ciceronis sermonem esse? si Rhetor es, si profiteris Rhetoricen, non potes, non millies orationem pro Archia, vnde hæc deprompta sunt, vt tua confessione implicere, legisse. Metus est & periculum maximum ne tu neges; si negaueris, negabis parentem; negabis Ciceroni debitum obsequium & obseruantiam; negabis pietatem parentibus tribuendam; sin confiteris, quid est, quod respondere queas? Sed minus vrgere videor domesticis armis, capio externa, quæ cum sint Imperatorum, quemadmodum frangas retundasque iterum atque iterum videbis. Illi illi inquam Africano superiori quemadmodum carus fuit Ennius: Is saue in sepulchro Scipionum putatur esse constitutus è marmore, omnes illi Maximi, Marcelli, Fuluij non sine maximo studio de mutuis quasi officijs & honoribus tribuendis Poetæ decertarunt, Rhetor de eliciendo exterminandoque genere Poetarum palam & inimicè contendet? Quàm multos scriptores rerum suarum Magnus

ille

ille Alexander habuisse dicitur: atque is tamen cum in Sygæo ad Achyllis tumulum astitisset, non tam propter fortitudinem suam, & prælia in Asia fœliciter commissa, fortunatum dixisse fertur Achillem, quàm quod suæ virtutis, & rerum egregiè gestarum Homerum præconem inuenerit. Quid Pompeius, quem Imperium Populi Romani, & sola terrarum vniuersa minimè capere posse videbantur, Theophanem Mitilinæum scriptorem rerum suarum, militibus magno factum clamore comprobantibus ciuitate donauit? Quid Decius Brutus summus vir & Imperator carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit? Postremò, vt alia innumerabilia exempla præteream, ille, qui cum Ætolis Ennio comite pugnauit Fulvius, Hercule, Ioue, cæterisque Diis omissis non dubitauit manubias musis consecrare. Sed quid non facerent Imperatores etiam armati, qui in bello sine Poetis esse non poterant? secum ad bella Poetas deferebant: cum illis diu noctuque agebant: sine illis neque somnum capere poterant, & cum dormirent, quod Alexandrum fecisse constat, sub pulvino libros illorum habebant, vt experrecti, cum illorum versibus, cum Poeseos lectione oblectarent sese. Quare petam à te Rhetor hodiernâ die, quid mali tibi Poetæ fecerint, vt cum illis gerere velis capitales & apertas inimicitias? Siccine expers videris humanitatis, & oblitus beneficiorum, quæ Poesis in te contulit in hunc vsque diem? hanc Poësi gratiam refers, quæ tua præcepta suis optimis & elegantissimis carminibus vertit ex oratione soluta in ligatam? quæ suorum versuum multitudine præstantiaque tuam facultatem non modo locupletem, sed claram reddidit & illustrem? Testabuntur omnes gentes atque nationes, testabitur & bonarum parens litterarum: testabitur Gallia, Flandria, Germania, testabitur Lusitania acutissimis Poetarum ingeniis abundans; denique Hispania nostra testabitur, orationis ligatæ monumentis commendatam posteritati facultatem oratoriam. Siccine Poesis experietur, tam ingratam tam impiam Rhetoricam, tot beneficiorum memoriam abiicientem? pro bonis & commodis præcellentibus hanc perniciem & malum Poesi comparare ausa fuerit? Non hoc, non hoc profecto Grammatica, quæ soror minima, & à multis indignissimis tractata modis, à Rhetore contempta vexataque, tamen colere nunquam desinet sororem suam Poesim, & quod pauculis quibusdam carminibus, genera, declinationes, præterita, supina cõprehendit, Poesim nunquam

obserua

obseruare destitit, & gratias & habere, & agere priuatim, ac publicè, & quidquid illud sit, quod acceperit, se semper abiiciens, infraque Poeseos pedes ponens, Poesi humiliter ac demissè referet acceptum. Id scilicet cogitat Rhetorica tot, ac tantis a Poesi beneficiis affecta. Quidquid sit illud, quod certè à cunctis semper obtinui honorifica laude commendata, quidquid dignitatis obtinui & honoris, totum illud non obscurare solùm, sed obliuione sempiternâ delere vellet. Neque sanguinis neque ororis recordari venit in mentem illi, quæ vsque eo sese effert, vt sine suis flosculis & insignibus reliquas artes & disciplinas nullas dicat. Te ergo Musica obsecro, quæso que, si tuis numeris poliendis perficiendisque quidquam operæ nauaui; Teque Arithmetica, cuius petitionem modumque metiendi, quo res singulæ terminantur, atque fœdus illud, quo omnia inter se connexa sunt', & quo cœlum terris per medium cum extremis aptissimâ ratione dimensis copulatur, versibus persequuta fui; teque etiam proxime Astrologia, quæ cœlum magnitudine immensum, splendore clarissimum, ordinatâ varietate pulcherrimum, constantiâ & stabilitate firmissima contemplans, tota à me versibus expressa fuisti: teque Geometria, vosque reliquæ artes ac disciplinæ, teque maximè vtilis medendi scientia, teque Iurisprudentia tanta dignitate dominatuque potentissimo præsidens orbi terrarum, teque præ cæteris omnibus in honore præcipuo sacra cælestisque disciplina, si magnam partem eorum, quæ tractas, si multa de Deo immortali, multa de gloria beatorum, multa de diuinis illis mentibus, omni concretione carentibus, si multa de virtutibus, de habitibus, de mysteriis prope omnibus diuinis consignaui carminibus, si laudes diuinas & hymnos ad Dei gloriam & maiestatem decorandam, cohonestandamque composui absoluto perfectoque Poemate, obsecro vos omnes, precorque, ne me in Rethoricæ manus potestatemque adduci patiamini victam ac superatam ex hoc decedentem iudicio, vt de Poesi in locis terrarum celebrioribus trophæa monumentaque statuat ad mei nominis ignominiam sempiternam. Vos si pro me preces adhibueritis, si in hoc iudicio meas egeritis partes, si mentem iudicis à Rhetoricæ cogitatione ad me decorandam & ornandam abduxeritis, facile mihi persuadeo, me victoriam reportaturam esse, nihil aliud iudice, qui causæ huic præsentique contentioni præest, nisi quod ex vsu vestro & honore fuerit sententiæ suæ auctoritate decernente. Quod vt facias à te etiam atque etiam supplex,

& ad

& ad tuos pedes prostrata Poesis efflagito, Iudex integerrime, per amorem & voluntatem, quam in omnes artes atque disciplinas ostendisti: si magni eas feci, si progressiones in singulis factas, tanti æstimatas, quanti te virum doctissimum prudentissimum æstimare æquum, & nostras vtilitates allatas, & dignitatem nostram nunquam adhuc minutam, retentam & honorificentissimè conseruatam recordari volueris potius, quam Rhetoricam pigmentis & fuco suo omnes in fraudem adducere nefariè conantem, ex hoc certamine exultantem triumphantemque dimittes. Dixi.

Declamatio Rhetoricæ contra Poesim.

SI quantum dignitatis habet, Iudex integerrime, ars benè dicendi facultate poeseos multo superior cunctorum iudicio mortalium, eadem tantum maiestatis in publicis celebrioribusque locis vellet ostendere; sic agerem hodierno die cum Poesi, vt illam spretam contemptamque relinquerem potius, quàm cum facultate multo inferioris fortunæ ad dimicationem & singulare certamen descenderem: sed illud est demissionis, & virtutis maximæ, (vt quam professa fui semper, & accuratè meos alumnos vrbano more agens docendam demonstrandamque curaui) cùm agere possim tacendo, & nihili faciendo probra petulantiamque aduersariæ, sic respondendo seruare moderationem, measque tueri partes, vt nunquam à veritate descendens, refutandoque singula perspicuè, & ex ordine, quemadmodum à Poesi liberè dicta fuerunt, & intemperanter, meos alumnos defendam. Non enim Rhetoricæ solum, sed alumnorum honos agitur, quibus consulere modis omnibus debeo, ne insultare Poesis in Rhetoricæ claros & illustres filios licentia liberè debacchandi data, deinde possit, atque ob eam causam in nostra præcelsa vereque Regia facultate dignitateque reprimenda volitare Poeseos sectatores audeant insolenter, vt à discenda colendaque Rhetorica plurimum mei studiosissimi adolescentes terreantur in posterum. Etenim cum Poëseos alumnos alacres & erectos volitantes in nostros Rhetores inuehi videbunt, qui non sunt magno animo præcelsoque neque veri honoris tantopere appetentes; Rhetoricæ studium & facultatem abiicient & execrabuntur. Quod ne accidat iniuria nostra diligèter prouidere debemus, & quidem

antequam

antequam de facultate dicendi dicam ea, quæ hodierno die dicenda sunt, in hac contentione mihi cum Poeseos facultate susceptâ, respondebo aduersariæ, quæque de suis laudibus temere & insolenter iactauit, nulla penè extitisse, multa autem cum mendacio dicta fuisse, iudicis & eorum, qui ad hoc iudicium confluxerunt, auditorum tam erectis & excitatis ad orationem animis demonstrabo. Atque vt intelligas Iudex integerrime, quemadmodum fecerit initium dicendi Poesis, quando illa mecum in contentionem descendit? quando in publico contra Rhetorem ausa fuit agere? illane mihi litem intendit, diem mihi dixit vnquam? non recordor, nec vos meminisse potuistis etiam, quanquam memoria valetis maxima nullarum non litterarum, & vestrum & nostrorum annalium scientes. Sed vt mentiretur, finxit fortasse iudicium in occulto aliquo, & abdito terrarum loco, in cubiculo, & in tenebris, vbi illa cum suis se alumnis iactare consueuit in confabulationibus, cum omnes de cunctis artibus, de scientiis omnibus, & maximè de arte Rhetoricâ detractum, & illarum dignitatem imminutam pro sua consuetudine, moreque venerunt. His initiis illud est simile conciliandæ beneuolentiæ principium, dum tē suæ artis scientem appellat, quam non puderit iactare, quod probro summo vertunt docti sapientesque, qui cum Poetam quenquam dicunt, hunc etiam dicunt furiosum & mente captum. Scilicet poëti tibi opus est, iudex clarissime, ad causas audiendas, ad cognoscendas lites, ad sententiam ferendam: Poetæ etiam non Oratores, Poetæ non Iurisconsulti causis præfuerunt. Sit hoc imprimis documentum stultitiæ Poeteos, cuius principiis progressus reliqui totius causæ consentiunt. Plurimum, inquit, honestatis habere poeticam artem. Huic ego impudentiæ me non opponam? non veniam contra Poetam pro Rhetore bono, ac præstanti? non veniam contra mendacium pro demonstrandâ veritate? non veniam contra gratiam, non honestatis pulchritudine, sed illius specie similitudineque consequutam? Sed hoc idcirco à Poetis commemoratum puto, vt se imperitæ multitudini commendarent: cum Poesim omnes recordarentur turpem, & suos alumnos impuritatum & libidinum sectatores obscænos. At inuentum Poeseos donum est ac munus cœleste. Nam Apollinem & alios huiusce artis filios, inuentores, Linum, & Orpheum protulisti in medium, næ tu, si id non dixisses melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses. Sed nec Orpheus vnquam fuit, nec si

fuisset

fuisset, is à te prædicandus erat, ex adulterio susceptus, & editus in hanc lucem. Quanto clarius principium Rhetorum, qui ab ipso immortali Deo, qui Princeps & auctor est rerum, perennis & inexhaustus sapientiæ fons, orram Rhetoricam & natam ostendunt, vereque commendant? Atque si contendas hoc commune esse Rhetoricæ cum alijs facultatibus, quanto clariora sunt primordia à Ioue ducta principe Deorum, qui cum Apolline & cæteris dijs Oratorio sermone loqueretur, & inuentum poeseos Appollini tribueret, profectam ab oratione soluta planè ostendit, natamque ab arte bene dicendi Poesim tuam? Quòd si Mercurio inuentionem Rhetoricæ multi tribuerunt, eiusne rei adeo videris ignara, vt non intelligas id dictum propter officium Mercurij; qui legatus Iouis à Ioue dono ac munere præcipuè facultatem loquendi, vt eam cum hominum genere communicaret, acceperat? Facultates omnes & disciplinas carminibus poëtas tradidisse dixisti. O incredibilem audaciam! O impudentiam prædicandam! Quo equidem tempore auctores omnes, qui a te nominati sunt, id fecerunt, iam facultate Rhetoricæ, artes has & doctrinas litteris mandatas fuisse, & quidquid carminibus conscripserunt, ab arte Rhetoricæ, fonte & origine rerum cunctarum accepisse, non meministi? neque aliter licebat fieri, nec nisi nostris verbis expressas & illustratas prius legissent & percepissent artes & scientias omnes viri, quos nominasti, scribendo apti videbantur esse, nec illos vllo modo nisi ad tempus conterendum & perdendum successiuis horis, cum à meis studijs, & suis litterarum occupationibus vacabant, ad Poësim animum appulisse constabit. At etiam viros clarissimos, facultatum & doctrinarum scriptores commemorasti: quanquam illos ipsos, quos commemoras, mallem à te silentio præteriri, quam eorum nomini tantam iniuriam fieri. Nam si Poemata aliquando fecerunt, non se Poetas præbere, neque nominari voluerunt. Sed quorum Poesim meministi, non deletam & extinctam scis, & præter aliquorum pauculos versus, illorum omnia poemata perijsse prorsus? Quòd non item in Oratoriæ facultatis scriptoribus factum inuenies: qui manserunt, & manebunt in omnem sæculorum memoriam. Sed quos principes, quos Reges commemoras, quorum multi inopiâ oppressi, nec ad victum quotidianum nummulos, nisi corrogarent, habebant. Et quidem cuius temperantiæ erit, de Rhetorica contra pestem dicentem abstinere maledicto, cum vnum aut

alterum Imperatorem adducis & viros sanctissimos Poetas facis, & illorum scripta nominas, & studium & operam eosdem Poesi dedisse mentiris? Quid hoc est aliud, quam Principum obscurare splendorem, quam Imperatorum gloriam rebus bellicis comparatam, velle humilitate Poeseos obruere, quàm sanctorum vitæ integerrimæ maculas turpitudinis quasi velle aspergere? quis vnquam, qui paululum modo humanitatis & elegantiæ habuisset, in contentione publicâ viros splendidissimos ornatissimosque, quid dicam Principes, & Imperatores, & sanctissimos Heroas in medium protulit, & in concione celeberrimâ nominauit? sed sit hoc inhumanitatis poeticæ, in quo stultitiam incredibilem videte: sit hoc ad alia responsum Poesi, Patres, à Rhetoricâ datum: sit vsos fuisse hos, & quoscunque alios & genere & dignitate, & sanctitate viros præstantes Poesi, vt re procul ab instituto suo alienâ & iocis & ludis vtuntur litterati, ad corporis & animi requiem, dum ad studia grauiora repetenda suos animos reficiunt: quemadmodum nonnulli fructibus aliquot parui æstimatis modicè vescuntur propter gustum solùm leuandum leuiter, qui escis exquisitis & Regalibus semper aluntur. Sed quid habes, quod mihi opponas Poesis elegans & Aulica, vt tuis sectatoribus & alumnis videris, qui cum faciendorum versuum tempore vinum hauriant, & pocula frequentent, tum te elegantem & auliçam dixeris, si ostenderis quomodo vini plenos sis inter sobrios & temperatos productura? sed quid opponas tandem, si negem hos viros à te nominatos carmina composuisse? quibus me testimonijs conuinces? An illorum libris, in quibus tuam fœlicitatem collocas? qui possis? sunt enim omnes propè deleti. Iam inuideo facultati tuæ, quæ te suis præceptionibus hæc animaduertere non docuerit? sed quid est minus non dico artis alicuius, sed neque stultæ mulieris, quam id iactare in magno hominum conuentu, quasi aduersaria negauerit, quod probare non possit, quod obiecerit impudenter? at ego multorum scripta nego, teque in isto ipso conuinco, non audaciæ solùm, sed etiam impudentiæ mendacijque. Quod enim carmen eorum, quo Iurisperitiæ, quo Medicinæ, quo aliarum artium & disciplinarum præcepta traduntur? Non illud est iam ex libris ablatum, ablatum inquam & deletum? Omnis autem tua contentio est, quod de te bonæ artes doctrinæque bene meritæ sint; quòd te tueri defendereque debeant contra Rhetoricem; quod ad defendendum beneficio versuum affectæ suam auctoritatem debeãt interponere. Quasi

non

non plus obscuritatis haberent, quam lucis, Poeseos facultate; quam si non recognouissent, tenebras suis rebus offudisse passæ non essent sermone Poetico, non oratorio: sed cum mihi, Iudex integerrime, & pro me Rhetorice aliquid, & in Poesim multa dicenda sint, alterum peto à te, vt contra illam cum dicam, omnium me mortalium causam agere tibi persuadeas: alterum ipsa efficiam; vt contra poesim cum dicam, illa cum Rhetoricâ decertasse nollet: simul illud oro, si cum Rhetoricæ vim & contentionem in magnis causis noueris acrem ac vehementem, ne me hodie, cum isti, quæ Rhetoricem prouocauit, irasci videor, oblitam esse putes dignitatis: sæpe enim effundam stomachum, neque illam aliquando, vt artem tractabo, vt neque illa me quidem, vt Rhetoricam principem & Reginam celsissimam. Etsi illa nullo modo ars, vel quod ea tractat, quæ pernicioſa sunt Reipub. vel quod ita sui scripserunt, vt nullo modo artis professores videantur; ego sine vlla contentione ars Rhetorica & scientia, & doctrina. Vt igitur intelligeretis, qualem ipsa obtineret dignitatem, recensuit Ducum aliquorum præstantiam, & vnius Adriani solùm dignitatem imperatoriam adduxit. Quæ res non modò non fuit ex aliquâ parte, sed valdè poesi contraria, & planè ignominiosa. Quis enim Imperator præter Adrianum versum a se factum reliquit posteritati? quod si reliquerit, & duxerit amplum & honorificum, an in sepulchris ponendum Imperatorem iussisse putat Poesis, nisi quia orationem sepulchrorum angustiæ capere non possunt, multoq; plura soluta accipiet cohonestata fuisse, quam ligata oratione? Reliqui Imperatores secum Poetas in bellis habebant, vt principes & maximos homines quorum consilio res bellicæ gererentur, an vt administros & communes aliquot & vulgares seruos? Non congruit quod dicit Poesis cum humili suorum poëtarum fortuna conditioneque; non congruit cum illorum obscuro genere, cumque sanguine infimo; non congruit cum inopiâ egestateque suorum extrema; non congruit cum priuata vmbratilique Poetarum vita. Quorum vt aliquos commemorem, maximè poeseos humilitatem Horatius ostendit, qui libertino patre natus honores Reipub. nusquam se consequuturum esse sperauit. Pater etiam Guidii declarat, qui primum filium iuri ciuili operam nauantem, sed tamen natura ad poesim inclinatum, & ob hanc causam a iuris ciuilis scientia abhorrentem relinquentem honorificam iuris facultatem, ad hanc, dum vixit, omissa poetica sæpe reduxit & reuocauit inuitum ac reluctantem

luctantem: quòd non faceret profecto, si Rhetoricæ omnium illis temporibus artium facultatumque honoratissimæ operam nauaret. Idem Ennius testabitur Poeseos princeps insignis, cuius si domum & familiam voluisti agnoscere, parcum & tenuem victum legisti, & vnam duntaxat ancillam ad seruiendum habentem. Sed quoniam illis Poetis quos adducere potuissemus, non est oratoris opus inquinandum, veniamus ad eos, qui è poeticâ facultate habentur lumina clarissima. Homerus vir summâ Poeseos cognitione, summa facultate præditus, versibus his quos fecit, quam obtinuit dignitatem amplissimam, eique illorum, quos nominasti, Imperatores similes, Principesque potentissimi, quàm opem & auxilium tulerunt? Maro quâ concinnitate, quo acumine, quâ grauitate Poesim Æneidos composuit ad Cæsaris decus tendentem spectantemque? Hunc cum Augustus sui generis, & rerum præclarè gestarum scriptorem, omnium Poetarum principem debuisset amplissimis præmijs afficere, serui non illum similem potius, quàm familiarissimi, vel amici esse maluit? Aduentus Principum cohonestantur carminibus, & dies Diuorom honore consecrati; adhibentur quoque hymni ad rerum diuinarum preces. O miseram te Poesim, si non intelligis post maximam temporis partem orationi solutæ tributam id fieri præstarique tandem aliquando: miseriorem si intelligis quæ hæc audis, nos ipsos infatuare volens, apud talem & tantum iudicem dicere, cùm aduentus summorum hominum præcipuè oratoria facultate celebrentur. Cum edicta exibant in vulgus de diebus istiusmodi cum gaudio voluptateque celebrandis, non in primo loco ponebantur orationes solutæ? poeticæ verò compositiones suis demandabantur, & demandantur hodie alumnis, iisque de populo infimo inueniendæ struendæque machinationes, arcus, currus, saltationes ab hominum honoratorum dignitate longè abhorrentes, propriè humilium & in abiectis & sordidis artibus versantium? Cantus Moysis & Psalmi Dauidis concinuntur alternis versibus in Ecclesia. Hi magis ad solutam spectant, quàm ad ligatam orationem. Tua videlicet officia sunt, quæ Rhetoricæ, delectandi mouendique, illustrasque quemadmodum ego, insignibus & luminibus clarissimis, tua poemata. Adeo ne abutrtaoto confessu, sapientiaq; maximorum Rhetorum, & auditorum doctissimorum non te pudet, vt hoc in gymnasio id dicere ausa sis, in quo adolescentum florem, maximis præsidijs & adiumentis ad omnem omnium artium

artium ac disciplinarum lucem & splendorem illustraui, & à Rhetore accepisse tantam claritatem poëtam non semel audiuit, tu tibi nostræ facultatis opes & thesauros arripias & vindices? At etiam ausa es dicere (quid autem est, quod tu non audeas dicere?) carmina tua ad magnos exercitus in bellum incitandos plenas virium ac neruorum fuisse, vtque Laconum tela vi maximâ contorquerentur, in Missenos, robur maximum habuisse. O summam Poeseos ignorantiam! O stultitiam incredibilem! Quis in eo exercitu Laconum miles? quis pedes obsecro? quis eques? quis vllius cohortis, quis vllius ordinis fuit tribunus militum, quis centurio, qui sic ad præliandum tantam vim adhibuit, cum buccinis omnia personarent, & tympanorum fragore percreparent, vt vno carmine succenderentur non bellicis instrumentis, vel allatis prius ab Imperatore solutâ dictione rationibus? Etenim cum hostes Missæni fundendorum non essent inimicorum incerti & suis copijs peditum & equitum multitudine, viribus maximis, & prælijs feliciter antea commissis confiderent se hostiles acies fundere, vim eorum infinitam vulnerare, cædibus castra replere, & ad internecionem vsque delere posse, quis esset, qui ad Lacones excitandos valeret vno præsertim versiculo? Cùm pedites & equites exercitus Laconici haberent talem ducem oculo vno pedeque laborantem, qualis cum ei datus fuit, Laconibus illudere Athenienses voluerunt: & semel atque iterum infœliciter præliati fuissent, nisi quibus ante dixi verissimis firmissimisque belli præsidijs, & solutâ prius oratione confirmati victoriam repertassent. Qui autem tibi venit in mentem tuos poëtas cum nostris oratoribus, & Homerum, & Maronem cum Cicerone ac Demosthene, duobus dicendi Principibus maximis clarissimisque conferre? An ignoras tuos Poëtas in suâ arte euadere non potuisse præcellentes, nisi eloquentiæ præceptis informati fuissent? hoc nec aniculæ delirantes dixissent vnquam, quas quoniam delirare certò scimus, doleo à te Poëtæ furore & amentiâ superatas esse. Tam autem eras excors, vt Ciceronem & Demosthenem & vituperares & tuorum flores, vim & affectus ex illorum arte depromptos animaduerteres, & illos mouendorum affectuum, & florum totâ poësi spargendorum auctores insectareris? Ita quidem quod proprium est meæ artis laudasti, & illarum præceptionum magistros egregios vituperasti. Nam ornatus & ardor est oratoriæ facultatis. Non vides bona Poesis, eos, quos Poë-

tis tuis posthabuisti, harum virtutum Principes & auctores maximos laudari à te; eos, quos commendas, imminui, & de illis nihil, præter versuum pedes à te proferri? Cum præsertim hi etiam pedes ex oratorijs numeris oratorum obseruatione prodierint, & emanauerint ad Poesim obstringendam deuinciendamque. Iam illud postremo cuius est non dico audaciæ (vident enim omnes audaciam tuam) sed quod horret animus cogitare, intolerandæ nequitiæ (quâ vincunt improborum gregem poëtæ tui) virtutis oratoriæ neruos & vires maximas velle elidere, cùm ex Poeseos alumnis prodierint tot scelerati, cùm in tuo grege versentur (O Deus immortalis!) qui scelerum & flagitiorum omnium fuerint artifices? Accuso Ouidios, accuso Horatios, accuso Persios, accuso Lucanos, accuso Virgilium Maronem, tuos omnes Principes & auctores formandæ perficiendæque Poeseos. Confiteare enim necesse est omnes istorum libros idololatriæ superstitionibus, fallacijs & fraudibus, furtis, latrocinijs, vitijs omnibus & impuritatibus libidinum cunctarum scatere. Hæc cum propter tuorum defensionem dicas tam imprudenter, quæ tantorum scelerum multitudinem infinitam videas, quis te non detestabilem, & ex hominum societate, ex vrbibus, Regnis atque adeo ex rerum naturâ tollendam & ad inferos amandandam non putet? Qui magis probi videntur, ij res obscœnas & turpes interponunt, quibus animos inficiunt iuuentutis & ab honestate auocant, vt se libidinum omnium voluptatibus turpissimis sine fræno dedant. Plurimi petulantes, obscœni, molles, effœminati, lasciuis & impuris carminibus animos à pudore & industriâ ad libidinem & ignauiam deducunt. Hæc est tua disciplina; sic tu instituis adolescentes; ob hanc causam te colendam, tuosque Poëtas perlegendos pertractandosque illi curabunt, vt vitam suam in amoribus, & nefarijs voluptatibus transigant? Hanc enim tu vitam illos, rationemque doces clarissimè, & tuis præceptis imbuis, ad se ipsos, & ad Rempub. penitus delendam extinguendamque. Quid ille tuus Ouidius componendis carminibus facillimus agit? quam artem præcipuè docet? quæ tradit præcepta? quid præter amores, libidinum illecebras, impuritates omnes, atque adeo peruersitatem peccandi tradit? si recte Philosophi statuerunt, omnes picturas, quæ possent animos ad libidinem incitare, esse ab adolescentum oculis amouendas, quid erit de carminibus lasciuis & obscœnis statuendum? An vlla reperie-

tur

tur pictura, quæ magis animos in quamcumque se partem conferant, impellat, ad appetendum id quod viderit, & magis illecebras omnium turpissimarum voluptatum excitet, quam Poesis mollibus & lasciuis expressa carminibus? Quidnam homines putarent, si tu in publico, spectante multitudine, gladio astricto insequereris adolescentes plurimos, eos passim interficeres, nisi illi se vi contentioneque nostrâ tuerentur, & Rhetorum adhortationibus grauissimis tuum impetum compressissent? Id passim facis: facis cædes, & quod grauius est, innumerabiles tuis versibus & lasciuijs animos cædens, conficiensque miserandum in modum perdis. Atque equidem si testes ad hoc probandum desiderarentur, Ouidios tuos, & alios eius similes ab inferis excitarem, quorum nemo scriptis suis te passim non concideret. Quid Horatius ea simulatione, specieque falsa virtutis, ad quam sæpè videtur inducere ad Rempub. accessuros, quæ commiscet? quem infert sermonem? quem aures castæ, teneræ præcipuè adolescentum audire non possunt sine animorum offensione perspicuâ. Lucanum bella describentem ciuilia non fabulæ multæ, non libidinum frequens facta mentio, non stupra, non adulteria deorum expressa carminibus turpem reddunt & infamem? An Virgilio ignoscere possum, cui nec in Didonem falsum testimonium coniectum, nec Veneris & cupidinis flammæ, quibus libri flagrant, & ardent maximè, ignoscendi facultatem sine summa quapiam prauitate dabunt? An Metamorphosis Ouidij (ad illum redeo, hic enim maximè præ cunctis animum offendit) an illa ars amandi turpitudinem poeseos & obscœnitatem execrabilem desinet ante mortalium oculos statuere? Quid alios Poëtas Græcos, & Homerum præcipuè, dicam, & hos turpitudinis flammis flagrantibus ardere non aspicies, & vnius præcipuè Helenæ detestandos amores, & adulteria carminibus exprimentem mollibus & obscœnis? At quemadmodum se laudauerit Poesis quàm acutè recordamini. Sic enim inquit Poësis; suauitate perspectâ meos alumnos Syrenas veteres appellarunt, atque eis dulcedinem & suauitatem tribuerunt. Cur tibi potius, quam mihi Rhetoricæ? quod ea præcipuè affluit dulcedine? vide ne illa causa fuerit appellandi tuos Syrenum nomine, quod cùm cantus edas consimiles ijs, quos ad capiendos & conficiendos homines Syrenes illæ edere solebant, tuos potissimum alumnos testati fuerint, illos Syrenum, id est turpissimarum meretricum æmulos & imitatores extitisse.

Tu autem stultissima Poësis, non intelligis, si id, de quo gloriaris, ab omnibus tuos appellari Syrenes, laus sit, etiam ob poësim, ob peccata sua eiectos esse legibus Platonis tuos alumnos poëtas, laudem esse. Quam enim Plato causam attulit, Poëseos è ciuitatibus eiiciendæ, nisi quia Syrenum similes faciem & vultum præferret iucunditatis, & re ipsa suis versibus homines interimeret? Sed stuporem Poëseos, vel dicam pecudis, attendite. Dum Plato legibus Poësim à Repub. eiecit, quia Syrenum similes sint tui, aut scelerati sunt, aut optimi. Constitue nunc Poesis, tuorum, quam velis esse causam: edormi crapulam, & exhala. An faces admouendæ sunt, quæ te excitent tantæ causæ indormientem? nunquam ne statues, vtrum ille, qui legem tantam tulerit, sceleris reus sit, an Reipub. defensor? Excita te quæso paulisper & tuorum, & ad hæc tempora calamitosa patrocinium suscipe. Etenim ego Rhetorice, quæ sum Poëseos aduersaria, nego quidquam esse medium. Confiteor Platonem & eos, qui Philosopho tanto assenserunt, nisi legislator ille optimus, & cæteri iustitiæ administri, tuorum scelerum vindices fuerunt, scelerate fecisse, & dum te, dum tuos eiecerunt, plusquam homicidas, plusquam sicarios, plusquam parricidas appellandos esse: quidem est atrocius magistram virtutum, quam hominem aliquem, aut parentem de medio tollere. Tu Poesis sapiens quid dicis? si boni sunt, Poetæ, si probi tui sectatores, cur eiiciuntur è ciuitatibus, è rebus publicis, è Regnis florentissimis? si inducunt in Rempub. scelera, si perdunt iuuentutem, si cupidinem, si Venerem amandam captandamque proponunt, quod Syrenum similes sint, non rectè eiectos, & expulsos è patria fuisse dicemus alumnos tuos? & Syrenum à te nomine dum appellatos laudas, illorum facta turpissima ad humani generis interitum proposuisse non contendemus? Id etiam illi voluerunt, qui polybi nomine tuos appellarunt, qui mollis & ad gustum suauis est, sed eo mortales adigit, qui vescuntur suis carnibus, vt nihil non libidinosè, turpiter, ac præposterè somnient. Quòd si histriones eiecti fuerunt ab vrbibus bene moratis beneque constitutis, histrionica similem artem non è Repub. eiiciemus? Nunquam equidem prærogatiuis & immunitatibus honorificentissimis Poëtis Philippus Imperator interdixisset, nisi Poetarum veneficia, nisi virus, nisi venena, & pestem vltimam ad Rerumpub. interitum vltimum agnouisset. Appella te igitur (vt concludam hanc refutationis partem) sanctam,

clama

clama igitur & vociferare, homines Deumque testare, te quondam a veteribus sanctam appellatam, & afflatu cœlesti ad poemata faciundum diuinitus excitari tuos. Retexam equidem orationem meam, si me mendacij minimi in te dicti, cùm in me tu plurima & maxima insigniter dixeris & impudenter, arguere possis, tantum abest, vt conuincas. Atque transeo iam ad alterum orationis caput, id est, ad Rhetoricæ laudes, de quibus dum dico; peto a vobis & à te præcipuè, Iudex integerrime, vt quemadmodum me a hunc vsque locum audisti, imposterum me de Rhetoricæ, id est, de mea dignitate & vtilitate breuiter dicturum audias. Atque in me Rhetoricâ laudandâ, quod poësis in magnâ laude posuit, alumnos suos commendans, quorum originem ad veteres Deos & commentitios retulit, non id faciam, sed ad naturam, prouidam atque solertem hominum parentem, quæ simul atque hominem edidit in lucem, eidem homini paulatim progrediente tempore & annis nondum rationis intelligentiâ præditis facultatem loquendi dedit, quam cum ætate, prouehit, auget, & ad suam amplitudinem perducit, referam. Itaque cum multis alijs rebus, tùm maximè dignitate sermonis hominis præstantiam à brutis animantibus rationis expertibus separauit atque seiunxit. Quo quid clarius & illustrius esse potest, & ad facultatis oratoriæ gloriosius? sed cùm duplex sit eloquentiæ genus, vnum cœleste atque diuinum, alterum nostrum & humanum, quis dubitat quin summus præpotensque Deus, quanquam spiritus sit præcellentissimus, cum Verbo, effigie & splendore suæ Maiestatis consilium inierit sæpè de rebus, ad hanc vniuersitatem spectantibus, & maximè cùm hanc fabricam totius mundi in omnes partes immensitate suâ prope interminatam creauerit? Cœlestes verò spiritus, quemadmodum vicissim, tacitis seipsos mentibus alloquuntur; quanquam hac terrestri corporis grauitate careant, quâ sunt cœlestis eloquentiæ magnitudine præditi, & vt commodis hominum, quemadmodum ab immortali Deo sibi demandatum est, & nostrorum & animorum saluti consulant, quâ eloquentiæ vi tacitè mortalium animos alloquuntur, & bonas inijciunt cogitationes, & à vitijs abstrahere, & ad virtutem reuocare conantur. Videntur planè orationem instituere, omnibus eloquentiæ diuinæ viribus instructam, accuratam & munitam argumentis acerrimis & exquisitis rationibus refertissimam, vt homo saluti suæ consulat, & id quod est cœleste, & in omnem sæculorum æternitatem spe-

ctat, duntaxat appetat. Quæ dæmon obijcit imperia, quas illecebras carnis, & corporis oblectamenta offert, quas proponit honorum sedes, & gradus dignitatum amplissimos, boni spiritus refutant & amouent à cogitatione tanquam inanes & citò perituros & innumeris fortunæ telis expositos, infinitis miseriarum & ærumnarum acerbitatibus redundantes. Quid? cum ijdem Christi labores, & cruciatus obijciunt, & hominis eripiendi ex dæmonis faucibus, & ad veterem gloriæ statum, & dignitatem immortalem instituendi gratia, tacitos cum hominibus habent sermones, & intimos animi sensus, vel peccatorum magnitudine, vel inferorum pœnis, vel mortis singulis horis atque momentis imminentis recordatione commouent, & afficiunt vehementer; nonne hæ sunt Eloquentiæ partes, non Rhetoricæ ornamenta, non effectus graues & concitati? quibus cum vtantur cœlestes spiritus, non id signi est, è cœlorum sedibus delapsam, & ex diuinâ eloquentiâ profectum orationis nostræ genus & cum hominibus communicatum? Magno sunt argumento legationes, quas in hominum habitu atque forma cœlestes spiritus obierunt, quas obire profecto sine cœlestis eloquentiæ magnitudine non possent. Id quod veteres voluerunt fabulis significare Mercurij eum à Ioue legatus mitteretur in hæc terrarum sola. Qua de causa id in hominum mentibus insedit, qui peccati grauitate depressi altius ad superandos animos excitare non poterant, donum & inuentum fuisse Mercurij, cum infinitis ante sæculis, à primordijs generis humani, nondum Mercurio cognito, neque inter mortales versante, eloquentiâ homines vtebantur dono ac munere diuino. Neque aliter profecto siue dispersi in syluis, cum more belluarum vagarentur necdum ciuitatum tectis contenti, siue cum ad ciuilem cultum ab Oratore traducti fuerunt, agere sinè facultate dicendi potuissent. Nondum vllæ artes aut facultates erant, nondum bonæ scientiæ disciplinaque cognoscebantur, adhuc homines rudes & impoliti totius cognitionis expertes erant, cum inter illos eloquentia versabatur, solaque regnabat facultas præpotens & excelsa benedicendi: Et qui orationis vbertate copiaque magis affluebat, huic primas reliqui partes deferebant, & eundem tanquam numen de cœlo delapsum summo honore & obseruantia colebant. Hic cum illos dissentientes inter seque decertantes aspiciebat, componebat lites eorum, contentioneſque dirimebat. Quod vsque eò creuit ma-

uit maioribus in dies incrementis, vt ab agresti immanique vitâ iste præcellens Orator & quasi Deus inter homines habitus, viribus orationis dispersam vagamque multitudinem ad cultum ciuilem elegantiamque traduxerit. Quòd ab illis primis deinde temporibus vrbium colendarum tantam vim habuit, vt viri præstantissimi Principesque terrarum eloquentiam principatu & honore semper Regio dignissimam habuerint. Itaque Principes illam omnes, omnes Reges clarissimi, Imperatoresque potentissimi tanquam claram & excelsam facultatem dixerunt imposterum. Et quoniam sine arte bene dicendi aditum ad honores & dignitates Reipub. sibi præclusum adspiciebant omnes, omnes artem oratoriam discendam maximeque colendam à pueritiâ censuerunt. Nunquam enim Duces creabantur, nunquam Imperatores ad ducendos exercitus, ad bella gerenda, nisi vitibus oratorijs muniti fuissent, deligebantur. Testata dico, Auditores, & veterum annalibus consignata: nulla enim vnquam gens, neque tanta humilitate culta, neque tam rudis & impolita fuit, quæ non asciuerit ad suorum Regnorum administrationem claros & insignes Oratores. Atque vt imprimis de Moderatoribus Rerumpublicarum loquamur, & omittamus alias Respublicas, duas consideremus Orbis gentium Principes celsissimas, Atheniensem scilicet & Romanam. Constat profecto Rempub. Athenienſium nisi Oratorem ab incunabulis administrasse neminem. Quod idem vos de Macedonum, de Thebanorum Rebuspub. humanitate, fortitudine, diuitijs, potentiâ, dominatu semper frequentissimo florentibus putatote: sed quoniam in re tritâ, & omnium sermone peruagatâ versor, ex Romanis potentissimis terrarum Principibus, Reipub gubernacula tractaturis, quem mihi dabit Poesis non insigniter arte prius Oratoria commendatum? Filij Principum, & summorum hominum, qui aditum ad Rempub. habere volebant, multo vehementius Romæ ad eloquentiæ studium incumbebant omnes; deinde Athenas bonarum artium inuentrices proficiscebantur, non alia de causa, quàm vt eam, quam consequuti fuerant, dictionem summis & exquisitis Græciæ præceptoribus perpolirent, & perficerent. Qui mos per omnes ætates, Athenas proficiscendi viguit, & retentus fuit vsque adeo, vt post causas plurimas, actas in foro & obtentas cum magna nominis gloria, præstantes iam & egregij Oratores non illam se summam & consummatam eloquentiam obtinuisse arbitrarentur, nisi Athenas inuisendas cura-

curarent, vt id temporis, quoniam iam acriore iudicio & ætate firmatâ fuerant, si quid deerat, quod comprimendum magis, & augendum esset, si quid, quod corrigendum & detrahendum, attentius & accuratius intuerentur. Ita quidem cum Romani nullum ad Reipublicæ gubernacula aditum habuerint, nisi dicendi viribus corroborati, suum imperium extremis orbis terrarum finibus terminarunt bellica, & Oratoria facultate. Neque tam armis, quàm eloquentiæ, non tam militum robore, quàm orationibus ab exiguis ortum initijs imperium ad vltimas orbis terræ sedes propagasse, verè constanterque dicentur. Inde Camilli, inde Scipiones, inde Curtij, inde, vt reliquos omittam, Cæsares, inde Pompeij, qui profectò neque honorum dignitates consequuti fuissent, neque ad res militares gerendas a Romanis delecti Duces & Imperatores, nisi valere viros fortissimos intellexissent, plurimum præsidijs oratorijs, ornata instructaque dictione. Atque hunc morem ad Reipublicæ administrationem deligendorum hominum eloquentissimorum ab alijs Rebuspublicis & Regnis potentissimis acceperunt, iam annos antea innumerabiles ab initio nascentis Mundi vigentem maximeque florentem. Primi enim, vt prædixi, cum nullæ artes, neque facultates adhuc colerentur, & rudes essent & ignari rerum omnium, primi inquam diserti homines tenuerunt vrbium, & populorum gubernacula. In quorum possessionem ingressi quasi iure suo cum crescerent, & augerentur Respub. propagarenturque imperia, multique Reges creandi fuissent ad Regnorum regimen & clauum tenendum, creabantur, & deligebantur, tanquam magis idonei, & rerum gerendarum principes Oratores, qui Reges iam tum dicebantur, & Regum honore & insignibus ornabantur. Videbant enim nihil valere magis ad præsidium & ornamentum Reipublicæ quàm Regem optimum maximo ornatissimoque dicendi genere florentem. Quod sic confirmatum fuit per omnem sæculorum memoriam, vt omissis Homeri Regibus, & illis qui propius à Troiani belli temporibus recensentur, certe constat Philippum Macedoniæ Regem eloquentiæ operam dedisse, quod exemplum quoque imitatus est filius Alexander, multi denique illius successores eadem laude floruerunt. Ac ne omnes Reges oratione commemorem, omnes ferme sic imbutos accepimus, vt omnes Regiæ dignitatis amplitudinem in dicendi facultate positam intelligerent. Iam vero in omnibus liberis populis quemadmodum ea floruerit, semperque do-

que dominata fuerit, video vos omnes multò melius intelligere, quam vt meâ indigeatis oratione. Quoniam vidistis in eâ ciuitate, quæ principatum terræ tenuit, neque quæsturas, neque Ædilitates, neque Præturas, neque Consulatus, neque Dictaturæ summum honorem quemquam consequutum fuisse, nisi dicendi laude florentem, quid factum fuisse putatis, postquam illud imperium in vnius potestatem ditionemque peruenit? Num Principes tantæ Reipublicæ studium eloquentiæ omiserunt? minime quidem. Quis enim primum omnium Iulium Cæsarem candore & nitore orationis splendentem non accepit? quem proximè consequutus fuit, qui mirandâ orationis laude præcellebat, Octauianus. Neque profectò hac dicendi gloriâ caruisse Tiberium veterum annalium scientes negabunt, sed neque Reges non solum propter eloquentiam imperia tenuerunt florentissima, sed infimi quoque obscuris nati parentibus propter splenditam & ornatam orationem dignitates & Regium honorem capere cogebantur, & sæpe clarâ maiorum stirpe procreatis anteponebantur. Non ab alijs potius, quàm ab Athenienſibus & Romanis exempla petantur, qui quondam innumerabiles fuerunt. Ab illis libenter abstineo, breuitatem sequutus, vno contentus Ciceronis exemplo: cui generis obscuritatem, & humilitatem fortunæ aduersarij semper obijciebant; sed ille tantum eloquentiâ suâ perfecit, vt præteritis multis clarissimis viris, & de Republicâ bene meritis, & diuitijs carentibus per omnes honorum gradus ad summum Consulatus fastigium ascenderit. Atque in illis bellorum eiui'ium flammis, quibus orbis terrarum flagrabat, Pompeio ac Iulio Cæsare Imperatoribus, armis hostilibus de Imperio cunctarum gentium vniuerso certantibus, victo Pompeio, fuso, fugatoque illius exercitu & cæteris Pompeianæ factionis Principibus partim in Africam, partim in Hispaniam fugientibus summa belli demandabatur Ciceroni, cum Imperatoriâ propter eloquentiam Oratori tanto simul delata dignitate. Quid amplius de dignitate facultatis oratoriæ dicatur, non video, ad oratorum gloriam immortalem, perspecta præsertim Poetarum humilitate, qui neque honores gesserunt vnquam Reipublicæ, neque valuerunt vllis propter Poesim opibus: cum quid maxime consequuti fuerunt, id erat, quod histriones consequebantur, vt propter agendi venustatem suam, tanquam parasiti ridicula faciente. Principibus grati viderentur. Ille Plautus, cuius dicebant iouem Poeseos facultate, si descenderet

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0271
DFG

scenderet in sola terrarum, vsurum esse, cum hominibus agentem versantemque, in quâ egestate fuit & inopia rerum? Horatius eisdem prope rei familiaris angustijs premebatur. Neque quidquam maius de Homero, de Virgilio, Græcæ Latinæque poeseos Principibus dicere vnquam valebimus: quibus ad scribendum vix otium concedebatur præsummâ extremaq; mendicitate: & inopes & egentes rerum omnium, ad copiosos & locupletes; humiles & obscuros, ad præclaros & illustres; imbecillos & infirmos, ad potentes & excelsos; seruos miseros, & prope mancipia ad Dominos & Principes terrarum comparabimus? Quos neque ad operas sibi sæpe præstandas vellent, neque deligerent oratores terrarum Domini summi præpotentesque? Qui quos volebant emergere è mendicitate, his stipendium statuebant, vt victum quotidianum, non summum pretium, sed quod sufficeret, ne tantam inopiam paterentur. Quamobrem cum oratores audieris, cùm cogitatione comprehenderis, cogitare debes Heroas cultu corporis & vestitus nitore splendentes; poetas contra sordido & obsoleto vestitu amictos: Rhetores comitatu multò stipatos; poetas solos ac desertos: Rhetores in solio sublimi collocatos; poetas priuatos & sine magistratu: Rhetores cum fascibus & insignibus Regnorum, quibus imperant; Poetas illorum ditioni potestatique subiectos: Rhetores ferentes leges, & iura; Poetas accipientes humiliter: denique Rhetores, cum imperio, cum potestate dominantes, vt Poetæ Rhetorum auctoritatem & nutum pertimescerent. Quæ satis sunt, vt de Rhetorum splendore cum audiamus, veneretur etiam Poesis Rhetorem & infra illius pedes seipsam ponat. Quid vero dicitis, cum ad tam illustrem Rhetoris dignitatem ornandam diuinis honoribus & sacrificijs honoratos fuisse Rhetores negare non possumus in multis orbis terræ partibus, celebrioribusque Regnis? Sed satis verborum fecimus de dignitate, transeamus iam ad alteram vtilitatis partem. In qua si multus non fuisse videbor, ignosce Iudex integerrime: nam ex superioribus multa colligere potuisti ad vtilitatem spectantia. Neque enim de dignitate dicere potuimus, quin cum hac parte commoda coniungerentur. Nam si ad oratoris vtilitatem pertinet tempus illud, quod in Rhetoricæ dignitatem incidit, cum homines passim in agris victu ferino vitam propagabant, neque ratione animi quidquam, sed pleraque corporis viribus administrabant; atque

que hoc tempore magnus orator, dispersos homines in agris & in syluestribus abditos, orationis vi compulit in vnum locum & congregauit, & eos exferis & immanibus mites reddidit, & mansuetos, & mœnibus sepsit, & iure deuinxit naturali ac ciuili, vt veteri depositâ feritate, quâ tantum habebant, quantum manu & viribus, per cædem ac vulnera aut eripere aut retinere possent, ad iustitiam atque mansuetudinem facultatè dicendi transtulit. Cum Athenas, Spartam, Thebas, & alias imperiosas nationes, & gentium cunctarum fortunatissimam arcem, vrbem Romam, & illius imperium extremis terrarum finibus contentum, Rhetores administrarent, non in asserendis vtilitatibus, non in constituendis Regnis, non in illorum finibus propagandis versabantur? non hoc præstabant, vt homines leges seruarent, vt suum vnusquisque retineret, vt haberet Respublica pacem & tranquillitatem, vt officium omnes facerent, nemini iniuriam inferrent, ab alienis abstinerent manus, non committerent furta, latrocinia, cædes, qui commisissent, ne abirent impuniti, luerent pœnas legibus statutas? illud sanè moderatores, & Reges Rhetores fecerunt, vt iustitiæ, cuius virtutis fruendæ causa benè morati Reges constituendi fuerant, partes omnes cum absolutione summâ seruarent, neque ad res vrbanas,, non ad virtutes colendas vtilis duntaxat fuit ars oratoria: sed in bellis studium & operam vtilem nauauit, sine quâ caderent multæ Respublicæ, cuius ope multa steterunt Regna, acies maximæ in hostem incitatæ, prælia grauissima periculosissimaque commissa acerrimè, victoriæ prope iam acie inclinatâ reportatæ, & fusis cæsisque inimicis, multis vrbibus & regnis integris ac florentibus captis, ardenti inflammataque ditione fortitudinis trophæa celebrioribus in locis statuta fuerunt. An vero Thrasybulus Athenienſis exercitu comparato exiguo non orationis vi tantum opus attulit, vt incitatis acriter ad pugnandum militibus triginta tyrannorum dominationem intolerandam ab Athenienſi populo sustulerit, exules reduxerit in patriam & pacem confirmauerit lege latâ de discordiarum memoriâ obliuione sempiterna delenda? Quid nofter ille Cicero, cuius mentionem toties fecimus, Pharsalico prælio facto, non acciperet, si vellet imperium Pompeianæ partis contra Cæsarem delatum, nisi desperatis rebus omnibus, & otio volens consulere Brundusium se recipisset, sperans de benignitate Cæsaris, vt in pristinum

num statum restitueretur? Quippe qui improbans semper ciuile bellum, & ne Reipub. deesse videretur calamitosis temporibus, ad ea arma profectus fuit, quæ erant sumpta contra Cæsarem. Sed vt has temporum flammas & incendia renouare desinamus, non ille exercitus omni copiarum genere abundantes duxit? non res maximas gessit? non Proconini prouinciam sortius Siciliam in socium atque amicum Populi Romani Regem Ariobarzanem, ab hostium incursionibus, & latrocinijs liberam reliquit ac tutam, totiusque fere Regni Principum voluntates ab Ariobarzane alienatas Rege reconciliauit suo, & in pristinam dignitatem restituto Rege Siciliam pacauit bellis tumultuantem grauissimis? non sedauit statim Syriæ turbulentos motus allatosque nuncijs, & multorum sermone dispersos nullo prælio, etiam quod mirabile quidem est, commisso? Non eloquentia sua plena animi, plena virium maximarum oratione, hostiles copiæ, quæ in monte Amano consederant, ab eodem superatæ fuerunt Cicerone? Atque cum ille Parthico bello nunciato per locorum angustias, & per Montium altissimorum summas difficultates exercitum ex pedestribus copijs & equestribus conflatum ad Amanum adiunxisset magis consilio & eloquentia, quàm auxilijs bellicis, apud illos, qui audierunt multa de facultate facundiaque præstanti sua milites suos ad signa conferenda, denique viribus incitauit, vt Amanientes hostes nominis Romani sempiternos. Carthaginensium non dissimiles, pertinacia voluntateque delendi generis Romani, copijs omnibus vexauerit, multos occiderit, & cœperit multos, reliquos dissipauerit, incenderit castella munitissima magno pretio, atque ipso aduentu Ciceronisque oratoris hostibus iniecto timore, quod de Pompeio Magno bello Italico confecto Historici Romani memorabile factum posteritati commendarunt. Inde illud consequutum, vt milites victoria parta magnis clamoribus Ciceronem Imperatorem appellauerint apud Issum: quo in loco sæpe, vt ex veterum annalibus accepimus, Darium Alexander Magnus superauit militum internecione magna. Quid igitur restabat eloquentiæ, ad felicem suam secundamque fortunam numeris omnibus explendam, nisi vt triumphum ageret obuiam procedente prius, comitanteque deinde senatu, totoque ad tantam oratoriæ facultatis pompam spectandam sese populo offundente Romano, vt plausu & acclamatione solita, arcubus effectis plurimis, spolijs & manubijs ornatus

natus à porta triumphali, agmine perpetuo in curru sublimis, in veste triumphantis, coronatus Imperatorio diademate ad Capitolium vsque veheretur: sed triumphi non agendi, iam à Senatu honorificentissimè decreti bella Ciuilia inter Cæsarem, & inter Pompeium concitata causam attulerunt. Vos Auditores, animaduertite, & tu præcipuè, Iudex integerrime, quid maius de facultate benedicendi possit oratione nostra commemorari, quàm illam tanto cum honore, non togæ solum, sed etiam militiæ versari videmus. Equidem ille Cæsar, ipse Alexander, cæteri magni summique Duces & Imperatores inuictissimi, nunquam tanta rerum præclarè gestarum gloria floruissent, nisi ad militarem artem adiunxissent eloquentiæ laudem. Hac eloquentia idem Cicero Catilinam scelus anhelantem, pestem nefariè molientem Romanis, & vrbi ferrum flammamque minitantem, ex vrbe eiecit, expulit, & in Castra Manliana cum magna suorum sentina ac peste proficisci coegit. Eadem eloquentia Cicero Clodij seditiosos ac turbulentos conatus, & vim omnem tribunitij furoris in Rempublicam incitatam perfregit. Eadem idem orator fa[illegible]unda leges Agrarias ad patriæ perniciem & interitum spectantes acriter oppugnauit. Eadem ipsâ totam Siciliam vexatam, & spoliatam a Caio Verre afflictam ac planè perditam in veterem restituit statum, C. Verre non accusato solum, sed iudicum sententijs damnato. Eadem eloquentia Cicero in M. Antonium post Cæsaris mortem crudeli dominatu volentem opprimere Rempublicam omnium Principum & Senatus animos compulit & inflammauit, & eosdem in vrbe Augusto recepto dignitatem Imperatoriam tribuere, & tanquam in hostem patriæ arma capere coegit in Antoniũ. Quid plura quandiu stetit eloquentia Ciceronis & aliorum maximorum Oratorum, stetit Romanum Imperium omnibus gentibus ac nationibus gloriosè, magnificeque satis, cum Oratorum, & maximè cum Ciceronis morte cadere paulatim visæ sunt, & ruere miserabiliter opes Romanorum. Quod Agamemnon testatus est iudicio, quod de Nestore prudentissimo eloquentissimoque homine fecisse dictus est, qui cum communicabat consilia, res conferebat ad bellum necessarias de committendis prælijs, de vrbe Troja obsidenda, de premenda vexandaque magis suis temporibus omni machinatione bellica, cum eo prudenter matureque deliberabat. Ita ex Nestoris consilio decernebantur res militares, & omnis summa Reipub. Græca-

nicæ, illius orationis melle ipso ex ore dulciore fluente gubernabatur. Tantam vim habet Eloquentia, non ad vrbanas solum, sed ad bellicas rationes administrandas, & ad omne genus hominum, quo velit, impellendum, vnde velit deducendum. Quamobrem non immerito Hercules, quæcumque contendebat, omnia in suam protinus adducebat potestatem, qui fingebatur eximia præstantique dicendi facultate præditus, & catenula quadam ex summa lingua pendente trahens mirifica singularique alacritate vinctos homines, à fugiendo adeo penitus abhorrentes, cum catenulæ facilæ frangi posse viderentur, in monilium elegantissimorum speciem fabricatæ, vt de præeundo mirabili celeritate properantes decertare viderentur. Neque illæ vtilitates, quæ in forensibus causis agendis, in curia consulendo, decernendoque semper ex vsu Reipub. cum populo agendo, suadendoque salutem communem consistunt, cum tam magni momenti sint, vt ex illis pendeat Reipub. status, sunt omittendæ. Eloquentia enim defendit insontes in iudicio, nocentes accusat, capitis periculum auertit, opprimit improbos & sceleratos, dissuadet leges patriæ perniciosas, & vtiles suadet, senatus auctoritatem consilio & auctoritate conseruat, fert opem supplicibus, dat salutem calamitosis. Quod homines ad honestatem incitat vehementius, quod arcet à turpitudine acrius, quòd virtutem celebrat ornatius quod voce vulnerat improbos asperius non magna laus erit Rhetoricæ? Hoc cum antiquis temporibus ita perspectum fuerit aperte, vt nemini de hac re dubitandi locus relinquatur; in nostris rebus, in nostris hominibus ex summis Regum & potentissimorum Principum negotijs eloquentiam regnantem aspiciamus. Cum ad Reges & Imperatores decernantur legati, cum legationes in aula Romana debeant obiri, cùm in conclijs Theologi de mysterijs nostræ fidei cœlestibus loquantur, cùm concionatores diuini verbi populo virtutem persuadeant, à vitijs deterreant, & excitent ad Beatorum gloriam, non ope præsidioque eloquentiæ munera istiusmodi multitudine innumerabilia, natura dissimili longe dissidentia, & dignitate partim humana, partim cœlesti commendata suscipient? si Pericles ille tonare ac fulgurare dicebatur, cùm ad dicendum de Reipub. statu prodibat in publicum, si Ægesias ille Philosophus ita fortunæ ludibria, tragicos exitus ac vehementer calamitosos dicendo repræsentabat, vt audientibus voluntariæ mortis appe-

tendæ

tendæ cupiditatem generaret, quos obsecro nostri concionatores, si dicendi viribus muniti essent, aculeos in hominum animis infixos & impressos relinquerent? Testes sunt Gregorij, testes Ambrosij, testes Hieronymi, testes denique reliqui sacræ Religionis Doctores, qui admirabili orationis facultate singulares tantas Ecclesiæ Catholicæ vtilitates attulerunt. Atque sic accipite, persuasumque vobis habete auditores optimi, cum hostibus fidei de sacra Theologia mysterijs ita vos disceptaturos esse, sic in medium campum descensuros & reportaturos victorias insignes, si orationis facultate, qua sunt illi præditi, & bella faciunt in cestinâ matri Ecclesiæ, fueritis insigniter ornati. Ergo illi hostes fidei Rhetoricen ediscunt, vt suas fraudes & mendacia defendant; vos eam non ediscetis, vt veritatem & fidem Christi Iesu tueamini? Illi colunt artem Oratoriam, vt vobiscum contendant, & tela iaciant argumentorum; vos vt illis obsistatis & fortiter infringatis in fidem nostram intortas hastas, non ad huius artis studium incumbetis? Illi vt exitium & pestem animis afferant, artis Rhetoricæ facultate abutentur; vos vt salutem, & æternam proximorum animis vitam comparetis, non eloquentiæ viribus vtemini? Illi, vt Ecclesiam Christi Iesu sponsam dulcissimam vulnerent, & plagis plurimis saucient crudelissime, vim orationis conferent; vos vt Matrem Ecclesiam saluam & incolumem ab hostilibus gladijs, & hæreticorum intentis mucronibus conseruetis, non eloquentiæ vires adhibebitis? Illi, vt vitiorum omnium labem aspergant, & hæreseos erroribus, terras & omnia regna contaminent, neruos discendi contendent; vos vt virtutis studium conseruetis, & hæresi resistatis, non totis facundiæ viribus ac neruis contendetis? Illi, vt sanctis omnibus, Virgini sanctissimæ, Christo Iesu, & Triadi celsissimæ bellum faciant hostili odio pugnabunt oratoria facultate; vos vt sanctorum omnium, Reginæ cœlorum, Christi Iesu, augustissimæ, sanctissimæque Triados gloriam & decus immortale extollatis; non laude eloquentiæ multo studio comparata certabitis? denique illi, vt de nostra, cunctorumque bonorum peste agant, oratione pugnabunt, nos, vt perniciem & exitium vltimum, à nostris capitibus, & quod maius est, ab animis auertamus, non oratorijs viribus confligemus? Videte, ne, vt gloriosum fuit sacris Doctoribus, & alijs nostræ fidei luminibus, quam ab Apostolis acceperunt, Ecclesiam eloquentiæ cœlestis magnitudine tueri, sic turpe vobis, quam tanti Principes parentem

magnis incrementis amplificatam reliquerunt, per incuriam vestram vnius Oratoriæ facultatis studio contempto spretoque non posse defendere. Nam si Dialectici, si Iurisperiti, si Medici, si cunctarum artium alumni, dicendi viribus destituti, muti semper & elingues videbuntur, si Theologi expertes eloquentiæ suas opes proferre non poterunt in mediam lucem claritatemque mortalium, si cuiuscumque artis atque scientiæ alumni sine eloquentiæ laude suo officio fungentur nunnunquam, quid est quod pro artis Oratoriæ commodis, & vtilitatibus maximis non laboremus? An vero satest in armentario gladios esse, tela fulgentia, galeas & scuta, reliquaque armorum genera, nisi proferantur, & armati prodeant milites ad pugnandum? An gladius in vagina conditus vsum afferet militi, nisi miles dato signo congrediendi, vix audito clangore tubarum districtum in hostem inferat, & cæsim & punctim ex omni parte vulneret aduersarios? Num arcam habebo loculis pecuniarum refertam, & ad sumptus faciendos, cum opus fuerit, mea vel aliorum manu non expromam? O diuinum eloquentiæ donum! O facultatem omnium rerum generi necessariam! O Solem clarum & illustrem! O mirandam & prædicandam artem, qua præditi, nullis non rebus præstò aderunt, & opportunam opem ferre poterunt: ea destituti quibuscumque artium & doctrinarum ornamentis florebunt, nullam vtilitatem afferre, neque priuatim, neque publicè valebunt. Vos omnes artes & disciplinas, quas Poesis ad suam opem & auxilium oratoriæ facultatis artificio suppliciter implorauit, hortor, moneoque, vt fidem iam pridem Rhetoricæ seruatam, hoc ēt in loco seruetis egregie fideles, & in hanc pestē & perniciem generis humani maximam, in Poesim inquam, turbinem ac procellam præsentis controuersiæ, vos vestras vires, vestrosque neruos fortissimè conferatis. Si ego Rhetorica vobis semper adfui; si ab initio nascentis Mundi nunquam adesse destiti; si vestras res semper ornaui; si diuitias & opes in media theatra Orbis gentium protuli; si luminibus meis illustrandas, si diuitijs augendas amplificandasque curaui; si denique nunquam nisi meis floribus ornatæ, insignibus distinctæ, vi, contentioneque armatæ, aduersariorum vestrorum Sophistarum, & hostium Fidei technas, & machinas depulistis; si telis nostræ artis viribus contortis acies maximas, armis infestis confligentes prostrauistis, & concidistis per omne tempus; si parata sum hodierno die & in perpetuum vobis opem ferre, neque vilis

temporum

temporum iniurijs, vllis procellis ac tempestatibus concitatis, vestræ dignitati, vestro honori, vestræ gloriæ deesse constitui decreuique constantissimè, vindicate iniuriam mihi factam, vindicate tantum facinus, comprimite Poeseos audaciam & extinguite ancillæ profligatæ furores incitatos, & inflammatos in Rhetoricen dominam ac Reginam Orbis quondam vniuersi. Suscipite cum Poesi capitales inimicitias, Rhetoricæ partes studiosè ac diligenter agentes, vt pro dignitate Rhetoricæ, id est, pro veritate propugnantes, iustitiæ decus illustre tueamini, post nato homines pro tuenda nostra facultate nulla simili in iudicio cunctarum artium & disciplinarum in audacem & furentem Poesim perspecta coniuratione. Quarum iustis inimicitijs & odio animaduerso, Iudex integerrime, Poesi damnata ablegataque ex hominum societate, & in exilium acta perpetuum, pro dignitate Rhetoricæ, quam ego spero, quam vos contenditis artes, disciplinæque clarissimæ, quam auditores omnes expectant, iustam ac debitam sententiam, commendandam sæculorum omnium posteritati ex legibus & iustitia bonus & integer peto non solum, sed enixe contendo, ferre non desinas. Dixi.

Oratio in laudem Medicinæ.

Ex superioribus Argumentis.

CVm propter præclaram & insignem in corporis humani custodienda salute, tam multos, egregios ac mirificè fideles Medicinæ alumnos in omni terrarum parte feliciter habuerimus omnes, sperare possum vos Auditores, ad hanc orationem de tantæ facultatis laudibus habendam, vestros animos summa cum benignitate excitaturos esse. Nam si de quocunque homine bene meriti Principes, illius gratam ac memorem beneficiorum voluntatem, cum ad gratiam referendam impar ea videatur, & quidem merito, quasi vinculis astrictam habent; ad homines in omne mortalium genus beneficos ac liberales, propter salutem præclare conseruatam, sine qua iacent omnia, & nulli mortalibus vsui videntur esse, non illi facultatibus & opibus perfrui, non honoribus, nec dignitatibus fungi possunt, quàm parati debemus esse, ne referendæ gratiæ datam occasionem è manibus abire patiamur? Quod si quære-

re nos tempus aliquod, & aucupari debuissemus ad gratorum voluntatem animorum ostendendam, hoc fuit sane diuinitus oblatum, cum de Medicinæ præstantiâ, de suis commodis & beneficijs in genus hominum collatis, & de iucunditate rerum, in quibus versatur, necessitas fuit imposita nobis, pro demandatâ de facultatibus alijs disciplinisque prouinciâ studioque in tanto doctorum hominum, & principum maximorum circumfuso consessu dicendi: Neque enim æquum est profecto, nec fas esse quisquam existimabit, in suis gymnasijs, & theatris amplissimis commendatâ Iurisperitiâ, sacraque ex ordine Theologiâ, quæ illarum socia est, & comes in omnibus academijs, facultatem medendi iusto ac debito honore priuari. Quanquam enim ad sacram Theologiam, nulla scientia sit, neque disciplina comparanda, tamen cum cœlestem hanc disciplinam in locum honoratiorem commendandam reseruemus, suo tamen loco, suo tempore, illius, quæ de vniuerso genere hominum bene merita est, Medicinæ non debemus, nec possumus sine iniuria quidem obliuisci. Quare dum de rebus à me propositis, ac primum de Medicinæ excellentia dico, benigne quæso meam & attente orationem excipite. Atque vt nobilitas à primis suis incunabulis ostendatur, à Dijs originem suam claram & illustrem Medicinam traxisse constat. An Hebræos, an Græcos, an Ægyptios volumus testes locupletissimos? Hebræi, qui plurimum veritate valent, Adamum primum humani generis parentem diuino numine facultatem istam adeptum fuisse scripserunt: quod etiam posteritati commendatum reliquit Princeps Platonicorum Marsilius: reliqui vero homines Deorum inuentum ac munus singulare constantissime confirmarunt, plurimisque consultis & acceptis Deorum oraculis constitutam & confirmatam ad hominum salutem & incolumitatem. Apollo autem gloriatur se primum inuenisse artem medendi: qui vero minus tribuerunt huic facultati Mercurium inuentorem, auctoremque fuisse tradiderunt, plurimis ab eodem herbis salutaribus inuentis, & ab eius præcipue nomine ad aluum purgandam spectante Mercuriali, qui etiam verba secum Vlyssi tribuisse fertur ad Circes veneficia fraudesque fugiendas, istius herbæ virtute mirabili. Omitto Arabem Apollinis filium, quem in Deorum numerum ascriptum multi scripserunt ob Medicinæ singularem ab Apolline cognitionem acceptam, quod & nominis præstantia constantissime

tissimè confirmare studuerunt: cùm Apollinem quasi dono quodam ac munere diuino vatis officio functum fuisse non ignoremus. Prænoscit enim Medicus aduenientes morbos, & ex præsentibus signis, quasi vates & futurorum scientissimus prædicit morbi grauitatem, diligenti diuturnaque obseruatione. Atque hic prætereo, quæ de Cadmo Agenoride, quæ de Chirone Centauro, quæ de Seraphi, quæ de Æsculapio, literis commendata sunt. His enim sacrificia fiebant, his honores diuini tribuebantur propter inuentas nonnullas herbarum radices. Qui minus profecto tribuerunt Medicinæ, Reginæ illam Osiridis inuentum dixerunt; a quibus reliqui inuentores & auctores ducti sunt, & prædicati plurimarum & salutarium herbarum. Sed quid ego amplitudinem huiusce scientiæ Deorum & maximorum Heroum dignitate confirmo? Cum Assertor humani generis Christus Iesus & Medici nomine, & honore affectus fuerit, & idem vindex nostræ libertatis morbos ex humanis corporibus ægritudinesque depulerit sua cœlesti diuinaque virtute. Atque cum hominibus versatus, cum posset cæco à natali die restituere oculorum aciem, vno verbo, ex luto medicinam fecit, & sputo concinnatam admouit oculis hominis iam pridem tot annos antea videndi claritate priuato. Quare ipse Christus Iesus Medicorum pharmaca ex diuersis Medicamentis conflata, neque simplicia solum, visus est approbare. Quamobrem Medicinam sacris literis comprobatam quis non multis in locis inuenit, cum ei, qui vulneratus fuerit, operæ restituendæ sint & impensæ in vulnere sanando factæ Moysis auctoritate præcellenti? Cum arbores illæ Ezechielis, quæ confitæ sunt ex vtraque parte ripæ vestitæ non solum amœnissimè viderentur foliorum iucundissima viriditate, sed refertæ omnis generis pomorum vbertate fœcundissima ad anni quodcunque tempus; atque folia cum ad arborum vestitum, & fructus vberes ad victum quotidianum spectarent, tum illa plurimum habebant vtilitatis ad medicinam humani corporis salutarem? Cum Hieremias etiam resinam proponat ad medendum aptissimam, & Medicos ad morborum depulsionem, vulnerumque curationem? Cum denique Ecclesiasticus amicum egregiè fidelem ad Medicum comparet, vt mœstitiam depellat, afflictum consoletur, iacentem subleuet, consternatum erigat, & instar optimi Medici pharmacis quasi salutaribus adhibitis in veterem statum cõditionemq; restituat?

Cùm ſpiritus ipſi cœleſtes, vt ex eiſdem ſacris annalibus accepimus, Medicorum officia facere minimè contempſerint? Nonne Raphael cœleſtis Thobiam docuit exenterare piſcem, atqi illius cor, fel, & iecur ad medicamentum vtile ſalutareque conferre? Quid Soſomenus apud Caſſiodorum teſtatur? Audite, audite, Patres, rem magnam, & admiratione digniſſimam. Aquilinus quidam cum graui febri æſtuque iactaretur, quæque in ventrem inferebat, continere non poſſet, ſed euomeret confeſtim. ſimilis prope iam morientis, Conſtantinopoli (quæ notiſſima ciuitas propter amplitudinem & celebritatem ſuam) in D. Michalis delatus eſt; Orare ille ſummo ſtudio ac religione, miſcere precibus lacrymas, & in eo perſtare magnopere non deſtitit, vt ſui tot ante dies, grauiter ſemper, periculoſèque ægrotantis B. Michael miſereretur, & cuius rei cauſa venerat, ope ſua cœleſti morbum depelleret. Mirandum equidem ea, quæ conſequuta fuit, nocte; viſus eſt Aquilino B. Michael, & ipſum ægrotantem ex vino, melle, & pipere conficere medicamentum iuſſit ad valetudinem recuperandam: quo priſtinæ valetudini redditus fuit ac reſtitutus. Quid iſtud medicamenti? quid obſecro præſcriptionis fuit? An vero minore virtute cœleſtes ſpiritus ſunt, quàm Chriſti Ieſu Martyres, quàm ſanctiſſimi viri ſuperſtites adhuc memoria ſua, & agentes cum hominibus, vt ab immortali Deo non ſuis precibus impetrent veterem ſanitatem morborumque curationem? An vero hoc Agneti? hoc D. Rocho? hoc Sebaſtiano, hoc alijs multis noſtræ Religionis Heroibus ſanctiſſimis datum fuit, atque conceſſum, vt nullus tam grauis & periculoſus, tam mortifer ac lethalis morbus haberetur, quem ſuis precibus, & multis magniſque miraculis editis non depulerint, & hoc Michaeli Principi diuinorum ſpirituum, depulſori Luciferi reliquorumque ſectatorum non tribueretur pro ſuis multis maximiſque meritis, proque celſiſſimo, quem in cœli ſedibus obtinuit ſupra reliquos cœleſtes ſpiritus, principatu? Niſi vero difficilius erat vni duntaxat priuato mederi, quàm in Gargani ſummo vertice beſtiam immanem commorantem & tantam in dies ſtragem edentem, & carnificinam mortalium implorato ſolum Michaelis cœleſti ſubſidio confici, & ex illius animalis truculentiſſimi ore & faucibus infinitam multitudinem liberari: niſi denique glorioſius erat honorem ex vnius hominis ſalute illuſtrem & decus immortale deportari, quam ex Eccleſiæ militantis

tantis patrocinio & cælesti virtute conseruatâ tot hominum in dies religione mirificaque pietate deferri sempiternos honores. Fuit hoc, fuit diuinitus & speciatim obseruatum, vt ex officio præscriptione que præsenti Medicinæ dignitatem agnoscerent mortales. Atque illa, quibus generi Hebræorum interdicebatur præcipiente Moyse, si tanta fuissent audacia, scelereque inquinarentur Hebræi, vt comedere non vererentur, mores pernicioso & infestos saluti corporis contrahere censebantur, quantam huic facultati gloriam & dignitatem afferent. Quamobrem mirari desinamus ad eam amplitudinem & dignitatem euectam fuisse Medicinam, vt illam Principes potentissimi, vt Reges terrarum clarissimi, Monarchæ cunctarum gentium ac nationum, atque ipsi Imperatores non honoribus solùm decorare vellent, sed ad illius studium omni Corporis & animi contentione incumbere: si de Medicinâ etiam, & in Medicina semper gloriarentur, & vellent dici semper & haberi præstantissimi scientissimique Medici: si denique facultatis istius amore studioque capti summum honorem & planè Regia Maiestate dignissimum duxerint ad sui nominis gloriam immortalitati commendandam, ingenio, ac facultate medendi, posteritati consignata monumenta relinquêre. Atque omitto Reges Ægyptios, Apim scilicet, Osyrum, Isidem. Taceo Herculem, Theseum, Iasonem, Achillem fortissimum Græcorum, Patroclum Achillis amicissimum familiarissimumque. Omitto Cadmum, Masinissam, & Iubam Numidarum Reges potentissimos. Quid Antiochum Syriæ Regem, Dionysium Siciliæ tyrannum commemorem? quid omnibus bonorum copijs affluentem Attalum Regem Pergami proferam? Vt innumeros alios omittam, ille victor orbis terrarum Alexander Maximus, non Medicinæ solùm studiosissimus fuit, sed scientissimus, atque inter acies & horrificos armorum tumultus amicis medendi scientia opem tulit ægrotantibus, medicamenta præscribens, & adhibens plurima salutariaque pharmaca. Cuius exemplum sequutus Lysimachus Rex ita Medicinam coluisse dictus est, vt herbam inuenerit morbis depellendis vtilem, & à suo nomine appellatam Lysimachiam. Quanti Medicinam habuerit Salomon ille sapientissimus, sciunt, & testantur Theologi, qui tam multiplici variaque rerum cognitione præstitit, vt nihil ex omni rerum scientia non mente comprehenderit. Quid enim desideramus in sapientissimo Salomone?

an scientiam herbarum? an volucrum & piscium? an Orbis terrarum situs & circunscriptionis cognitionem? an volumus illum tenere vicissitudines mutationesque temporum? an stellarum cursus? an cœlorum conuersionem? an animi varietatem? an animalium naturam? an vires bestiarum? an vim ventorum? an plantarum diuersitatem, virtutem & efficientiam radicum? an humani corporis compositionem, & fabricam ex omni parte tantâ mirabilitate congruentem? an quæcunque recondita sunt, & abstrusa, & ab hominum acri intelligentiâ remotissima? omni varia multiplicique scientia donatus fuit & ornatus Salomon. Hinc facile erat agnoscere, quanta fuerit Salomon scientia præditus, qui nullius rei cognitionem absolutam non obtinuerit. Quod si Regibus accedant Imperatores, Imperiorum latissima potentissimaque ditione florentes, Augusti, Tyberij, Adriani, Titi, Constantini, Iustini, ad quantam amplitudinem peruenisse dicitur, illustris, glorioſaque medendi facultas? sed iam fortasse quidquam quod incredibile videbitur, spectate, illi Pontifices Romani, Vicarij Christi Iesu ad Dominum in terris, cœlesti potestate propius accedentes, & à Domino tanta facultate ac potestate tributa, claudentes & aperientes sedes & domicilia cœlestis aulæ mortalibus, ad cuius pedes Reges & Imperatores abiiciunt diademata Regnotum auri splendore fulgentia, cuius ijsdem osculari pedes ad genua prouoluti magnum & amplum semper duxerunt: ij certè numero non pauci facultatem medendi satis præclarè tenuerunt. Ex quorum numero fuit Pontifex ille Nicolaus V. hoc nomine, nunquam pro dignitate satis laudatus. Accepimus quoque Eusebium post obitum in sanctorum numerum ascriptum eadem medendi arte præcelluisse: nec silebitur profectò vlla sæculorum memoria hoc nomine secundus & vigesimus Ioannes, cuius celebrantur libri canonesque Medicinæ, & alia multa ingenij monumenta, quibus ars medendi creuit plurimùm & locupletata nouis diuitijs, & opibus Medicorum insigni scientia præcellentium. Neque dicere de Paulo II. desinemus, qui in curia Romana ægrotantes libenter inuisebat, consulebat eorundem arterias, & morbos adhibitis medicamentis salutaribus depellebat. Quare Ciconiæ similem Medicinam veteres censuerunt, & istius auis simulachro illius præstantiam potissimum testatam consignatamque reliquerunt. Nam præterquam quod insigne Regum sit, & in sceptro summo collocatum monu-

monumentum pietatis, tum Deum immortalem præferebat, cui Medicinæ donum scriptores referebant acceptum. Quare si ex superioribus facilè perspicitur dignitas huiusce facultatis, quis est, qui in tam illustri conspicuaque arte. Medicinæ vtilitatem non inclusam coniiciat? Quæ cum morbos ægritudinesq; depellat, & corpora mille confecta doloribus ac vulneribus in veterem sanitatem restituat, quid hac facultate vtilius, cum etiam occurrat ægrotationibus futuris, & ex corporis signis obseruet grauitatem aut leuitatem morbi, cum constituat corporis partes malè affectas, & pharmicis conseruet constitutas, & ex ætate ac robore medicinam adhibeat, quæ magis salutaris esse videbitur, & hominibus vtilior? At quemadmodum iubet eadem facultas à noxijs hominem abstinere, vesci salutaribus, & suis temporibus, atque præfinito: quod si fines aliquando transierit ægrotus aut se cibo, vinoque compleuerit, vt humores crassi pestilentesque contrahantur, inde febres assiduæ, grauissimæ vehementissimæque, quemadmodum cum accersitus est Medicus, suæ facultatis ope morbum difficilem depellit, & paulatim suis gradibus, eo vsque ægrotantem perducit, vt conualescat, qui proculdubio erat moriturus alioquin? Quot autem sunt genera morborum, totidem, & multo plura sunt medicamentorum quibus humanæ saluti consulitur facultate Medicinæ. Vt enim omittam illa, quæ communia sunt Medicorum, suis interdicere ægrotantibus cibo potuque; id temporis præfinire, quibus illi vertantur, escas vtiles & salutares; exonerare ventrem grauitate ciborum intoleranda; scindere, quoties opus sit, venam; potionibus, & purgationibus vti differentibus, aut pilulis ex rerum varietate solita concinnatis & auro leuiter illitis ad acerbitatem perferendam, quam infinita sunt medicamentorum genera a Medicis excogitata? alia ad lassitudinem membrorum leuandam, & ad dolorem leniendum maximè prosunt: alia, quæ ebrietatem prohibent, & discutiunt: Alia sunt, quæ sitim famemque depellunt: alia, quæ frigiditatem coercent & sistunt: alia quæ laxant & exinaniunt. Quot venenum expellunt, propulsantque? quot siccandi vim habent? quot aliquo liquore in ore retento crebra reuocatione (quod vulgò dicitur gargarizare) colluunt, & humorem per os euomunt, & proiiciunt foras? Quid dicam de illis, quæ reficiunt vires & instaurant conflictatum totius corporis statum? si quis grauibus & altè factis vulneribus sauciatus est, eadem vulnera

compleu-

complentur & abstergunturBibit homo aliquanto plus, quam corporis imbecillitas perferre possit, lacessere poterit ſt machum & prouocare Medicinæ præscriptionibus: ſi quis partem aliquam referendi, aut aperiendi vim habere voluerit, ſi etiam placidè, blandeque remittendi, ſi doloribus corporis carere, ſi cruciatibus assiduis non torqueri, ſed acquiescere & liberari tandem mortis periculo, ab arte medendi, facultatem & opem petemus. Quòd accidere plerumque solet in grauibus periculoſisque morbis, vt totas noctes homo traducat in omnes, neque vllum capere possit somnum, anxietate nimia corporis, & debilitate cruciatuque membrorum, numeret horas omnes, & punctum temporis minimè requiescat, Medicus huic malo medebitur remedijs soporem accersentibus, ac ſi necesse ſit ad aliquod tempus, ſtuporem ſenſibus. Sed age, quid adolescens magis desideras, quàm naturalem oris pulchritudinem, ſuauitatem coloris & viriumintegritatem tueri? huius ope facultatis habere poteris. Tu etiam, qui faſtidis omnia ſæpe conflictatus grauitate morbi, neque adduci potes, quæcunque ante oculos ciborum genera ſtatuantur ad porrigendam manum in patinam, & ad cibum ſemel admouendum ori, tantum abeſt, aliquantulum vt appetas, vis guſtum explere, ſume, quæ Medicus præscripſerit, & auidiſſimè iucundiſſimeque vescetis. Sed ingreſſus fuiſſe videor in medicamentorum genera, & quod hominis parum prudentis eſt, omnia persequi velle dicendo. Quòd quoniam infinitum eſt, & planè temerarium propter multitudinem ſuam infinitam, iam cenſeo relinquendum. Quoties deſperata valetudine vidiſtis homines, & iam iam animam exhalaturos: quot habitos pro mortuis, & comparari iam ad funus omnia: agi iam de veſtitu mutando, de lugubribus & atris veſtibus comparandis, de ſepeliendo homine, & iam nihil prope reliquum eſſe, niſi vt ad funus eonclametur, & vnius boni virtute Medici priſtinæ valetudini redditos reſtitutoſque videtis? Teſtis eſt, vt omne genus hominum omittam, vna Hiſpalis, quæ peſtilentia graſſante confecta fuiſſet omnino, niſi bonorum adiuta fuiſſet medicorum remedijs præſentaneis. Sed quid corpori duntaxat conſulere contendo Medicinam, cum morbos animi curet, & depellat inſigniter, quo in celſiore loco laus illius poſita debet eſſe. Quare ſi magnum eſt corpus liberari Medicorum auxilio craſſis humoribus, multo magis erit animum liberum ac vacuum reddi perturbationibus, quibus

oppreſſus

oppressus veritatem inuestigare non posset, neque consequi scientiarum arcana recondita. Vt equidem oculi rectè curari non possunt, nisi totum corpus præclarè constituatur purgatione; sic equidem neque corpus valere, nisi bene sit affectus animus ad suum officium rectè fungendum, Medicorum Coryphæo testante Galeno. Quod cum Christianâ disciplina congruere videtur primo Adami statu fœliciſſimo, & post illius defectionem turpiſſimam, altero in memoriam redacto. Quid fœliciùs Adamo cùm nondum arboris vetitæ fructus attigisset? Quid infœliciùs post teterrimi serpentis haustum venenum? continuò morbi, malorum agmina, pertubationes violentæ, labes animorum, non Adamum solùm, sed totam posteritatem inuaserunt. Quamobrem Ægyptiorum sacra dignitate ornati, ita sacerdotij honore decorabantur, si medendi scientiam magnam habuissent. Ita quidem ad conseruandam iuuentutem castam & integram, ad indomitas libidines coercendas pharmaca præscribunt Medicinæ professores admodum apposita. Et his rebus interdicitur alijs hominibus, alijs vescendi facultas datur. Quot sunt herbæ salutares obseruatæ ad appetitum libidinis sedandum? quot vt pernicioſæ prohibentur escæ, potusque mentem animumque perturbantes, & adeo iudicio constanti hominem rationemque spoliantes? Quæ si vera, si testata sunt ad animi lætitiam cohibendam, ad frænandas cupiditates, ad reprimendam iracundiam, ad alias perturbationes comprimendas remedia præclara satis & consentanea reperientur in Medicinâ. Quid quod ex vitijs sæpè contrahuntur morbi, & ad desperatam valetudinem homines perueniunt, atque adeò ad mortem frustra remedijs omnibus tentatis festinant celeriter? Medici ægrotos sui periculi admonent, admonent officij, quod facturi sunt, vt in gratiam cum Creatore suo redeant, vt expient animum per confessionem, & reliquis se sacramentis ad animi discessum è corpore, ad alteram vitam in quâ salus est, & gloria animorum sempiterna posita comparent atque præmuniant. Id quod homines boni faciunt libenter, & testamenta condunt, & animis diligentiſſimè sanctiſſimeque consulunt. Quod si non esset istud officium Medicinæ, cura quidem humani corporis conseruandi mortalium animos exsuscitaret ad animum diligentem & accuratius explorandum, & in amicitiam diuinam reducendum restituendumque. An verò tantæ curæ sit mortalibus corpus istud, quod cum brutis animantibus commune

nob-

nobis est, & animus contemneretur ad immortalis Dei similitudinem formatus tanto interuallo præstantior? vita huiusce sæculi tanti habebitur, repudiabiabitur immortalis Beatorum fœlicitas? diuitiæ fluxæ perituræque congerentur, æternæ & in perpetuum duraturæ non appetentur? ad relinquendos filios diuites & copiosos fiet statim testamentum, ad hæreditatem cœli comparandam negligentes & desides erunt mortales? corpus sepeliendum iubebitur honorificè, vermibus absumendum breuiter, animus non locupletabitur Sacramentorum diuitijs, vt beatorum splendore circumfusus sæculorum omnium immortalitatem consequatur? hæc cura profectò solicitos habet & anxios id temporis homines præmonente Medico, vrgente necessitate, illis prementibus admodum angustijs, vt rerum omnium humanarum obliti, recordentur solum, quæ propria sunt, & peculiaria duntaxat animi, & ad immortalem sanctorum gloriam maximè pertinent. Quod autem Medici euaserunt sanctissimi, & omnibus virtutis numeris absoluti? quot post vitam in sanctorum numerum ascripti? quot partim in Confessorum, partim in Martyrum ordinem celsissimum relati fuerunt? Dies me deficeret profectò, si vellem multitudinem infinitam oratione reliqua commemorare: sed vos recordamini Vrsinos, recordamini Cosmas, & Damianos, recordamini Eusebios, recordamini Panthaleonem in vita animi fortitudine præcellentem. Recordamini, (vt alios innumerabiles præteream) gloriam & decus maximum Euangelistarum, Virginis Mariæ studiosissimum Lucam: recordamini denique principem Sanctorum, filium Patris æterni, Medicum cœlestem atque diuinum, qui non herbis, sed verbo sæpissimè vno, non multis pharmacis, sed voluntate nutuque ægrotantes curauit, & multos à mortuis excitauit: & quantum opis & auxilij sit, ad vitiorum viam relinquendam & ad virtutem percipiendam colendamque in Medicinæ facultate cognoscetis. Cùm verò iucunditas quæratur, non aberit ista profectò à medendi facultate plena delectationis, plena voluptatis. Quantam afferet voluptatem videre oculis, mente inuestigare, iudicio consequi pulcritudinem & varietatem, & efficacitatem plantarum, herbarum & florum, quos tum diuturna periclitatione notarunt, & obseruarunt, ad suam artem exercendam cum vtilitate miranda Medici? Quid cum Medicus violas, quid cum rosas, cum lilia, cum radices tam multiplices ad Medicinæ exercitationem conferat,

ferat, tam multis perspectis & cognitis mirificis vtilitatibus? Quid cum ille syderum vim obseruet? Lunæ varietatem teneat? agnoscat temporum vicissitudines, & mirabilem corporis humani fabricam, illam venarum toto corpore diffusarum connexionem congruentiamque, escarum transmissionem, & decoctionem singularem, quique omnis generis alit animantes, elaboratum & purum sanguinem, quanta voluptate perfundi necesse semper erit Medicum? Quod si quæstus maximi, si reddita ægrotanti salus, si nominis gloria consequuta, si dici scientissimum & optimum Medicum, si cunctorum digitis indicare, si mortalium celebrari sermonibus, si accersiri ad graues mortiferosque morbos, si ad locupletum, ad nobilium ædes, ad principum palatia vocari, si curante tam præcellenti Medico, vniuersam instare ciuitatem, ciues omnes viuere consideremus, quid hoc iucundius, quid voluptuosius esse potest? Mittamus sacram cœlestemque disciplinam, ad quam nulla comparanda est, quæ scientiæ ad medendi laudem conferendæ sunt? Iurisperiti facultates hominum defendunt; Medici corpora mortalium curant & tuentur: Iurisperiti præsunt rebus publicis; Medici Præfectos & moderatores saluos & incolumes conseruant: Iurisperiti lites contentionesque dirimunt; Medici dissidentes valdeque perturbatas humani corporis partes constituunt: Iurisperiti pacem afferunt, mores componunt; Medici motus turbulentos & saluti contrarios sedant, & homines à vitijs proposita morbi grauitate deterrent: Iurisperiti in legibus, in decretis, in consuetudine seruanda versantur; Medici in diuersarum ægritudinum natura ratioque cognoscenda desudant: denique Iurisperiti iustitiæ seruandæ modum, Medici vitæ, humanæque valetudinis tuendæ præscriptiones tradunt. Sed demus abesse morbos, non febribus assiduis, non capitis, non lateris dolore conflictari homines, saluos omnes & incolumes esse, hanc tamen tantam salutem & incolumitatem, quis tuebitur nisi Medicus? quis conseruabit, nisi suis Medicina remedijs? O præclaram medendi artem! O Medicinam omni laude celebrandam! O præclarum & singulare Medicorum munus! Quis obsecro nisi barbarus & impolitus, & prorsus nihil humanitatis habens, audebit quidquam de Medicorum facultate detrahere? At hominibus moriendi quidem necessitas imponitur, & ea lege nati sunt, vt serius, aut citius tandem occidant; Quid quod innumeris fortunæ telis exposita est humanæ vitæ ratio &

tio, & omnes tandem ad mortem gradibus suis tendimus? quod nationes multæ cum cognouissent, diem natalem lachrymis ac mœrore prosequebantur, obitum cuiusque hominis, cantu & deliciarum omnium ac iucunditatum comite saltatione. Quid quod multi miserias & ærumnas huiusce vitæ planè recognoscentes, aut mortem sibi consciuerunt, vel optarunt tandem aliquando ex his corporis compagibus solui? Quid denique, quod multi præstantia sanctimoniæ clari morbis admodum grauisi fuerunt, sicut & D. Petrus cum posset B. Petronillam, quâ premebatur morbi grauitate, liberare noluit? Scimus B. Franciscam, non ante à sæculi vanitate reductum fuisse, quàm in morbum grauissimum incidit. Quid dicemus de Beatissimo Patriarcha Ignatio, Principe Societatis IESV, & Patente sanctissimo, qui iacens in lecto & grauiter ægrotans ab eiusdem sæculi prauitate ad veram absolutamque consiliorum Christi Iesu rationem transijt? Quid ergo tantis laudibus Medicinam tollimus? multi equidem imo ferè omnes, quin in Deum immortalem scelera suscipiunt, integra profecto salute sunt, & nisi morborum grauitate conflictentur, suorum illos non pœnitet flagitiorum. Non nego mortem cuicunque hominum generi præfinitam esse: sed nullum in nostram salutem & vitam imperium habemus. Adde quod temporis præfiniti insciji sumus & ignari, & quoad Deo collibitum fuerit, nostræ debemus incolumitati consulere: si vitam innumeris videmus circumuentam periculis, quæ potuerimus diligenter vitemus, quæ vitari non possunt, patienter feramus. Paulus & alij melioris vitæ, scilicet cœlorum gloriæ consequendæ causa, vitam hanc citò perituram amittere cupiebant, vel potius istius breuitatem, cum infinitâ cœlestis aulæ gloriâ, & Beatorum immortalitate commutare. Cum excedit aliquis vir, eximiâ sanctitate præditus, cur illi gaudium & lætitiam maximam capere non liceat, quod miserijs & periculis liberatus ad fœlicitatem Beatorum euolet sempiternam? At B. Petrus id fecit, quod feciſſe dicis, quia filiæ suæ potissimum intererat id fieri. Sed non omnes ad eandem conditionem admittendi, ne morbis plus detrimenti capiant, quàm emolumenti. Non omnes æquè affecti sunt, nec pares viribus & animi robore præstantes ad labores, ad cruciatus omnes fortiter sustinendos. Quod si scelerati sæpè valent, illud est improborum, qui donis Dei singularibus ad nequitiam abutuntur. Tolle artes omnes, tolle mercaturã, tolle Iurisperitiam,

tolle

tolle postremo quodcunque genus boni, quod Deus immortalis generi hominum impertiat: nam omnia scelerati in suum exitium & pestem vltimam conuertunt. At in rebus infimis & sordidissimis Medici plerumque versantur, quas fugit ac reformi at oratio dicere. Imò vero ob eam causam maiore laude dignissimi sunt, quod vt hominum temporibus seruiant, & omnes angores & solicitudines detrahant, vt liberent illos cruciatibus corporis intolerandis, & morte singulis horis ac momentis imminente, sese adeo demittant, & abiiciant. Sed cùm id obiiciat aduersarius, non illi venit in mentem sordium viarum, sterquilinij, atque adeò fœtoris intolerandi locorum vrbis plurimorum, quos purgandos, & sordium cumulos tollendos exportandosque in solitudinem iubent moderatores rerum publicarum, Prætores ciuitatum & oppidorum florentissimorum, qui sæpe Comites, sæpe sunt Marchiones, sæpe Dinastæ præcellentissimi sunt. Atque cùm istud obiicis, cur non in viridariis, hortis amœnissimis, omni suauitate fragrantibus inambulare Medicos animaduertis, qui rosas, qui violas, qui lilia & flores reliquos præclaram habent artis suæ partem? Cur non cogitare voles eorum sibi subiectum, qui multa præscribunt medicamenta, auro pulchrè sparsa perfusaque? cur non illos tractare memineris lapides pretiosissimos, quos pertusos, vel minutatim concisos, medicamenta sua decernunt? cur non suauissimos odores, qui balsamum & omnem fragrantiam vnguentorum & conditionum suauissimarum spirant? At illud etiam Medicorum inimicus in ore semper habet, occidi multos inscitiâ prauitateque Medicorum. Quasi verò artis maleficium sit non hominum, & culpa ægrotantium dum inscios Medicos accersunt. Atque in singulis artibus ac disciplinis sicut multi sunt, qui progressiones in studiis maximas fecerint, multi sunt etiam, qui flagitiosi per summum scelus ac nequitiam sine artibus & scientia aburantur? An verò quia multi Iurisperiti contra ius & æquitatem patrocinia causarum suscipiunt, quia decipiunt litigatores, quia lites producunt, quia non legibus ac iure, sed suis commodis causas metiuntur, qui dum fit, quod auferant, nihil æquum, iusque spectant, Iurisprudentia condemnabitur? Multi sunt imperiti, & inscij Iuris Cæsarei magna quidem ex parte: his oppone Bartolos, Iasones, Alexandros, & alios præcellentes & egregios Iurisperitos. Vide etiam ne dum damnas Medicinam damnes etiam sacram Theologiam, cuius quot doctrinæ ignaros &

nomine Theologos, reindoctos & imperitos inueniet? Vide ne deroges, huic cœlesti disciplinæ, cuius multi in Religionis perniciem sua sacra dogmata contulerunt, & adeò à nostra fide per summum scelus & perfidiam deficientes Matrem sanctissimam Ecclesiam funestare, & ad occasum, & interitum deducere conati sunt: sis ad veritatem & considera fructus & vtilitates, dignitatem & præstantiam, voluptatem & iucunditatem, omnia denique Medicinæ ornamenta, tum Medicinæ profectò dabis, quod ignorantiâ vel inuidiâ, non arti solùm, sed suis alumnis detraxisti. Vos verò adolescentes, qui patriæ vultis prodesse, qui mortalium maximis vtilitatibus delectamini, qui generis humani vitæ cupitis consulere, qui lethales morbos, qui pestilentiam, qui mortem sæpè exultantem in hominum funeribus ab omni ordine, genere & ætate prohibere vultis Medicinæ studiis operam date, & artis illius alumnos tanti facite quanti æquum est viros de hominum vniuerso genere benè meritos fieri. Quantum illorum dignitas & splendor postulat, considerate. Perpendite etiam quemadmodum multi viri illustres, Principes clarissimi, potentissimi Reges & Imperatores, & ipsi multi Romani Pontifices artem medendi non didicerunt solùm, sed etiam exercuerunt. Cogitate quot Medici summâ sanctitate præditi, quot in sanctorum numerum ascripti, quot relati in Martyrum cœtum celsissimum: sic profectò Medicorum in Rempub. in genus humanum meritorum, & laudis fructus, qui nulla deleri valeant temporis vetustate præstantes, iucunditatem, gloriam nominis & fœlicitatem perpetuam ex superiore totâ animisque vestris comprehensa, lustratáque oratione consequemini. Dixi.

Oratio in laudem Iurisperitiæ.

Ex superioribus Orationis locis.

ANnus est iam, auditores optimi, cum orationem de Iurisperitiæ laudibus habendam, auidè nimium expectatis, & optimo quidem tantæ scientiæ merito maximoque. Nam cum anno præterito de Medicinâ dixerimus, quæ dicenda fuerant, consentaneum rationi videbatur, vt de Iurisperitiâ, quæ dignitate ascendit altius, & proximâ consequitur medendi facultatem, in hac anniuersariâ studiorum instaura-

tione

tione toto Reipub. litterariæ theatro plaudente dicamus. Tantam enim Iurisperitiæ dignitatem, tam vtiles & præstantes eiusdem fructus, tam denique supra reliquas omnes artes & disciplinas (excipio semper sacram Theologiam) taciti nullo modo sine studiosorum vtriusque iuris alumnorum offensione præterire poterimus. Commendata enim tam excelsâ fructuosaque facultate, non solum illius & alumnorum animos expletos, sed officium iustum ac debitum vniuersæ Reipubl. quæ tantæ scientiæ dono ac munere continetur, redditum à nobis persolutumque existimabo. Ergo & auditoribus tantæ facultatis, & academiæ nostræ, & hominum vniuerso genere, de tribus à me breuiter oratione superiore præmonstratis ornamentis cùm dixero vobis audientibus, & tacitam animorum attentionem præstantibus, cumulatè satisfeciſſe videbor. Atque illa sit prima pars, quæ non video, quomodo melius perspici cognosciqué valeat, quàm illius origine vetustissimâ, clarissimaque demonstratâ, quæ cum inuentum sit Dei immortalis, quid ad veram & solidam laudem præstantius excogitari potest, vel inueniri laudabilius? Ita quidem verum est, quod à me dicitur, & ex veteribus nulla luce veræ Religionis illustrati multi naturâ duce cognouerunt: Hinc enim Minos Rex Cretæ legum prudentiam & cognitionem à Ioue accepisse perhibetur, & Lycurgi leges quasi Apollinis oraculo latæ, quod Dæmonis familiaritate vteretur, ab Athenienſibus habitæ sunt. Atque cæteri, qui leges tulerunt, vt magni ab hominibus haberentur, & ratæ & inuiolatæ essent, in eos, qui tum maximè colebantur, Deos, inuentionem contulerunt. Legimus Zoroastrum, quas Bactrianis, & Persis composuit in Horomazim, & Trismegistum; quas Ægyptiis constituit, in Mercurium, & Minoem, quas Cretensibus dedit, in patrem Iouem; Lycurgum, quas Lacedæmonibus; in Apollinem, Draconem, & Solonem; quas Athenienſibus sanxerunt, in Mineruam, Pompilium; quas Romanis imposuit, in Ægeriam, Zamolxim; quas Scithis dedit in Vestam retuliſſe. Atque profectò legum scribendarum munus semper delatum fuit ijs, qui religione, consilio, cæteris illius temporis hominibus præcellerent. Quoniam istorum hominum mentes diuinum nescio quem spiritum concipere viderentur, vt ipse Deus putaretur per hos sibi gratos, & acceptos hominum cuicumque generi suam diuinam voluntatem

declarasse. An verò fieri posse putatis, vt persuasum esset hominibus Poëtam quondam existere, aut concinnum & elegans poëma nisi diuini numinis afflatu concitatum facere potuisse, & rem tanti ponderis ac momenti, tantæ simul dignitatis & excellentiæ præstitisse hominem diuinæ mentis instinctu carentem? Didicimus sacrarum litterarum monimentis docti, Moysem in monte Synai ab immortali Deo accepisse leges tonitru & fulgure terrifico crebro suis oculis obuersante, & eundem diuinæ claritatis fulgore collucentem & ex vertice montis ac summo iugo descendentem, quas acceperat ferendas populo Iudæorum leges, quas piè sanctéque colerent in posterum, promulgasse. Sed quoniam non cum imperitâ, & rudibus, sed cum doctis & sapientibus, non cum populo, sed cum flore sapientiæ, atque non in obscuro terrarum loco, sed in academiæ luce clarissimâ, in hoc orbis gentium augustissimo frequentissimoque senatu, sermonem habemus, non ad popularem sensum verbis solùm, sed ad Doctorum sapientiam rationibus agentes orationem accommodemus. Quod enim de dignitate Iurisperitiæ dicimus, id quisquam non animaduertit nisi iustitiæ, quam sibi proponit, animaduerso fine singulari, sine qua nihil rectum, nihil ex vlla parte cum honestate coniunctum fieri potest. Etenim si iustitia à natura profecta est, atque ea est diuinæ mentis præcellentissima natura, sequitur, tum ipsum Ius appellandum esse Ius, cum iusta iubeat, prohibeatque contraria, quæ à diuina potissimum mente proficiscitur, rationemque insevit legislatori ad legem ex Dei voluntate constituendam. Cuius rationis natura is non minus particeps est homo, quam terra grauitatem, ignis leuitatem, stirps vigorem, atque bruta animantia sensus habere sensus dicuntur. Atque ius ipsum iustitiæ partes absolutas habere non potest, nisi similitudinem cum diuina mente habeat, quòd sine Deo dari profectò non potest. Itaque fabrica hæc elegantissima totius Mundi, quæ sub oculorum aspectum cadit, constructa est mirabili iustitiæ proportione: vt quadam quasi concordi amicitia & caritate partes omnes seipsas amplectantur atque deuineiant. Vides cœlum, quod extremum & vltimum Mundi est, incitata celeritate conuerti, & illius vna conuersione dispares astrorum cursus conseruare: terram autem in media Mundi sede collocatam solidam & globosa, quasi radicibus suis hærentem non moueri, quæ omnia diuinæ iustitiæ æquabili societate suas habent

habent sedes & loca tanto interuallo distantia, sed pro cuiusque natura admirabili vinculo congruentia, quæ legibus impolitis ab immortali Deo parent: sine cuius imperio, neque hominum genus, neque aliarum rerum vis & natura, neque ipse quidem Mundus staret. Quamobrem, quod δικαῖον græci dicunt, iustum Latini; δίκαιον Plato dicendum affirmat: vt sit ipsa mens diuina, quæ potestate prædita infinitâ artificiosè vniuersa percurrit, penetratque vi suâ, libera tamen ipsa & soluta, & ab omni concretione mortali separata, omnia intelligens & mouens, atque attingens, vt sacræ literæ testantur, a fine vsq ad finem fortiter disponensque suauiter. Hinc Poetas Themin (quo nomine ius fasque significatur) modo Iouis, cuius illi nutu, atque potentiâ sola terrarum, domicilia cœli, gubernari fingebant, modo Solis, qui omnia suæ lucis immensa magnitudine claritateque collustrat, modo Cœli, ac Telluris filiam esse, confinxisse legimus, quòd certis legibus Iustitiæ, quæ ratæ immutabiles, & æternæ sunt, in omnes partes propè interminatam vniuersitatis infinitatem moderetur. Homo etiam, quem Græci μικρόκοσμον appellant, rationis particeps est, quæ veluti lege quadam imperante bona, prohibenteque mala, sensus & appetitus rationi contrarios & infestos coercet, atque reprimit, & ad diuinam & æternam legem rectâ salutariqúe via piè sanctequè viuens admirabili celeritate festinat, & cum libero sit arbitrio prædita à diuinæ mentis imperio deficiens, nefariis cupiditatum lenociniis incitata ruit in præceps. Quare præclarè Platonis dictum ab antiquitate colebatur, quo negabat sapienti viro legem vllam esse, præter Deum, insipienti autem, vilissimo turpissimoque cupiditatum mancipio indomitam & effrænatam libidinem. Inde, Patres, facilè est decernere cuicunque moralium omnis etiam eruditionis experti & ignaro decreta tyrannorum, & ab omni iustitiæ particula alienissimorum minimè leges appellandas esse, quippè quæ iubent iniquum, religioni contrarium, & omnibus tantopere diuinis placitis aduersum. An verò leges appellem iniqua primis nascentis fidei temporibus publicata decreta imperatorum, qui terra mariqúe Christianum sanguinem sitiebant, & bonis & honore, vitaque spoliabant quemcunque, qui se non ad idolorum cultum impietatemque ab iceret? An appellem leges etiam decreta Isabellæ nefaria in Fidei Christianæ cultores facta, & ad Religionis exitum, pestemque vltimam spectantia? Quod scilicet Chri-

ſtiani nolint remittere nuntium bonis moribus. Fidei ſanctiſſimæ? quod etiam pergunt profiteri conſeruareque ſanctiſſimè? quod recuſent adire Eccleſias Hæreticorum, & illorum nefariis conciliabulis intereſſe? quod Matrem Eccleſiam Romanam fortiter conſtanterque tueantur, edictis paſſim exeuntibus & manantibus in vulgus iniquiſſimis, vt vexentur & lacerentur omni crudelitate? Non hæ leges, non leges inquam appellandæ ſunt, ſed peſtes ac procellæ patriæ, interitus & occaſus Regnorum. Nam agite, ſi Medicus aliquis ſceleratus & teter venenum ad interimendum hominem feciſſet, hoc ne venenum diceretis medicinam & pharmacum ſalutare, cùm hauſtum mortem afferret? Docet equidem iuſtitia veritatem, docet omne genus hominum virtutem, & ex omni parte æquabilitatem ſeruandam, & in eos faſces ſoluendos, ſecurim intendendam, qui nefaria ſcelera patrauerint; quod Ægyptij duplici ſimulachro facilè teſtatum reliquerunt: fingebatur enim Iuſtitia Virgo grauis ac ſeuera, illa vultus, & oris dignitate, quæ tantæ Reginæ maieſtatem decebat, cum faſcibus ligatis, intra quos ſecuris horrida continebatur, cuius acies emineret ſumma, & in vna manu trutinam habebat, cum bilancibus in dexteram, & in ſiniſtram, ponderum æquabili proportione libratis: Iidem aliter eam effingebant, cum gladio diſtricto, & oculorum aciem ſuo fulgore perſtringente, ſceleratorum ceruicibus mortem vltimam minitantem, vt à ſceleribus abſtinerent. At huiuſmodi video paſſim ferri leges à Regibus, & conſtitui ad homines in officio continendos, quas continent Iuriſconſultorum volumina, quæ cùm diſperſa fuiſſent, ad breuitatem redegit Trebonnianus, Imperatore Iuſtiniano iubente. Eas homines ſcripſerunt? cedo igitur iſtud donum, & inuentum diuinum? Non inficias ire poſſum, Auditores, ſed inter inuentum atque decretum intereſt multum: fuerunt leges munus Dei immortalis, inuentumque ſanctiſſimum, ſed ab his, quæ per ætates omnes, & ſæcula tam multa prudentes homines ſapientesque tulerunt decreta, legum autem appellata nomine, quòd vim haberent auctoritatemque legum. Id quod confirmauit Demoſthenes Græcorum princeps oratorum: qui ſolitus fuit dicere obtemperandum eſſe legi, quia donum & inuentum eſſet Dei, prudentiſſimorum, ſapientiſſimorumque decretum. Sed cum ad omne genus hominum, ad humanam ſocietatem tuendam leges, ac iura pertineant, cui credibile fiet legislatores diuino inſti-

tuto

tuto ad commodandum rebus publicis, excogitandis, scribendisque legibus carere, cùm nulla ciuitas, neque Respub. quæ diuina fide auctoritateque nudata sit, permanere diu possit? Atque cùm fundamentum legis statuendæ iustitia sit diuina, quæ finis & scopus cùm non proponatur legum ferendarum, leges non erunt appellandæ. Cum vni solum familiæ domuiue dominus consulere vult, nihil vtile neque præcipuum constituere se posse credit sanâ mente præditus, nisi Deus immortalis opem tulerit, & ab illo, qui vniuersè, qui speciatim omnibus consulit, primordia cœperit rerum gerendarum. Atque etiam legislatores nisi Dei mente concitati leges minimè ferunt ad vtilitatem, & commodum communem spectantes. Sint Prætores, moderatores vrbibus præficiantur & excubent & vigilent ad Reipublic. bonum: deme opem diuinam, Dei consilium & auxilium cæleste, tradentur ciues in seruitutem miseram, diripientur ædes, sacra polluentur, reliqua ferro flammisque vastabuntur. Ita leges muri sunt, & mœnia ciuitatis, si à Deo profluxerint & in Dei conferantur obsequium vtilitatemque publicam. Quod Plato sua mente comprehendit optimè, cum ita de suo officio monebat legislatores, vt nunquam ad legem scribendam ferendamque animum appellerent, nisi Apollinis oraculum adiissent prius, & quod scriptu optimum esset, accepissent. Deus enim, Deus, qui rerum diuinarum & humanarum principium, medium, & finis est legum est auctor & princeps cunctarum. Qui nisi in hominum animis inseuisset leges has, & principibus, & acri intelligentiâ præditis non hanc mentem dedisset, vt homines initio nascentis Mundi in sylvis & agris dispersos ac dissipatos more ferarum ad ciuilis vitæ rationem cultumque traduxisset, & nos feritate fuissemus adhuc & diritate naturæ, tam Leonum, quam Tygrium, quam belluarum immanissimarum similes. Donum igitur, & Dei immortalis inuentum fuisse leges ipsas constat inter omnes, his, quas audistis, optimis illustrissimisque de causis. Atque hæc sit prima nostræ orationis pars, in iuris & legum honestate versans, à qua datur ad secundam in vtilitate positam introitus. Atque ita de vtilitate dicam, vt gradibus maiora semper & altiora proponam. Illa autem vident omnes, quæ in promptu sunt, iuris scientiam versari in antiquitatis effigie exprimendâ, in verborum vetustate declarandâ, in regendis ciuitatibus, in æquitate, iustitiaque seruandâ, in cunctarum gentium moribus

componendis. Quid quod vitia hominum & audaciam coercet, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte, cùm opus est, mulctat? Qua scientia quid excogitari potest ad continendum populum vehementius, ad pestem auertendam salutarius, & ad statum Reipub. conseruandam securius, & ad illum maioribus in dies incrementis amplificandum præclarius? intemperantem reprimit, frugi & bonum virum tuetur, obuiam it sceleratis, virtutis amantibus fauet, eiicit è Repub. tyrannos, retinet conseruatores patriæ: nihil respicit potentes, humiles & imbecilles defendit: tollit de medio seditiosos & turbulentos, ciues omnes coniungit mirifica voluntatum consensione: denique id negotij dendarum sibi videns, vt vitia scilicet extirpet, mores optimos conseruet, ita suas partes agit, vt nunquam neque cuiusdam gratiæ, neque potentiæ cedat, neque misericordia, neque inuidia, neque amore, neque odio commoueatur, sed semper rectè & incorruptè iudicet & cum leges seruandas proponat, præsertim semper iuuando diuinam atque sempiternam legem, quæ Deus est immortalis, consulat. Inde Præfecturæ ciuitatum, inde Prælaturæ maximæ, inde sedes Conciliorum Regiorum honorificæ, indeo do Censorum sacræ fidei, inde Regia consilia celsissima, inde Pontifices diuersarum Ecclesiarum, inde postremò summus Ecclesiæ Romanæ Pontificatus: qui profectò gradus honorum à me nomina. iuris peritissimis, sanctissimisque Pontificibus non rarò floruerunt, sæpeque dominati fuerunt in orbe terrarum. Hinc leges à veteribus Ægyptiis coronis significatæ fuerunt, quæ quemadmodum ex herbis, ex floribus, mira pulchritudine varietateque præditis, & odoris iucundissima suauitate fragrantibus constituuntur, & religatæ sunt, arctissimeque constrictæ, caput semper præcipuam humani corporis partem sua venusta e decorantes: ita quidem cùm imperium, quod in multitudinem Iurisperiti tenent, apertè præferunt, tum vim singularem, qua prædite sunt ad deuinciendos & constringendos homines, vt ab alienis oculos, mentesque abstineant, nemini iniuriam faciant, non latrocinentur, non prædentur, non homicidia, non parricidia admittant, non postremò scelera audacter committant, & insolenter, quibus flagitiis & malis intolerandis, nisi leges & iura fuissent, terrarum sola redundarent. Qua etiam de causa sæpius horrificæ nomine leges adumbrantur, quæ vallo quasi quodam aculeis grauiter pungentibus & exulcerantibus, vineam a belluarum immanitate, à furum

rum audaciâ & ingressu saluam & incolumem conseruat, quòd in muris etiam cernere licet ad ciuitatem ab hostium impetu tuendam. Bone Deus, quanta fragilitas est in ciuibus! At quando longè abest intemperantia, quemadmodum relegantur scelera, virtutes egregiè coluntur, nullæ sunt tubæ nullæ seditiones, summa pax & tranquillitas vbique cernitur, deletur tyrannis, constituitur libertas? denique ne plura persequar, quod esset infinitum, iniquitas abest, omnis iustitia solum imperium, dominationemque tenet, solâ fascium obiectâ specie, bilanceque positâ in iudiciorum claro lumine, vno semper districto gladio, & cum necessarium est, & leges ac iura præcipiunt, in pectus sceleratorum mucronem infigens. Quid agunt improbi, quantopere tremunt, & totis artubus atque membris contremiscunt, cùm illum pulsari vident, & virgis cædi tanto cum dedecore & ignominiâ? cernunt alium in exilium mitti, grandi pecuniâ mulctari, alium in culeum insutum cum Gallo Galinaceo, fele, & simia deijci in flumen, alium, vt alias pœnas taceam, in crucem tolli, vel si nobilis fuerit, iugulari. Non audent improbi commouere sese, pœna semper ante oculos, & iustitiæ seueritate constituta, quam non frustrâ nobis duplici simulachro, quo de superiùs, veteres expressam reliquerunt, trutinæ scilicet & gladij. Quare minimum est illud, quod leges faciunt, quanquam magna semper meritò prudentissimus quisque ducat, importari iubere ea, quibus ciuitates indigeant, & ea, quibus abundent, exportari, precia cibis omnibus, & fructibus, & rebus cunctis venalibus imponi, aquam in vrbem deduci, curari, ac refici parietum, fornicum, ædificiorum vitia, componi formulas exactionum, quæ ad animi partes benè constituendas & perficiendas, & ad summam amplitudinem studiosè accurateque perducendas pertinent, ea summo studio diligentiaque præstari. Quamobrem in hominum animis impressum sit istud & insideat, quod nullo modo adimi potest, nisi per scelus & perfidiam maximam, legum inuento præclarissimo à iustitiæ, in qua versatur, munere absoluto perfectoque, iustos viros & omni sanctitate præcellentes appellatos fuisse. A iustitiæ laude fuit appellatus Zacharias, & Elisabeth illius vxor sanctissima commendata, dum vterque iustorum cognomenta retulit. Eadem laude fuit affectus Protomartyr inuictissimus Stephanus tanta sanctitatis opinione celebratus. Eodem honore decoratus fuit B. Iosephus, qui propter suas eximias & admirabiles virtutes, cùm Virgi-

ne integerrimâ Mariâ Assertoris Iesuparente dignissimâ nuptiarum celebritate coniunctus, omnium, qui fuerunt, virorum sanctissimorum gloriæ præpositus, & tantæ Reginæ Beatorum spirituum consequutus est societatem. Sed quid horum, & aliorum clarissimorum nostræ Religionis Heroum testimonijs nitor, cùm ipse princeps & auctor sanctitatis, à iustitiæ laude idem cognomentum obtinuerit cœleste. Nam quamquam ipse summa fuerit sanctimonia, & omnium virtutum pelagus infinitum, illæ tamen ad duplicem potissimum classem reuocantur, misericordiæ, vt ab hominibus amari queat, & iustitiæ, vt metui, tantæ virtutis cognita, perspectaque seueritate: qua cùm res nullæ, quæ rectè dici debeant, & virtutis nomen adipisci, vacare possint, Poetæ finxerunt propter Iustitiam, Rhadamantum, Æacum, Minoem, inexorabiles apud inferorum sedes constitutos esse, qui ex iustitiæ legibus, pensatis mortuorum causis pœnas iustas ac debitas in sceleratos statuerunt. Hæc igitur in inferorum sedibus vim habet maximam, impios & nefarios grauissimis suppliciorum generibus sine intermissione torquens. Eiusdem iustitiæ seueritatem subijt Adamus propter defectionem à Creatore Deo suo sceleratam, paradisi sedibus electus in hanc terram vastam & incultam. Eiusdem potestatem & gladium acerrimum expertus fuit Lucifer, propter honores sibi diuinos insolenter arreptos præceps actus in inferorum regiones obscurissimas. Quid ergo vtilius & magis necessarium ad Reipub. partes constituendas, ad homines in officio continendos, ad humani generis societatem conseruandam legibus in iustitiæ absolutione tuendâ versantibus? At dices plus sibi sumere Iurisconsultum, quàm leges tribuant, quæ duodecim tabularum finibus contentæ, non progrediebantur longiùs, atque has tabellas ex Græcia delatas, vnde ius istud ciuile profluxit & emanauit, quo nunc gubernantur nationes & Regna terrarum vniuersa. Non id nego, sed iuris nomine comprehendi, quis neget, humanum, naturale, diuinum? Atque humanum si jus appellandum erit, ad diuini naturalisque regulam sanctitatemque referri necesse erit, sine quo, nec leges, nec ius vllum legis, aut iuris nomen vlla ratione deferre poterit. Vrgebit etiam inimicus iuris ciuilis, formulis illis adeundæ, cernendæve hæreditatis captiosas & fallaces esse, vt si verbo càderet, qui relictus fuerat hæres, amitteret hæreditatem. Sed quis est tam ignarus legum, qui captio-

tiosissimum illud hæreditatis genus non prorsus ablatum acceperit Imperatorum rescriptis? Illud verò magis obijceret aduersarius, quod cum opponat, infans esse videbitur. & multarum ignarus prauitatum, quæ cùm committuntur, legibus vindicantur grauissimè. Vrget enim ac premit scientiam hanc periculis infestam, laqueis implicatam, & foueis multis passim obuijs formidandam, hominem præcipitem agentem in exitium & perniciem suam. Quasi laqueos & pericula tenderet Iurisperitia ad perdendos, delendosque homines, quos saluos & florentes, & patriæ Religionique consulentes reddere contendit ac pergit suis placitis & legibus sanctissimis. Quasi mortem velit adsciscere, quæ vitam & salutem conseruat: quasi concitare aueat discordias, quæ pacem conciliat & affert rebus publicis: quasi vitia gignat & contrahat, quæ virtutes amat, parit & tuetur. Quid ergo istud est, quod tantopere contendit in Iurisperitiam inimicus? Qui magnos in Iurisprudentia progressus habent, illi quidem hoc sunt artificio summo consequuti, vt quidquid velint, legibus ad libidinem suam decretum esse contendant, & in quancumque se partem conferant, pro se omnia iura facere ostendant. Itaque non tam in eo operam ponunt, vt bonum & æquum tantum in iuris ciuilis explicatione spectent, quod quidem in promptu est, & facile cognitione comprehenditur, sed id agunt, & moliuntur, vt rebus clarissimis tenebras offundant, vt ipsi in maiore honore sint, si visi fuerint, in arte difficilimâ versati, & facilius possint, ostentatione disciplinæ subnixi hominibus imperitis illudere, & ad emolumentum & quæstum omnia iura reuocare. Qua specie fallaci, quæ posita & firmiter constituta erant, cum lubet, reuellunt, quæ verò erant sublata reponunt, quæ contexerant, retexunt, & vim rebus optimè cogitatis & sancitis intendunt, inuertunt, & immutant, fraudes & insidias concinnant, atque nimia plerumque subtilitate perficiunt, vt quod iustum & pium est, iniustum & nefarium esse videatur: & quod nefarium & impium est, debitum & pium officium existimetur. Huic ergo homini P.G. pauciſſimis respondebo: non si fuerint iuris ciuilis alumni aliquot quæstus auidi, auariti, cæcati, si cupiditate, si perturbatione, si libidine ferantur continuò ius ciuile in crimen esse vocandũ. Illi sunt fallaces, & litigiosi; ius ciuile pacis & concordiæ amans: illi iuris & æquabilitatis

tatis inimici; ius ciuile nihil omnino magis præponere mortalibus vult, quam amicitiam sanctamque societatem: illi fraudes & fallacias machinantur; ius ciuile veritatem, & sanctitatem constituit: illi facultatis virtute abutuntur suo scelere & prauitate; Ius ciuile, quod rectum est, quod iustum est, statuit atque decernit. Itaque hæc non iuris, sed hominum sceleratorum, qui in tanta multitudine, si sunt aliqui, nemini mirum videri debet, accidere peruersitate vident veritatis amantes. Tolle igitur Medicinam, tolle Dialecticam, tolle de medio sacram Theologiam, tolle etiam sacramenta Christianæ Religionis, multi his artibus & disciplinis, atque adeò sacramentorum Religione abusi fuerunt ad suam perniciem & exitium vltimum. Quunque leges, vt scriptæ sunt, sequeretur, is profectò semper in iustitiæ laude, perfectaque absolutione versaretur. Lex enim nihil aliud est, nisi recta & à numine diuino tracta ratio, imperans iusta, prohibensque iniqua, vitiorum emendatrix, commendatrix virtutum, bene viuendi magistra; cuius auctoritate nutuque docemur domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, ab alienis cogitationem & manus abstinere. Nihil nisi salutem & vtilitatem Reipublicæ proponit; nihil nisi quod ad ius, quod ad conditionem naturæ ad mentem diuinam accedat, constituit, sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus, nec rerum natura omnis, neq; ipse Mundus, in quo omnia sunt arctissima societate deuincta stare potest. Nihil ergo nec vtilius, nec præstantius legib. excogitabitur nec reperietur vnquam. Quamobrem, vt ad vltimam orationis partem accedam, cedant legibus omnes artes atq; disciplinæ, exceptâ cœlesti, sacraq; Theologia. Cedat imprimis ars militaris: Nam si bellum pacis habendę causa comparatur, & hostibus infertur, vt iucundam tranquillamque vitam agamus, quis studio militari iu isprudentiam potiorem non existimabit, quæ facit, vt nec ferro armisque disceptemus, quod proprium est belluarum, nec salutem & vitam, nec opes Regnorum & potentiam in turbulentissimas bellorum tempestates conijciamus? Qua tum etiam, cum melius cum victoribus actum est, Respubl. multa amittit præsidia stabilitatis, & ornamenta pacis, tum etiam non omni tempore militibus, & ducibus indigemus, vt leges semper sunt, & iura necessaria. Atque vtinam, Auditores, bella nunquam inducta fuissent hominum ferocitate, non toties bona Ciuitatum diripi, tot prædia vastari, tot exagri fieri prædas,

prædas, tot vrbium tecta euerti, tot inflammari Ciuitates, non multitudinem tantam vexari, non tantum humani sanguinis profundi, non denique tot Regna capi, & in miseram adduci seruitutem audissemus. In bello corporis vires exercentur, in prudentia, quam leges ostendunt, honestas animi residet. In bello latera neruique ostentantur; Iustitia custos humanæ societatis fortitudine corporis præstantior est. Imperia dilatantur armis; legibus eadem & moderatorum consilio conseruantur. In quo non minorem virtutem viri præstantissimi posuerunt, cum præsertim diuturnitate temporis non minus imperij fines ampliscentur legum seruandarum adhibito studio, diligentiaque. Quid Athenas, quid Carthaginem, quid alia bellis excisa Regna commemorem? frustra foris sunt arma, nisi intus sit Iurisprudentia. Quis Solonis consilium, quis leges & disciplinam Numæ, non Romuli & aliorum Regum bellicis furoribus anteponet? quis non præferet Cæsari Catonem? Illius arma familiarum occasus plurimarum, & Reipub. interitum attulerunt; Catonis consilium, si Romani aures salutaribus monitis præbuissent, Imperij Romani vires cum amplificatione sua conseruasset. Imperatores plurimi ad Reipub. gubernacula sederunt: verum id, sed non corporis, sed consilij viribus Respub. gubernarunt. Reges etiam fruendæ iustitiæ, non belli gerendi causa creati fuerunt primis nascentis mundi cunabulis. Quid? vt bella iustè inducantur, vt gerantur etiam, nulla scientia nisi Ciuilis decernit. An verò tam rudes erimus & ignari, vt non fabulis Poetarum moneamur præstantiam ciuilem, quamquam stulti & vecordes essemus, dum Neptuno, qui equum è terra dicitur excitasse, adimitur prouincia nomen Athenis imponendi, Mineruæ verò demandatur mirifica consensione? Atque Minerua ciuilis sapientiæ Dea fuit prædicata quondam ex Iouis orta cerebro. Quare Homerus ad ius exercendum, dono ac munere diuino Reges creatos esse dicebat. Salomon verò sine controuersia iustitiam fortitudini præponit. Sed iam Medicinam cum Iurisperitia comparemus, & Iurisperitos Medicis præferamus. Medicina cõseruat valetudinẽ, aut amissam recuperat; Iurisprudẽtia ius suũ vnicuiq; tribuẽs facit, vt sine perturbationibus in pace viuamus. Illa herbas & radices varias & multiplices, hæc virtutes moresque integerrimos ostendit: illa corporis morbos, hæc animi ægritudines depellit: illa tuendæ valetudinis, hæc viuendi Magistra & princeps est. Tanto autem præstat animi sanitatem, quàm corporis val-

ris valetudinem tueri, quanto corpore præstantior est animus, qui proprius ad immortalis Dei similitudinem accedit, corpus autem commune nobis est cum brutis animantibus. Nisi fortasse velimus obliuiscidictum singulare sapientis, satius esse mori, quàm hominem turpiter viuere. At Rhetor contendit sibi primas deberi, nec legalem scientiam suis flosculis ac luminibus præferendam esse. Clamabit iniuriam sibi fieri, qui tenuerit rerum gubernacula publicarum, & in Regia dignitate positus Orbi terrarum cum honore summo ac maiestate imperauerit. Sed obsecro quibus adiumentis? legibus scilicet: eo inquam iure, quo Reges omnes Imperiorum gubernacula tractarunt. Remittat igitur flosculos suos, faciat missa pigmenta Orationis, meminerit Iustitiæ, quam ex Iure Ciuili seruandam cognouerit, suadens bonas, & dissuadens contrarias & pernicioſas Reipub. leges, quas Gracchi furore perciti ad patriæ perniciem excogitarunt. In quo gratia agenda est & habenda Ciceroni: qui in Gracchos pestes & turbines patriæ inuectus, à pestiferis legibus accipiendis populum deterruit orationis summa contentione. Sed iam præferamus Philosophiæ, Astrologiæ, Arithmeticæ alumnos, quos omnes facilè Iurisperitiæ posthabendos putabit doctissimus quisque, si consideret; & quantum inter inuestigationem, quæ propria est suarum artium & facultatum, & interactionem, ad cuius studium iuris scientia potissimum incumbit, & in agendo semper versatur hominum generi vniuersè, speciatimque consulens interfit, prudenter animaduertat. Quare sit in honore summo cognitio legum, ac scientia, nihilque in ciuitate tam diligenter retineatur, & in omnibus Rebus publicis, quàm ius ciuile, quo sublato nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit, quibus rebus commodet Reipub. promoueat virtutem: sine quo veritatis germanæque Iustitiæ solidam & expressam imaginem tenebimus nunquam, quo absente vmbra & imaginibus vtemur, gratia, potentia, pecunia, vis, scelera, flagitia dominabuntur contempta veritate, dignitate, integritate, virtutibus, & bonis moribus. Quibus ornamentis per Iuris scientiam in Republ. bene morata beneque constituta florentibus vitiorum omnium exhausta sentina pestilenti, illud vnum videri necessarium est, vt fœlix & fortunatus Reipubl. status ad Beatorum fœlicitatem facilè consequendam bono tantæ scientiæ ab immortali Deo diuinitus tributæ, maxima in dies bonis principibus incre-

menta

menta capiat. Quæ vt capiantur vobis Iurisperitis tantæ Academiæ iudicibus & moderatoribus, date operam Præceptores, vt sic instituatis adolescentes, & legibus & iure ciuili imbuatis, vt cum legibus virtutem, honestatem, & iustitiam percipiant, vt ex Academia, tanquam ex equo Troiano prodeant, qui consilijs, qui Rebuspub. qui Regnis præsideant, & habeant rerum cunctarum imperium, cœlestibus omnia diuinæ iustitiæ facibus illustrent tanquam legum donis ac muneribus absoluta semper integritate fungentes. Dixi.

Oratio in laudem sacræ Theologiæ.

Ex superiorum Orationum Argumentis.

RElinquimus in vltimum locum, Auditores optimi, sacræ Theologiæ laudes hodierno die ex hac loci celebritate commendandas, & ea quidem, quam scitis omnes & prædicare potuistis, notissima iustissimaque de causa. Nam administrarum auctoritate dignitateque perspecta, facilè quidem est cuicunque de cunctarum artium Dominæ Reginæque potentissimæ splendore conijcere, tot præsertim scientiarum & disciplinarum maximarum vtilitatibus, & ornamentis superiorum orationum laude celebratis. In quo enim honore & æstimatione apud omnes debeat esse sacra Theologia, si non illius nomen ostenderet, tamen obseruantia singularis, & tantus honos Principi scientiarum & doctrinarum altissimarum summa semper demissione tributus ante omnium oculos statueret. Regibus enim prodeuntibus in publicum, & in aliquem locum progredientibus, aulici splendoris spectanda visendaque pompa, ex comitatu præcipuè maiestatis illarum præpotens & excelsa cognoscitur. Quamobrem dum illius dignitatem & commoda maxima, præ cunctis disciplinis principatum suo iure quidem optimo delatum ostendo, solita me quæso animorum beneuolentia ex hoc loco dicentem attendite. Quoniam autem dignitatis & vtilitatis ornamenta maxima celebres & claras reddunt artes & disciplinas omnes, nõ arbitror ignorare quemquam vestrũ primordia sacræ Theologiæ, cuius Princeps & auctor ille quidem est, quẽ sibi scopum & finem præcipuè suæ dignitatis maximæ spectandũ proponit

eadem

eadem ſacra cœleſtiſque doctrina, ſummus ipſe præpotenſque Deus; Quæ eadem ſemper fuit, tanti nummis celſitatem infinitam exprimens ante huiuſce mundi fab icam elegantiſſimam, & hominis, qui præfuturus erat tantæ rerum vniuerſitati, creatam excellentiam; quæ magis & clarius, quàm cæteræ quæcunque res, iucrementum ſu.m accepit, & ab ſolutam perfectionem, ad genus hominum in priſtinam dignitatem reſtituendam, in terrarum ſola miſſo Duce, auctoreque ſuo præceptore maximo Chriſto Ieſu. Itaque Filius Patri æterni præceptor fuit & perfector iſtius ſacræ diuinæque Diſciplinæ: de cuius maieſtate, deipſius Chriſti Ieſu naturæ diuinæ humanæque participis celſitate, nulla eſt cœleſtis cuiuſcunque ſpiritus eloquentia, quæ minimam vtriuſque dignitatis partem poſſit adumbrare dicendo. Quis enim excelſam illam præcellentemque naturam non admiretur? admirans non colat atq; inſpiciat propter ſuam magnitudinem immenſitatemque infinitam, qua nihil beatius, nihil bonis omnibus affluentius cogitari poteſt? Sua ſemper potentia & virtute gaudet, neque cuiuſquam indiget ope, non eget hominum, neque cœleſtium ſpirituum comitatu ad ſuam abſolutã perfectamque fœlicitatem explendam, principio & fine carens, cum fuerit ſemper, habet etiã exploratum fore ſe ſemper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus: Cuius tanta eſt, tamque nullis finibus terminata potentia, vt mundum hunc ad vſus hominum & ad delicias valde ſpectabilem curauerit, nullis fabris, nullis inſtrumentis, nullis machinationibus, ſed ſuæ potentiæ robore magnitudinequei finita: Cuius potentia nullis limitibus circunſcripta, vſque eo progredi poteſt, vt quemadmodum hunc, qui ſub oculorum aſpectum cadit, bonis innumerabilibus expletum, omnium pulcherrimum, quæ in rerum natura fingi poſſent, & quod ex omni parte abſolutiſſimum eſſet, ſua forma, rotunditateque mirabili ſimulachrum quaſi quoddam aſpectabile, in quo omnia admiantia continerentur, procreauerit, ita idem innumerabiles alios, & pulchritudine, & rerum vbertate præſtantiores, ſi collibitum ſibi fuiſſet, mundos procreare potuiſſet. Chriſtus autem Ieſus natura diuina & humana præditus, ſplendor, & Imago Patris æterni, miſſus à tanto Domino ad inſtaurandam generis humani ruinam, cum natura diuina Patri ſit æqualis, & omni genere diuinorum ornamentorum par, tum humana penſata natura cunctis diuinis mentibus, & cœleſtibus cuiuſcunque ordinis

acce-

ac cætus beatorum virtutis consummata sanctitate præcelluit; Is sanctitatis præceptor, dux vitæ ad cœlorum gloriam tendentis datus est generi mortalium ad vererem gloriam dignitatemque recuperandam. Ex quo liquido satis constare potest, quantum dignitate niteat sacra Theologia propter summam auctoris & cœlestem dignitatem, & à cæteris artium & disciplinarum inuentoribus quàm longo interuallo distet; quarum multæ cum antiquitatem & originem suam à dijs ipsis fictis & commentitijs tractam ostenderint, magnum quidquam & eximiâ laude dignum obtinuisse videntur. Quas cum à fabulis, à rebus inanimissimis, à mendacijs trahere originem multi laudatores ostendant, vt Poetæ Orpheum & Amphiona, Medici Apollinem & Æsculapium, Rhetores Mercurium, & alij alios Deos fallaces & fraudulentos iactare non verecundentur, quantum hæc laus habea inanitatis & turpitudinis, his doctoribus & principibus, facilè res ipsa per se testatur. Quod si vates illos diuinos rerum cœlestium scientia imbutos, ab eodem Domino diuinitùs institutos cœlesti tanti numinis afflatu, Regesque illos quondam clarissimos eadem scientiæ magnitudine, & æternæ cognitionis radijs illustratos Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, Dauidem, Salomonem, & reliquos tanta nominis celebritate præstantes, & sacris litterarum monumentis commendatos adiungamus, vt istorum splendorem infinitis gradibus obscurat immortalis Dei, & Christi Iesu sempiterna claritas; sic ad eorum sapientiam diuino munere concessam, & prædictionis splendore claram, cuius obsecro nostrorum hominum, qui nunc sunt, & antea fuerunt, accedit vnquam sapientiæ comparata magnitudo? His proximè accedant tot sanctissimi Patres, tot sacri Ecclesiæ Doctores Augustini, Gregorij, Ambrosij, Chrysostomi, Hieronymi, Basilij, Thomæ, Bonauenturæ summam in Ecclesia Doctorum dignitatem consequuti, & in sanctorum etiam Doctorum ordinem euecti, cœlestis aulæ præter alios innumerabiles inquilini, quorum de scriptis cum agitur, & fructus Religioni videntur allati, cernitur sacræ Theologiæ incrementũ, & amplificatio præ reliquis scientijs & disciplinis maxima, qua tot Theologorum cœtus, toto terrarum orbe sparsi, & in academijs consessum Doctorum sapientissimorum clarissimo suo splendore illustrantes, & in Ecclesijs sacerdotijs amplissimis fungentes, reliquarum alumnos doctrinarum supetant mirandum in modum. Hac tot Canonici, hac tot collegæ

sapientissimi, hac tot diuersarum nostræ Religionis sacrarum familiarum milites insignes, hac viri præcellentissimi honoribus in Ecclesia sacris fulgentes, hac Præfecti ferè omnes Ecclesiarum, hac tot Pontifices, & Patriarchæ, hac postremo tot Patres Purpurati, & omnes ferè Romani Pontifices, Theologiæ scientia præditi quandam ostendunt diuinæ Theologiæ dignitatem. Et quamquam Iuris Pontificij Doctores Pontificum scientia præstantes tribunal quodcunque, Præfecturas, Præturas omnes, & Regum consilia, summo cum honore, & imperio terrarum obtinentes laicorum res & negotia, & statum propè vrbanum suis humeris sustentantes iuris facultati tantam lucem afferant; tamen quis est tam parum peritus litterarum, qui filiam sacræ Theologiæ scientiam Iuris Pontificij esse non cognouerit, & ab illa procreatam & altam, & in tam ampliſſimam dignitatem euectam, decretis suis è Theologiæ cœlesti doctrina depromptis, Romanorumque Pontificum auctoritate sancitis? Quod si ad diuinæ Theologiæ gloriam consideretur Pontificum dignitas, & Romanorum præcipuè potestas & splendor, ad quorum pedes Principes terrarum potentissimi, Reges clarissimi, & Imperatores inuictissimi adijciunt ac prosternunt sese, tantam maiestatem & sanctitatem, personam Christi Iesu potestatemque sustinentes considerantibus alumnis & cultoribus nostræ fidei, nihil sacra Theologia occurrere poterit clarius, aut excogitari sublimius. Omnia planè sacra Theologiæ scientia, omnia tantæ doctrinæ monumentis geruntur & administrantur in orbe terrarum, siue Ecclesiæ, siue laicorum ordinis cuiuscunque statum, quo vtroque totius orbis administratio continetur, attenta cogitatione perpendimus. Quæ verius patebunt & illustrabuntur, cum intulerimus mentes & cogitationes in sacrarum litterarum doctrinam à Christo Iesu petitam, postea traditam ab Apostolis, quæ sunt certissima diuinæ voluntatis oracula, in sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ dignitatem, in conciliorum præsertim generalium auctoritatem, in quibus præcipuè floret & dominatur Ecclesiæ sanctissimæ Catholicæque ius & imperium summum, in Doctorum sanctorum grauitatem, in testimonia clarissimorum Theologorum, in rationes accuratas & exquisitas, atque in Iura postremo & responsa Pontificum Romanorum, quæ à cœlesti hac disciplina profecta fuerunt, quorum cumulo ornamentorum splendere cernitur, splendebitque semper diuinæ Theologiæ

giæ gloriosa semper venerandaque maiestas. Sed iam ad vtilitatem tantæ doctrinæ nostram orationem conuertamus: cuius commodis & emolumentis innumerabilibus, vereor ne nostræ exiguæ orationis nauicula hoc in mari vastissimo quasi fluctibus obruatur ingentibus, cuius partis magnitudinem iustitiam ab ipsius Dei cunctis mortalibus per Theologiam allata perfecta, consummataque cognitione. Quam cùm partim hominibus, natura duce, tantus Dominus patefecerit, præcipue tamen perfectam à Christo Iesu Theologiæ cognitionem datam didicimus, & accepimus. Cùm enim quis esset Deus, & quod tantæ maiestatis numen potentissimum homines non agnoscerent, in profunda rerum caligine versabantur, & Deos ac Deas innumerabiles Idololatriæ superstitionibus, & erroribus nefarijs implicati venerabantur, & eos summo studio ac religione, amentes & cæci, & in exitium ac perniciem animorum ruentes colebant. Hinc tanta Idolorum multitudo, infinitusque Deorum ac Dearum numerus, Apollo, Mars, Mercurius, Æsculapius, Venus, Diana, Minerua, cæterique Dij Deæque diuinis honoribus afficiebantur, præcipue tamen Iupiter, ac Iuno: ille Deorum Princeps, hæc Deatum Regina. Horum si scire vultis mores & vitam flagitiosam, & omnibus sceleribus iniquinatam ex antiquorum voluminibus accipietis. Hi enim in omnes libidines intemperanter effusi, passim adulteria nefaria perpetrabant. Quamobrem liberos habuerunt innumerabiles, ex stupris, ex adulterijs, ex incestu detestabili susceptos: Deæ verò non minus in libidinem procliues pronæque ferebantur. Iunonem sororem Iouis Poetæ fingebant, & hanc vxorem eiusdem: Venerem verò Deam totius impuritatis, ac libidinis, excitantem faces amoris accensas, quibus flagrabant iuuenes & reliqui mortales Veneris sectatores turpissimi. Hæc filium habere dicebatur totius turpitudinis auctorem: & inuentorum voluptatum turpissimarum, captum oculorum aspectu vel potius oculos tæniarum oppositu velatos, nudo corpore reliquis in partibus, vt omnes impuritates aspectu suo magis, & effrænatas libidines excitaret in hominum oculis incidens. Quòd si non longius progressa fuisset veterum amentia, miraremur satis: sed habemus furorem illorum & amentiã stupendam in aliarum rerum nequissimarum portentis & prodigijs horribilibus, quas diuino cultu religioneque prosequi non destiterunt. In primis res mutas, & inanimes, in quibus appareret aliqua pulchri-

tudinis elegantia, vel deformitatis horror execrabilis in Deorum numero ponebant. Quid mirer cum peccati tenebris obcæcati fuissent, cœlum illos Dei honoribus coluisse, cùm in illo tam pulchram & spectabilem formam, & elegantiam aspicerent? cum diu ex omni parte patens & apertum, tranquillum ac serenum, tanta alacritate Solis circumfusum; nocte astrorum cœlo ipsi inhærentium diuersitate ornatum, & Lunæ dissimili varietate distinctum intuerentur? Quid etiam admirationis efficiat, si terram verno præsertim tempore in Dearum numerum ascribebant, & magnam Deam ab omni ratione deuij ac præcipites appellabant, cùm tot ac tantas in illa mutationes ac varietates viderent, & modo hyemali tempore terrarum horridam ac deformem, modo veris iucunditate viridem & amœnam, vestitu multiplici ac vario pictam, violis, rosis ac floribus stratam, & tanta odoris suauitate flagrantem suis sensibus vsurparent? Inde tot herbas ad hominis salutem & victum, & flores ad vitæ delicias & suauitatem, denique fructuum multitudinem & vbertatem ad homines alendos, æstate vero segetes ad metendum opportunas, falcem appetentes: iam inde perceptionem tantam frumenti, & omnis generis fructuum ad victum annuum necessariam suppetentem cunctarum rerum aspicerent terram altricem. Neque cœlum solùm editum & excelsum, & terram in infimo solo positam, sed res in eisdem contentas, globos scilicet micantium astrorum, Lunam modò ineuntem, modò crescentem, & decrescentem, mediam, plenam, & exeuntem, propter luminis varietates, atque ipsas herbas, ex quibus aliquid vel vtilitatis vel damni capiebant. Neque hæc duntaxat constituerunt amentes & insani homines in Deorum numero, sed ita ad terram animos abiecerunt, vt mentes à sublimibus & cœlestibus deijcientes, & animalia rationis expertia, ad belluas efferas & immanes colendas venerandasque demiserint sese, lupos igitur, quod in media noctis caligine vlularent, Leones, quod rugitu terrifico vastam solitudinem commouerent, Tygres, & Vrsos, quod horribili diritate sauientes in hominem adiuissent, plenissimi timoris colebant: Vt autem magis insciciam, & ignorationem hominum miremur Crocodillos, feles, mures Deos habebant & nominabant. Ex rebus autem terræ istius infimæ allia, cæpe, quod acrimonia tanta fuissent, vt lacrymas exprimerent, Deorum honoribus iudicabant dignissima. Sed dies me profecto deficeret, si rerum,

quas

quas diuinis honoribus homines olim prosequebantur, oratione commemorare vellem. Illud verò stupore suo mentes opprimet, sic fuisse stupidos, & ad omne flagitium, & voluptates turpissimas præcipites potuisse ferri mortales, vt scelera ipsa flagitiaque, obscœnitates & impuritates libidinum intemperantissimarum, Dearum sanctitate prosequerentur. Atqui sanctum & honestum habebatur in ipsis templis inferri stupra, committi adulteria, libidines omnes suscipi, & has Dearum affici nominibus, eisdem sacrificia fieri stata solemniaque. O summam hominum ignorantiam! O profundam generis humani caliginem! Quæ quondam templa ædificabantur? quæ excitabantur aræ? quæ sacrificia fiebant? qui honores tribuebantur? non thure solùm, & infinita animalium strage, sed mortalium sanguine profuso templa funestabantur? Quid hoc tetrius? quid sceleratius? quæ maior hominum ignoratio excogitari fingique potuisset? Totus terrarum orbis idololatriæ superstitionibus, dæmonis sceleratissimi nequissimo dominatu tenebatur. Nullus erat angulus, nulla pars præter Iudeæ fines exiguos, quibus Deus verus & immortalis agnosceretur. Atque gens hæc multis tegumentis & inuoluc is veritatem vnius Dei adumbratam tenebat oraculis diuinis traditam & acceptam, non ex omni parte; & sæpè à verò Dei ipsius sempiterni honore ad Idolorum cultum reuocabatur, sine mente, sine iudicio perturbationibus temerè concitatis ducta. Quæ res huic malo medicinam afferre potuit & in tantis tenebris & obscura caligine degentem hominem ad veri sempiternique Dei lucem aspiciendam excitare, Auditores? Sacra cœlestisque disciplina, quæ Deum vnum, & hunc duntaxat summa Religione colendum verissimè constantissimeque docuit, cæteros Deos Deasque ex mendacijs factos, cum diuinis editis miraculis & ab ipso Deo datis responsis cœlestibus, tum accuratis exquisitisque rationibus sæpè palam ad veritatem patefaciendam miraculis in memoriam redactis, abijciendos ad amandosque procul demonstrans. Quod quanti habere debeamus, homines cunctarum ætatum & nationum antiquissimarum facile declarabunt, vetustissimis temporibus altius repetita tenebrarum, in quibus iacebant, cymmeria profundaque caligine, quæ sic demersit cunctorum animos, vt non solum barbaræ & immanes gentes, sed neque Spartani, neque Persæ, neque Lacedæmones, qui Regnorum & Imperiorum latè patentium dominatu potentissi-

mo floruerunt, hanc vnius immortalis Dei cognitionem habuerint. Non Athenienses agnouerint, qui operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus, & gloria summorum hominum viguerunt: vnde humanitas, doctrina, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putabantur, quique cum multa eximia diuinaque dicerentur reperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum modum rationemque, qua ex agresti immanique vita exculti homines essent ad humanitatem. Non denique Romani tenuerunt, qui Principes terrarum humanitatem, fortitudinem, litteras & res Atheniensium maioribus auxerunt incrementis. Omnes enim hos, nulla cogitari potest idolorum superstitio, quæ deuinctos miserrimeque constrictos non teneret: de Deo tamen nullam certam neque exploratam scientiam assequuti fuerant. Quid verò si non solum vnum Deum & immortalem, sed hunc etiam vnum & trinum in tribus personis Patre & Filio & Spiritu Sancto consistentem ostendit sacra Theologia? Hoc ne mysterium tam abditum & retrusum & à communi hominum intelligentia remotissimum, cum de Deo vno nihil certi, nihil explorati habuerint, sed quantum vel ab Hebræis Philosophi nonnulli mutuari potuerunt, vel ex hac molitione rerum & gubernatione aliquam ipsius, & rectoris tanti notitiam quæsierunt, suæ mentis tenuitate consequi potuisse putatis? Est istiusmodi arcanum humanis mentibus, & ingenijs superius diuturnitate celsitateque sua. Quare cum B. Augustinus rem tam altam, & longè nostrorum ingeniorum viribus imparem esse, contenderet, in maris littus accedens de tantique mysterij magnitudine cogitans incidit in puerum, scrobiculum aqua maris replere conantem, vno, altero, maltoque hausto, donec exhaurret vniuersum mare. Rogatus puer, quo spectaret sua tanta, tam laboriosa, ac planè inanissima contentio: Angelus qui pueri illius formam & figuram susceperat, sine cunctatione mentem exposuit. Mirabile autem dictu, statim ex Augustini oculis abduxit sese. Illo responso, factoque obstupuit Augustinus, & inscientiam agnouit illico, quidque Deus, optimus ac maximus eidem per Angeli speciem ostendere voluisset: nempe supra se esse, velle sanctissimæ Triados arcanum reconditum & altissimum assequi humanæ mentis imbecillitate. Hoc igitur, quod ad absolutam de Deo cognitionem tenendam necessarium erat, sacra cœlestique Theologia duce consequemur,

mur. Quod neque diuinis in litteris Hebræos præter admodum paucos agnouisse, neque in Syria Chaldæos Astrorum scientia præcellentes, neque Persarum Magos ingeniorum acie celebratos, neque sacerdotes Ægyptiorum tot antiquorum litteris præditos, neque Bractianorum Semandos, aut Gymnosophistas Indorum tanta discendi cupiditate flagrantes, neque Græcorum sapientes, omnibus bonarum artium ornamentis florentes, neque Latinorum Doctores, omnibus prope litteris, & scientijs ornatos animo comprehendere, aut attingere suspicione potuisse certum erat, nisi ab immortali Deo diuinitus patefactum esset, Theologi litteris suæ sacræ disciplinæ facillimè ostendunt Duce semper ac præceptore præeunte tantæ doctrinæ Christo Iesu Filio Patris Æterni. Quòd verò Sybillæ crebram suis carminibus Patris, Filijque mentionem fecerunt, quod libros de Christo, de suæ gentis origine, de mundi ortu conscripserunt, quod Mercurius Trismegistus suis sermonibus diuinitatem vnam in triplici Hypostasi esse tradiderit, quòd Zoroastes, & Chaldæi de Patre & Filio aliquid aliquando tradiderint testante Psello Philosopho, & Christiano auctore, quod Ægyptij, cum Deum tenebras ignotas nominarent, teracclamare consueuerint ad trinam Hypostasim ostendendam, quòd Platonici multa diligenter & apertè de Trinitate disseruerint, id non nego, sed illud contendo confirmoque constantissimè, à Deo priscis illis, & præstantissimis viris tradita hæc fuisse. Atque illi, quos proximè nominaui Platonici in Christianorum tempora inciderunt: qui de sanctissimâ Triade loqui potuerunt: Sed nunquam ita loquuti fuerunt, atque nostri Theologi tanta cum perspicuitate absolutioneque, duce sua scientiâ, maximoque perfectore Christo Iesu. Quare quantum huic doctrinæ, quantum auctoribus & principibus illius debeamus ex præsentis temporis allata luce mortalibus & disiecta penitus cuiuscumque difficultatis caligine cognoscite. Sed persequamur cætera, cum eadem sacra Theologia diuinarum mentium præstantiam & dignitatem, cùm illarum ordines & gradus celsissimos, cùm dona ac munera præcipua singularum, cùm lucem à Deo propius, aut remotius acceptam, cùm conflictum cum nequissimis mentibus acerrimum, & Luciferi, & suorum improborum spirituum ruinam Theologia demonstret, quantam mortalibus vtilitatem affert? Quid cum de ruina prima parentis, de ratione nostri generis instaurati, de recuperata meritis

Christi Iesu dignitate naturæ humanæ agit, non patent antiquorum mendacia de lumine, prauitate Iapeti, cœlitibus abrepto? non Deucalionis & Pyrræ fabulæ deteguntur? non aliæ multæ hominum animis iniectæ tenebræ dispelluntur? non via per Christum Iesum patefacta cœlorum ostenditur, non modus & ratio ad Beatorum gloriam aspirandi? Quid dicam de meritis & infinita virtute Christi Iesu Theologiæ munere demonstrata, de septem Ecclesiæ sacramentis, de pulchritudine, splendoreque Ecclesiæ, de gradibus Heroum Christianæ fidei sublimibus, de tot Confessoribus, Martyribus inuictis, Doctoribus clarissimis, integerrimis virginibus, cæterisque cœtibus triumphantis aulæ celsissimis? Omnia clariora splendore Solis illustrantur beneficio sacræ Theologiæ. Iam vero gratiam non dicam esse diuinæ Theologiæ, qui militantis Ecclesiæ statum, florentemque dignitatem sic vno Christi Iesu Vicario Pontifice Romano decoratam extollit, vt illius pulchritudine cœlesti mirabiles sui cunctorum animis tantæ venustatis, elegantiæque præcellentis amores excitentur. Dum illius pulchritudinem mirandam, ornamentorum tanta dignitate distinctam, firmam & perpetuam stabilitatem, nullis vnquam temporum procellis, tempestatibusque conuellendam, similitudinem eiusdem & agnationem tanto concentu & harmonia cum cœlesti ciuitate congruentem visendam spectandamque suæ doctrinæ virtute præbet, miræ vtilitates, mira commoda cernuntur. Dantur opportunitates plurimæ maximæque ad hostium infringendam labefactandamque pertinaciam; sed de fidei teterrimis hostibus viderimus postea: nunc in mentem vobis veniant virtutes, quæ à Christo Iesu, & Apostolis demonstratæ dirigunt iter in cœlestem Beatorum sedem: summa sanctorum perfectaque absolutio, contemptio ac dispicentia rerum humanarum, magnitudo animi in periculis subeundis, in superandis difficultatibus, in aduersa secundaque fortuna æquabilis, & paratissima semper, ad diuinam voluntatem exequendam animi propensio perpetua, cum demissione supplici, cum inuicta patientia, caritas in Deum, & in proximum inflammata singularum virtutum, & perfectionis absolutæ dux & princeps, qua aberrabit homo nunquam, sacra expectetur Theologia. Nam cum donum istud tribuebatur quondam Philosophiæ, & illius præceptis salutaribus, multi Philosophi vrbium relicta celebritate, mortaliumque cœtu frequentissimo in vastam ac desertam solitudinem

dinem se contulerunt, & alij patrimonium à maioribus acceptum reliquerunt, vt rerum cœlestium contemplationi vacarent, & cœlorum conuersiones, & tantam illorum in omni tempore stabilem, perpetuamque constantiam, Lunæ multiplicem varietatem, eiusdem, Solisque defectionem, & reliqua naturæ abdita occultaque mysteria contemplarentur; quid fecisse putatis futurosque veros Christi Iesu cultores, excitatos viribus diuinæ Theologiæ? Si multi Philosophi, duce veteri Philosophia nostræ Theologiæ vmbra minima, adumbratoque simulachro rebus huiusce sæculi nuntium remiserunt, & argentum, & aurum in mare proiecerunt; perfecti Christi imitatores quid præstitisse præstiturosque esse per omne tempus arbitrabimur, facibus huiusce doctrinæ flagrantibus inflammatos, bono, & acerrimo mentis acumine præditos? Testarer Gregorios, Ambrosios, & omnes Ecclesiæ Doctores: testaret alumnos sacrarum familiarum præstantissimos, testarer auctores, & parentes sanctissimorum nostræ Religionis Ordinum, Benedictos, Dominicos, Bernardos, qui præsidijs sacræ disciplinæ tantam diuini numinis cognitionem consequuti fuerunt: sed experientia quotidiana singulisque diebus facta pericula de virtutibus Theologorum, me silere de tantis, tamque testatis rebus compellunt, & illud cum magna sacræ disciplinæ gloria prædicare; Nullum tam capitale flagitium, nullam tam vehementem perturbationem, nullam tam exitialem pestem futuram esse reperiemus, cui medicinam sacra Theologorum doctrina non faciat. Inanis gloriæ cupiditate, & honorum huiusce sæculi auiditate flagras? hanc sedabit sacra Theologia: diuitiarum appetens argentum & aurum, & perituras opes, ad quas sectatores auari incredibili amore decurrunt, cumulare pergis & augere? sitim hanc insatiabilem extinguet eadem sacra Theologia. Indomitæ carnis cupiditates libidinis appetitum excitant? hunc coercebit ac reprimet eadem disciplina. Iracundia mentem de suo statu deiicit, & ad insaniam præcipitem adigere visa est? huius impetus cohibebit diuinæ Theologiæ doctrina. Vix posse videris abdomen explere ventris insaturabile, cibi vinique appetentissimus? temperantiæ adhibendæ modum rationemque præscribent sanctissima Theologiæ placita. Si fortasse aliorum florenti fortuna videas inuidiam in animo excitari tuo, flagrare desines Theologiæ salutaribus præceptis. Si otio cœperis & desidia languere, ad res eadem, ad laborem,

ad actiones suscipiendas stimulos adhibebit Theologiæ cœlestis sapientia. Nullum erit animo vulnus infictum, nulla tam mortifera plaga, ad quam sanandam non pharmaca præsentanea possit afferre Theologia sanctissima, & multo quidem præstantiora, quàm illa quondam à Socrate vocata de cœlo Philosophia, quæ suis præceptis nunquam ita morbos animorum potuit depellere, vt libera & vacua perturbationibus fuisse videretur mens, in tenebris semper iacens idolorum obscurissimis. Sed tu Christianæ Religionis cultor, vos omnes, Auditores, conuertite vestros animos, quocunque volueritis, adhibete remedia, quæ compararit sacra Theologia, & quàm animo constanti, quàm omnibus malis libero, quam in Deum semper intento, & in æternæ fœlicitatis immortalitatem sublato passim eritis, experiemini. An vlla pars esse poterit Reipub. An vllus status & fortuna mortalium, quibuscum non videatur esse sacra Theologia? An domi? an foris? an in foro? an in tribunali? an in contrahendis negotijs? an in agendo quocunque modo ac ratione iuris? an in Ecclesia, an in vita, an in discessu animi è corpore? an vllo postremò tempore, si sui ipsius homo rationem habere voluerit, si consulere suo animo, ab hominibus abesse potest tantum & tam cæleste donum? Clarum est in academijs illam versari; certum etiam in cœnobijs sacrarum familiarum: non minus exploratum in templis, in suggestis ad populum conciones habentem dominari. Neque propter dignitatem suam à Pontificum sedibus, à concilijs sanctissimorum Patrum, ab ipsius Romani Pontificis aula abesse posse cuiquam dubium est. Illud est etiam, quod recognoscere ac confiteri debemus omnes, cum vniuerso genere mortalium semper esse, semperque agere sacram Theologiam, si volunt, è Christi Iesu disciplina, è suis placitis, ex animorum vsu officio suo quocunque fungi; atque post vitam in cælorum sedibus reliquis conticentibus artibus, atque scientiis, silentibus disciplinis, quibus opus non erit, sacræ Theologiæ doctrinam, & dogmata in Beatorum agminibus, in diuinis mentibus, in Christo Iesu, in sanctissima celsissimaque Triade perspicuè clareque ostentantem se nunquam videre desinemus. Sed vt hæc omnia melius intelligantur, recordamini quæso partem sacræ Theologiæ triplicem, concertatoriam scil. placidam, & concionantem. Prima quodcunque genus hominum vero cultu Religioneque Dei optimi ac maximi, & eiusdem diuini numinis notitia singulari mirabiliter instruit:

ſtruit: altera cum quæſtiones dubias & obſcuras, ne quidquam agat, ne contrahat homo, niſi piè, ac ſanctè, ſoluit & de medio tollit; tertia hominem à vitijs auocat, in virtutis ſtudium inflammat, & ad cæleſtia beatorum domicilia, ad gloriam & ad aſpectum diuini numinis, in quo vera ſanctorum fœlicitas poſita eſt, mortalium animos euehit. Faceſſat iam Pericles ille, qui quondam ſpiſſis & horribilibus verborum fulminibus mentes hominum commouere dicebatur. Faceſſat Ægeſias Philoſophus, qui ſic tragicos exitus & vehementer calamitoſos humanæ vitæ dicebatur exprimere, vt audientibus appetendæ mortis cupiditatem ingeneraret. Faceſſant poſtremò veteres omnes Philoſophi & Principes facultatis oratoriæ, Cicero, Demoſthenes, qui mouendis affectibus plurimum valuiſſe ferebantur. Omnes illi ad noſtros Theologos, ad Chriſtianos concionatores nulla ex parte comparandi ſunt. Noſtri enim ſingulares & egregij concionatores, noſtri præexcellentes diuini verbi præcones cum à vitijs auocare volunt mortalium genus, quas faces admouent propoſitis impiorum ſupplicijs? quos damnatorum cruciatus, quas pœnas multitudine innumerabiles, grauitate horribiles, diuerſitate multiplices, diuturnitate temporis ſempiternas opponunt? cum iuſtitiam diuini numinis, & illius infinitam potentiam, in ſceleratos homines inuecta mala, vaſtatas vrbes, deleta Regna, genus hominum vniuerſum præter paucos homines aquarum illuuionibus è viuis ablatum confectumque proponunt, non auditores totis artubus ac membris contremiſcere cogunt, deque meliore vitæ ratione inſtituenda cogitare? Non hi, quod Vlyſſes feciſſe dictus eſt cum Aiace Telamonio contendens, Mineruæ Palladion, non puerorum ſordes aratorum, non rei ſqualorem ante oculos ſtatuunt, ſed ſanctorum aulæ cœleſtis Heroum, celſiſſimæ cœlorum Reginæ, Chriſti Ieſu ſimulachris & imaginibus ſanctiſſimis agunt, & contendunt cum auditoribus, & illorum animos cera ipſa molliores reddunt, & traducunt ad omnem ſanctitatis abſolutam perfectionem; cum vero ſpem mouere, cùm lætitiam afferre, cùm metum iniicere, cum excitare luctus, & exprimere voluntlacrymas ab Auditoribus, quoſcunque motus efficere, & confutare placuerit, boni concionatores poſſunt & faciunt ad voluntatem facilè, rerum, quas ſacra Theologia præſtat multitudine præſtantiaque mirifica. Quid amplius vultis? video vos expectare, quod de induſtria in vltimam orationis partem reſeruaui, vt quantum

Theolo-

Theologia possit contra hostes nostræ Religionis infestissimos, videre cupiatis. Multi sunt hostes nostræ fidei, multi bella faciunt Matri Ecclesiæ, multi cælitibus, Virgini sanctissimæ Christo Iesu, & immortali Deo bella hostili crudelitate imbuti faciunt. Repetite quæso memoria diuersas hominum ætates. Recordamini multa sæcula, quæ præterierunt iam. Ab incunabulis propè nostræ Religionis hostes exorti fuerunt, & bella exitialia ad hæc vsque tempora, cùm in Germania, cùm in Flandria, cum in Scotia, cùm denique in Anglia signis infestis; & collocatis castris, terra copijs plurimis, mari classibus ornatis & instructis hostes nefarij Ecclesiam, dulcissimam Christi Iesu sponsam exscindere, funestare, & ad occasum interitumque deducere conati sunt. Nolo obductas Hæresum antiquarum cicatrices refricare, & illarum luctuosa recordatione denuò vestros animos vulnerare. Cùm Mater Ecclesia ab his nefarijs hæreseos satellitibus violata fuit, quem non violauêre sanctorum, dum cælites minimè colendos esse contendebant, quo sancto honore à Matre Ecclesia coluntur? Quid alij, qui cum corporibus interijsse animos & extinctos esse pugnabant, mali fecerunt? quos illi tumultus excitarunt? qui sacramenta, qui confessionem, qui sanctissimam Eucharistiam ab Ecclesia auferebant? in te, Virgo sanctissima, coniurarunt hostes, & furiæ Reipub. quam non omni tempore castam & integram volnerunt, alij non ex sanguine tuo castissimo purissimoque Christum Iesum ortum fuisse, sed corpus illius è cælo in tuum vterum sanctissimum elapsum fuisse asseuerarunt, & vt specularia Solem radijs, Christum corpus tuum infinita sua virtute penetrasse. Quid de hæresibus in Christum Iesum concitatis? quàm multæ, quam temerariæ? & ab omni rationis specie remotæ? quàm denique seditiosæ, turbulentæque? modò priuant natura humana Christum Iesum, modo diuina spoliant, modò Patre inferiorem faciunt, modò telis aliis, & hastis proscindere conantur. Ne quid quam non violarent, & polluerent, in sanctissimam Triadem quæ mendacia confinxerunt? quæ tela iecerunt, & retorserunt prælijs acerrimè confligentes? Quis hostium tantæ multitudini possit obsistere, & illorum incitatos, ac furentes impetus imprimere? Tu, tu inquam sacra cælestisque Theologia, cogis copias, signa confers, instruis acies, committis prælia, & contra singulas hæreses tela mittis, acerrima tormenta displodis, gladios distringis, versas in omnem partem, fugas hostes & conficis mille

mille plagis ac vulneribus illatis, disputationibus maximis, coactis conciliis, auctoritate Ecclesiæ, responsione Pontificum, rationibus accuratissimis, acerrimis argumentis detegis mendacia, errores aperis, ostendis fraudes & patefacta veritate deles & extinguis pestes has & furias, quæ non-vno in Regno se continuerunt, & latitarunt solùm, sed aluerunt furores suos temporum iniquitate, tumultuantes vbique & omnia delere cupientes, in nostram Hispaniam irruerunt & in Bethicam olim Prouinciam, & in hanc potissimum nostrorum Regnorum florentissimam potentissimamque arcem vrbem Hispalim, & in vtramque Castellam nouam & veterem. Obliuiscine potestis Cazallas? Obliuiscine Ægydios illos, & Constantinos, qui cuniculis occultis nostram Fidem deformare, & has terrarum partes hæreseos contagione inficere studuerunt, nisi ex occultis & nocturnis conciliabulis in lucem protulisset auctores tanti mali cœlestis ac diuina Theologia? Quid Hispaniæ, quid Regnorum omnium florentissimis domiciliis actum fuisset? periissent, interiissentque partes istiusmodi opulentissimæ fortunatissimæque: cùm alii populi, cùm vrbes aliæ, præcipuè Vallisoletum interiissent, interiisset Hispalis, duo maxima clarissimaque Hispaniarum lumina. Iam verò cum ex diuersis terrarum partibus non pauci confluxissent in Hispaniam, cùm multi agerent & nostris in sedibus nobiscum morarentur, quid detrimenti ex vtriusque gentis renouatis & excitatis aliquando cæremoniis, ex ritibus execrandis, ex Iudæorum lege à nonnullis clam repetita, & ex Mahumetis secta detestabili clam serpente nostræ gentes accepissent, nisi tot malis & calamitatibus occurrere maiores nostri diligenter properassent bono sacræ Theologiæ? Obsecro, quando oculis non potestis, mentibus comprehendite Angliam modo duntaxat à Fide Christiana disiunctam, & ab Ecclesiæ nostræ gremio abstractam. Quantis in tenebris illa iacet? quibus in erroribus versatur? quemadmodum Hæreses sexcentas amplectitur? & sine sacra Confessione, sine Eucharistia sine Sacramentis omnibus, placita nostræ Fidei abiicit, omnes hæreseos administri ad voluntatem suam nutumque viuunt, sanctorum opem, patrocinium Virginis Mariæ, Christi Iesu decreta, Vicarii sui Romani Pontificis auctoritatem, sacrificium rei diuinæ, ritus & cerimonias Ecclesiæ abiiciunt, in suarum nidore ganearum, sordibusque fœdissime edentes, potantesque intemperantissimè, ructant sermonibus pro-

scriptio-

scriptiones bonorum, cædes Catholicorum, exitium & interitum Christianæ Religionis, ea de causa in Catholicorum bona impetum faciunt, diuitiis & vita spoliant. Qui cum illis Christiani agunt, ij occulte versantur in illis Regnis, & multi è patriis sedibus electi exules & extorres viuunt principum misericordia Catholicorum. Qui manserunt, cum capiuntur, carcerem continuò, cruciatus plurimos, tormenta, quæ non tyranni quondam excogitarunt vnquam; mortem denique crudelissimam, nisi à Fide defecerint, perpeti coguntur. Quid in nostra Hispania, in his Regnis Fide Catholica florentibus insigniter aspicitis? O bonum sacræ Theologiæ maximum! munus diuinum atque cœleste! O vere Dei immortalis donum & inuentum! Quod stantem Fidem, quod incolumem Religionem aspicimus, quod sacramentorum tantam frequentiam, quod tantum Fidei Christianæ cultum, quod incrementum & amplificationem maximam, quod tantam assiduitatem ardoremque pietatis, quod tam inflammatum in sanctos omnes, & maxime in Virginem sanctissimam studium & Religionem, quod obedientiam & deuotionem animorum ad sanguinem vsque profundendum pro rebus diuinis, pro Religione, pro Romani Pontificis auctoritate tuenda, quod retentos & suis in Regnis altos Christi ie u cultores ex hæreticorum sedibus in sua Regna confugientes, quod tot ornamenta monumentaque Fidei Christianæ passim Hispanorum religione magnificentissime constituta cernitis, omnia sunt trophæa insigniaque cœlestis Theologiæ. Illi abiecerunt Fidem, Religionemque Christianam; nos colimus, & colere parati sumus in perpetuum. Illi errores & falsa dogmata confinxerunt, & amplexi sunt; nos veritatem & sacra Dei præcepta profitemur, & veneramur. Illi à matris Ecclesiæ gremio disiuncti, in sexcentas diuiduntur sectas, & factiones detestandas; nos in Ecclesiæ Romanæ sinu complexuque acquiescentes vnam Catholicam Romanamque sedem tuemur ac defendimus. Illi sacramenta sanctæ Ecclesiæ negant & eiiciunt è suis sedibus; nos summo studio, necessaria ad animorum incolumitatem, ad immortalis Regni gloriam comparandam complectimur, & frequentationem eorum honore debito prosequimur. Illi rei diuinæ sacrificium in suarum popinarum & ganearum nidorem execrabilem conterunt; nos sacrificium & victimam hanc cœlestem quotidie supplici veneratione, corporibus pronis, pectorum sanctissima percussione testa-

testamur. Bonis, & vita cultores Christianæ Religionis sanctissimos crudelissimè spoliant; nos eosdem omni laude prædicatione que celebramus, alimus, atque defendimus. Illi denique bella suscipiunt in Fidei sanctissimæ defensores; nos acies instruimus equitatu, peditatuque multo, & corpora nostra in gladios, in tela fortiter hostilia coniicimus, nihilque nobis iucundius, nec honorificentiùs accidere potest, quam pro Christiana Religione, pro gloria sempiterni numinis iugulum tradere carnificibus. Vnde tantum boni precor, vnde tantum fœlicitatis Hispaniarum Regnis, si rectè cuncta pensentur, euenisse putabitis, nisi è Theologiæ sacræ disciplina (quæ maxime colitur ac viget in Hispania) tantarum vtilitatum duce ac principe maxima? Hæc est illa disciplina, quæ circuli forma rotundi significatur, vt sine Theologia cœlesti nihil suis numeris absolutum esse cognoscamus. Hæc est illa, ad quam Dialecticæ, Philosophiæ, naturæ, morumque indagatrice, ac cæterarum artium cognitione, quasi gradibus quibusdam ascendimus. Hæc est illa, quæ Regina cunctarum facultatum & disciplinarum maximarum, principatum & dominationem in solio dignitatis Regiæ collocata tenet amplissimam. Hanc cunctis artibus & disciplinis præcellentem cum summâ recognoscite maiestate, cui se Dialectica, cui Philosophia, cui Medicina, cui Iurisperitia, cui omnes artes disciplinæque dederunt humiliter, & demissæ nimis ad omnia, quæ sibi opus fuerit, & singulæ suam operam & studium pollicentur atque deferunt, ex matris Ecclesiæ commodo & vtilitate maxima. Singulæ seipsas recognoscunt multo inferiores, sacræ Theologiæ ancillas humiles & obsequentes & ad inseruiendum paratissimas. Videt Dialectica ea de causa ponendi sibi argumentum, & vtendi suis aculeis potestatem esse datam, vt cum cæteris artibus & scientiis, tum maxime diuinæ disciplinæ debeat inseruire. Recognoscit Philosophia vim omnem præceptis imbuendi mortalium animos, & bonis informandi moribus magis præcipuam esse sacræ Theologiæ, quam facultatis quondam à Philosophis sibi concessæ. Medicina verò sanat morbos corporis, ægritudinesq; depellit, sed cœlestis Theologia perturbationes animi, vitiaque grauioribus pestiferisque morbis tetriora delet & extinguit. Iurisperitia cõponit Rempub. & iure æquabili, suis legibus aç decretis pacatam tranquillamq; conseruat. Theologia ciuibus legum secundarũ, & pacis retinendæ modum ex Christi præscriptionibus salua semper conscientia, cum animorũ mirabili integritate

tegritate proponit. Vna deest Rhetorica, quæ floſculis & inſignibus verborum ac ſententiarum omnes facultates ornat & diſciplinas; ſed quemadmodum in ſacram Theologiam omnes omninò ſe dedunt, hunc ornatum & ſplendorem orationis multo libentius cœlesti diſciplinæ defert ac deuouet. Quamobrem ſingulæ artes & ſcientiæ dant hodierno die, & ad illus genua prouolutæ, quidquid facultatis, quidquid operæ, quidquid ornamentorum, & diuitiarum habent, ſummaque cum demiſſione deuouent, nihil ſacra Theologia clarius, nihil illuſtrius, nihil diuiniùs recognoſcentes profitenteſque. Huiuſce diſciplinæ ſanctiſſimæ dignitatem & vtilitates admirabiles priuatim allatas & vniuersè contemplemur, & illius amore flagrantes, pro tanto in Rempub. Chriſtianam, in omne genus hominum collato beneficio, ac munere cœleſtis ſapientiæ gratias immortales ſummo cœlorum architecto, qui nos tam ſalutaribus, firmis, neceſſariiſque præſidiis ad ſuam maieſtatem cognoſcendam, veriſſimoque Religionis cultu ſuſpiciendam, ad victoriam ex hoſtibus fidei teterrimis glorioſè conſequendam, ad animos virtutibus, Rempub. meritis cumulandam, ad cœlorum tandem comparandam immortalitatem, muniuit & ornauit, læti ſemper & exultantes ſine intermiſſione nunquam agere deſinamus. Dixi.

Orationes ad petendos gradus, quæ conſtant ex ſimili, accommodatione, oppoſitu, & teſtimoniis & exemplis & Comparatione.

Prima Oratio ad petendum gradum ex ſimili.

GEmma, P. G. magnopere ſemper ab hominibus appeta fuit, tum propter æſtimationis magnitudinem, tum propter pulchritudinem & præſtantiam ſuam illuſtrem: qua nitent & ſplendent res, ad quarum ornatum adhibetur illuſtrata nitore clariſſimo. Quæ quo pretioſior eſt, auidiùs quæritur, carius emitur, pluris habetur, & ad res maiores & illuſtriores ornandas decorandaſque confertur. Atque ipſa Gemma quamuis magni pretii & æſtimationis ſit, quandiu latet conchæ tegumento abdita, quia minimè cernitur, neque pretii,

pretii, neque pulchritudinis, neque nitoris magnitudinem ostentare potest. Atque intra Concham contenta nulli vsui videtur esse: quæ tam eximiam lucem affert è tegumentis voluminibusque conchatum extracta, & ad rerum decorem & venustatem, quarum ornamentum est, & lumen illustre, summa concinnitate adhibita, vt eximio & illustri splendore longè lateque colluceant res istiusmodi gemmæ claritate fulgentes. Sic equidem, Auditores optimi, sapientia gemmarum valde similia, quanquam propter pretium, pulchritudinem, splendorem istum, tanti apud omne genus hominum habeatur, quanti vos omnes in omnibus academiis, in populis, vrbibus & regnis florentibus videtis eam semper habitam fuisse, & hisce florentissimis temporibus haberi: tamen neque magnitudo illius videretur à mortalibus perspicuè, nisi pulchritudinis aspectu ad illam appetendam & comparandam allicerentur mortales: neque sui splendoris radios eadem tam longe lateque diffunderet, nisi ex tenebrarum obscuro loco prodiisset in mediam Orbis gentium lucem & claritatem, suæ pulchritudinis, dignitatis, & splendoris insignibus illustrata, quæ tanto clarior & illustrior splendet, quanto clariora sunt & illustriora, quibus nitet & elucet, ornamenta. Ita quidem sunt gradus istius sapientiæ, quibus docti homines cohonestati clarius eminent & splendent, & ex illis magni æstimantur, & deliguntur ad honores Reipub. maximos, ad Regnorum gubernacula pertractanda, ad Ecclesiæ sedes honorificas, atque adeo ad Pontificiæ dignitatis culmen & fastigium summum. Quamobrem si petam hodierno die primum Baccalaurei gradum, non iniuriam Academiæ feciisse videor, quæ si cupit suorum alumnorum laboribus partas litterarum opes, & gemmas tantæ æstimationis immensis difficultatibus comparatas, vt sint Reipubl. id obtinere non poterit, nisi gemmam hanc in claro lumine posuerit, volens opibus & diuitiis locupletare partem, quæ fuerit etiam Reipublicæ demandata. Mortales gemmas videre cupiunt vt pretii & æstimationis cognitionem & notitiam exploratam habere possint; iidem non minus optabunt cuiuscunque litterariæ facultatis alumnos in publico versantes despicere, vt quidquid litterarum sit, quod illi laboribus & vigiliis adepti fuerint, explorare possint. Mortales pulchritudine gemmarum adducti magis harum cupiditate flagrant; iidem litterarum præstantia concitati in viros doctiores cuiuscunque ordinis litteratii mentem, & oculos coniiciunt.

Denique mortales splendore gemmarum rapiuntur ad lapidum pretiosissimorum præstantiam citius obtinendam ; iidem luce litterarum illustrati, luce tanta carere Rempubl. nefas esse putant, & maximum. Atque hoc magis facere se debere sine dubitatione vident, quod sapientia splendore suo quantopere gemmarum claritatem obscuret nemo sanæ mentis ignorat, cum Reipublicæ omnes, cum Regna, cum omnium mortalium genus luce litterarum orbatum, in tenebris & obscuritate maxima iaceret. Id quod veteres, quanquam Christianæ Religionis luce priuati sapientiam lumen Reipub. & animorum appellantes, posteritati commendatum reliquerunt. Atque ipse sacræ litteræ, non parum auctoritate sua momenti habebunt, quæ sacros Doctores non salis duntaxat, sed lucis nomine decorarunt. Quod si nos lucis, afferendæ Rebuspubl. & academiæ nostræ spe concitati, labores per tot, ac tanta temporis spacia suscepimus, si gemmarum istiusmodi studio & cupiditate succensi vitam nostram in discrimen maximum coniicere non dubitauimus, minimè quidem tibi æquum videre potest, D. sapientissime, in silentio nostra iacere studia : sed vt lucere tandem aliquando videantur, quam petimus post quinquennium præteritum Iuris Pontificii lauream academiæ nostræ sanctionibus debitam impertiris, quam vt impertiatis etiam atque etiam rogo.

Responsio Cancellarij.

Ex simili, a commodatione, oppositis, comparatione.

NEscio quomodo, Baccalauree dignissime, similem in laurea tibi deferenda cogitationem Deus Opt. ac Max. iniecerat in animo meo diuitiarum insidente maximarum similitudine, quæ cum in arca latent reconditæ & asseruatæ, neque illis vtendi facultas homini datur, nullum vsum, nullum possessori fructum afferunt : Sic equidem sapientia cùm in animo lateat, obscuris occultata tenebris nullam impertietur vtilitatem Rebuspub. Opus igitur est, exeat in hanc lucem, & cunctarum gentium theatra clarissima, quæ domi se continuerat, & adhuc intra domesticos parietes, studiorum suorum & eru-

& eruditionis testes, vmbram & solitudinem tenuerat. Quod in sapientia multo magis appetendum est, quam in diuitiis, quod bonorum omnium copiis affluens tanto inferior est sapiente, quanto magis fortunæ bonis præstant, & excellunt animi dona præstantiora. Diuitiæ siquidem ex temporum flatu prospero secundoque pendent: sapientia nullis subiecta est variantis fortunæ procellis. Diuitiæ cum creuerint maximæ, tunc expositæ sunt maioribus ruinis & periculis: sapientia nouis in dies incrementis aucta maiores radices agit, & eas vbicumque sit, latissimè propagat. Diuitiæ splendorem habent inanem & fucatum: sapientia verum atque cœlestem. Quæ cum vtilitates & emolumenta sua mortalibus afferre nequeat, nisi bona communicet cum hominibus auctoritatis magnitudine præditis, quantopere eam obtinere necessarium est ad fungendum recte & vtiliter, & cum dignitate donis ac muneribus suis? Hanc equidem quoniam apex Baccalaurei, & honores litteratorum ostentant, nostrum erit in arca locupletissima, id est in mente tua sapientiam contentam & inclusam ab academia nobis auctoritate tributa, prodere, & proferendarum tuarum in medium opum, sapientiæ, & diuitiarum, copiam tibi potestatemque concedere: vt quas ingenio tuo, quas memoria summa, quas laboribus & vigiliis assiduis assequutus fuisti opes & fortunas sapientiæ maximas, in istius academiæ, in Reipubl. Christianæ commodum & vtilitatem conferas. Concedo igitur Baccalaurei gradum tibi optimo præstantissimoque discipulo, qua fungor ab Academia Matre Doctoris auctoritate concessa.

Secunda oratio ad petendum gradum. Ex simili, accommodatione, comparatione, dissimilibus, & exemplis.

AGricolarum P. G. labor est magnus & penè intolerandus, quem singulis annis, hyeme præsertim & æstate perferunt. Nam primum terram aratri vomere proscindunt, & sulcos deducentes non herbas solum & tribulos frugibus inimicos euellunt, sed glebas perfringunt, & lapides de medio tollunt; Denique vbi terram vident ad ferendum affectam semina spargunt, atque mandant agris: qui aquam, pruinam, niues tolerantes, spe futuræ æstatis, & fructuum per-

cipiendorum expectatione labores omnes suscipiunt, & fortiter patiuntur. Quamobrem ab vrbe, ab ædibus, à filiis, ab vxore abesse, & amicorum consuetudine, conspectuque priuari vidimus eosdem magnam anni partem, & magis asperam, & horridam. Atque illos ipso ætatis tempore grauissimo cœlorum molestias, solis ardores pati necessarium est, & vtroque tempore humi sæpe cubare, iacere sub dio, & duriter vitam agere, nunquam ad animi sententiam bibendo, nec edendo. Atque hæc omnia non patientibus duntaxat, sed libentibus animis perferunt memores illius temporis, cùm sperant fruges ad maturitatem peruenturas, & se multum frumenti non ad filios solùm alendos, sed ad pecunias maximas conficiendas percepturos esse. Itaque spe commodorum & vtilitatum maximarum, quas frumenti copia sibi allatura sit, erigunturad labores agriculturæ perferendos, quos non pertulissent profectò, nisi spem haberent, exeunte iam æstate, quod tempus est condendæ rei frumentariæ, hordeo, triticoque præsertim plurimo horrea se completuros esse. Sic equidem alumni litterarum P. G. procul à patriis sedibus, à parentibus, à fratribus, & cognatis discedere coguntur ad loca aspera sæpe & inculta, & periculis infesta plurimis in ætate tenera, in iuuentutis flore, omnibus paternis iucunditatibus, maternisque deliciis ac suauitatibus priuati, terrasque longinquas, & cœli non raro intemperie saluti pernicioſas petunt bonarum artium percipiendarum causa, quibus dant operam dies & noctes, & contra imbecillitatem infirmitatemque naturæ contendunt non vnum aut duos, sed plures annos, vt quas discere voluerunt colere possint bonas litteras ac disciplinas. Id autem tanta corporum & animorum contentione faciunt, spe maximorum præmiorum, & honorum, quos sibi proponunt ante oculos exeunte quinquennio se consequuturos esse. Qui sint honores, vos omnes intelligitis Auditores, intelligis optime tu Doctor sapientissime, in cuius manu mater academia liberaliter ac largè præsentem honorem & reliquos litterariæ dignitatis gradus nostri ordinis discipulis & alumnis studiosissimis impertiendos posuit. Quòd si non ego fuerim ille, qui tantæ facultatis honore tam splendentis laureæ dignitate, tantis & tam honorificentissimis insignibus dignus videar, qui ad insignes & claros adolescentes ingenii acumine, litterarum progressionibus, multis in Iurisperitia periculis factis, expectatione magna, nominis conspicua celebritate præstantes

tes sim comparandus: non tamen ita iacere visus fui in litterarum studijs, in iuris facultate celebri, vt mei non aliquot ingenij documenta dederim frequentando gymnasia, obiiciendo pro posse, & in publicis sæpè argumenta disputationibus ponendo, vel propugnatoris non rarò partes acriter tuendo, atque adeo cum aliqua laude tela nostrorum æmulorum acerrima perfringendo. Atque hoc totum quinquennium ita sum versatus in studijs, vt neque ex hac vrbe pedem extulerim, vt non modo hyemes, sed æstates molestissimas caloribus & solibus difficillimas posuerim, neque defuerim vel diem vnum prælectionibus, & vt primæ, sic etiam vltimæ interfuerim perpetua constantique cunctis condiscipulis admirantibus assiduitate. Quæ si præmiorum huiusce academiæ adipiscendorum causa præstitimus, si nos fregimus laboribus, & vigilijs, vt quem petimus, gradum, & quos speramus, honores, consequamur: quid est, quod à te, doctor sapientissime, non iustam ac debitam lauream flagitemus? An maiores agricolarum labores putandi sunt, quàm alumnorum Mineruæ studiosorum? An minus alumni Mineruæ enituntur, atque contendunt, quàm agricolæ? An postremo plus vtilitatis cultores agrorum, quam litterarum studiosi rebus publicis afferunt? Superant equidem, & longissimo interuallo superant agricolas studiosi laboribus, vigilijs, incommoditatibus & periculis toto decursu litterarum aditis. Atque ipsi litterati, cum lumina sint, & ornamenta Reipub. cum Regnorum & Imperiorum firmamenta, sine quibus stare diu Regna non possunt, neque hominum inter se fidelis & sancta conseruari societas, sanè cuiuscumque generis hominibus docti litteratique non immeritò præferentur. Quamobrem litterarum studiosis post labores & vigilias legitimo iam tandem temporis curriculo confecto præmia debentur iure suo: tu verò, Doctor amplissime, quam cæteris mei ordinis & facultatis æqualibus libenter hactenus tribuisti, mihi quoque Iurisperitiæ lauream vsitato Academiæ more hodierno die postulanti solita liberalitate concedas.

Responsio Cancellarij ad secundam orationem.

QVòd flagitas, clarissime vir, laborum tuorum præmium & mercedem academiæ sanctionibus constitutam, prius hodierno die persoluerem, cumulo verborum maximo, & ex

Rhetorum officina deprompto orationis ornatu, nisi recordaret diem tuis laudibus præstitutam, & Oratoris dictione politâ nimium & accurata commendandas vigilias & labores tuos in hoc orbis gentium amplissimo celeberrimoque theatro. Quare sileantur à nobis, quæ præteriri debent, quoniam in omnium memoria magis insidebunt ex orationis habendæ recordatione, quàm à me non dicam celebrari, sed neque adumbrari possent. Noti sunt labores tui, notæ vigiliæ Doctorum ordinum clarissimorum, nota præ multis aliis, qui tecum de præstantia loci decertarunt, consequuta dignitas. Nec verò maiores, nec honorificentiores vnquam de quocunque sapientissimo Licentiato, qui tuis in renunciationibus floruit, & florebit adepti gradus honore, sermones academia tota sparsi fuerunt, dum tibi omnes primam lauream concedebant, & qui tecum contenderet de primo gradu, ex tot doctissimis & sapientissimis viris reperiebant neminem. Quamobrem cum & oratione supra dicta, & omnium de te iudicio facto laudis onere difficillimo liberer, quod proprium est mei muneris, & quod ab omnibus videmus tanto plausu & acclamatione mirifica excipi, laureæ honorem tibi petenti libentissimè concedam: neque enim quisquam magis gaudere debet atque ego ex tanti viri accessione. Quòd si Agricola gratus esse debet & acceptus vniuerso populo, qui non solum ad alendam familiam, sed ad magnam populi partem sustentandam, vim maximam frumenti in horrea tua condit, vt de præstituto pretio reliqui emant oppidani, nullo labore terras alienas adeuntes, vnde quod opus fuerit, exportent sumptibus multo maioribus; quæ tibi laus, qui honores debentur propter conditas omnis generis sapientiæ diuitias, & opes infinitas, ex quo tanquam ex horreo refertissimo sit, quod ad animum, non ad corpus, quod esset multo inferius, omni sapientiæ magnitudine, multitudineque litterarum complendum boni adolescentes & scientiarum studiosi depromant. Accipe igitur gradum, quem non volo excipi solum tibiarum cantibus suauissimis, sed & parietibus totius theatri prope gestientibus, & te, quod ego verbis præstare non possum, auditorum vniuersa multitudine ad tantum spectaculum effusa lætitiaque tanta, nostræ academiæ honorificentissimè, magnificentissimeque summo omnis generis & ordinis Academiæ alumnorum plausu & acclamatione cooptatum ascriptumque denuncio.

Tertia

Tertia Oratio ex eisdem locis ad gradum Baccalaurei.

COgnitum istud est, & exploratum generi mortalium vniuerso, ad gradus summos, quenquam peruenire non posse, nisi imprimis constiterit: atque ob eam causam scalarum gradus quemcunque prius ascensurum esse primos & medios, quàm summos, vnde facilem patere aditum ad cubicula superiora videmus, & ad altiores ædium partes, & abditos & reconditos recessus lustrandos peragrandosque processus optatos. Vt enim in montis verticem, & summa fastigia non quisquam priùs ascendit, quam ex imis radicibus adhibita corporis & animi contentione cœperit & ascendere perrexerit ad summum vsque: sic equidem summum id, quod in aliqua re fuerit, consequi nemo speret, nisi principia, per quæ peruenitur ad illud, studiose, diligenterque tenuerit. Quod in litterariis honoribus non minus clarè perspicueque videri potest: qui cum multi sint & suis gradibus singuli deferantur, summum cuiuscunque artis ac disciplinæ gradum, nisi prius consequuto primo quisquam se assequuturum esse desperet. Nam ad summum doctrinæ honorem nemini datur ascensus, nisi à Baccalaurei laurea primordia duxerit, & qui inter Baccalaurei & Doctoris insignia interiectus est, licentiati gradum obtinuerit. Mihi igitur ad summos sacræ Theologiæ honores aspiranti Baccalaurei primùm decora & ornamenta sunt appetenda, sine quibus frustra ad summam Doctoris amplitudinem enitar atque contendam. Nam si in ordinem Theologorum Patrum celsissimorum ascendere voluero, si vestris insignibus honorificentissimis decorari, si cohonestari Patrum amplissimorum dignitate, si perfrui tanti consessus prærogatiuis & immunitatibus, si denique ex Doctoris dignitate fructum ferre, præmiumque magnificentissimum optem, mihi prius gradus est tenendus Baccalaurei. Quem, vt ad hæc summa præcellentissimaque decora & ornamenta vestræ dignitatis perueniam, mihi nunc postulanti non debes, Doctor amplissime, negare, sed potius vsitato Academiæ more tua in cunctos palestræ litterariæ milites commendata liberalitate cõcedere. Etenim post confectum nostræ disciplinæ cursum, quis æquo animo ferre queat, omnem spem præscindi, omnem videre aditum præclu-

sum, quem primus iste gradus patefacere visus est, & spem vestrum omnium honorum consequendorum certam & exploratam afferre? Cum pullos domi suæ continere vult aliquis, neque extra auiarium euolare suum, pennas incidit ilicò, quibus in sublime elati volatus susciperent, & quas locorum partes vellent, liberè celeriterque præteruolarent: Hoc alumnis disciplinarum, & studiosis maximarum doctrinarum cultoribus accidere necessarium est, quibus initio, si negentur primi gradus & honores, pennæ præcidentur proculdubio, nec in aula sapientiæ versari, non per Academiam, non per sapientiæ tabernacula, non per reliqua litterarum domicilia clari & illustres, & ferentes fructus disciplinæ perceptæ, aut spargentes opes & diuitias litterarum suarum, cursus & progressiones facere poterunt. Qui verò ad gradum hunc aspirant, alijs sui generis & ordinis relictis longiùs progredi nolentes, in medio itinere deficient, fracti, debilitatique concident animis, qui hac prima Baccalaurei gloria maximos sibi facerent animos, & ardentibus quasi flammis ad reliquum cursum inflammarentur. Quod malum auertere cupientes præceptores ab Academijs, cum in discipulos munifici semper ac liberales fuerint, tùm maximè tu qui præceptor maximus, & princeps Academiæ ab hinc tot annos primariæ cathedræ gubernandæ tanta cum nominis tui celebritate præfuisti, & liberalitatis istiusmodi tot dedisti documenta discipulis poscentibus, & efflagitantibus beneficentiam, & benignitatem tuam, minimè, nisi postulationis nostræ æquissimæ honestissimæque compotem, pro tua commodandi rebus litterarijs vsitata consuetudine demittes.

Responsio Præceptoris.

NVnquam Deus optimus ac maximus velit P. G. vt post labores maximos & intolerandos, quibus se fregerunt in litterario cursu bonarum artium ac disciplinarum amantes, fructu careant laborum & vigiliarum suarum iusto ac debito, me præsertim auctore: qui si negassem vnquam præmium & honorem statis temporibus litterarum alumnis tribuendum, me proditorem & hostem Academiæ nostræ, & publicæ vtilitatis oppugnatorem, & Rerumpublicarum euersorem appellerem, qui tanto bono de medio sublato, ablatis litterarijs honoribus academias & Respublicas afflictas ac perditas

perditas miserrimè concidere feciſſem. Teſtarer non veſtros ſolùm animorum ſenſus meæ perpetuæ in ſtudioſos & ſtrenuos adoleſcentes voluntatis teſtes egregios, ſed habitos de me ſermones honorificos, & laudes in publicis circulis, in gymnaſijs maximis, in celebrioribus diſputationibus multorum oratione prædicatas iſtius meæ liberalitatis ergo magnificentiſſimæ. Teſtarer etiam gymnaſia maxima, & noſtrum hoc, quod tantorum etiam diligentiſſimorum adoleſcentum numero ac frequentia celebratum aſpexiſtis, & videtis iſtius diei luce iucundiſſima, qui me deſcendentem de ſuggeſto propter orationes in diſcipulorum laudem habitas in ſuos propè humeros ſublatum fauſta ſecundaque acclamatione extulerunt in peryſtilium. Sed id nolo teſtari multa verborum iactatione, quod omnibus notum eſt ac teſtatum, quod in præſentis diei litteraria celebritate negare me ſtudioſo, diligenti præſtantique diſcipulo facinus eſſet & ſcelus maximum. In quem ſi cunctorum oculi propter diligentiam & aſſiduitatem ſuam in noſtra facultate poſitam, & ora conjecta fuerunt in hunc vſque diem, ſi progreſſiones ſuæ notæ ſunt, & ſuorum condiſcipulorum & cuiuſcunque gymnaſij bonorum adoleſcentum celebraræ ſermonibus, ſi habitus illi fuit honos, & decus illuſtre gymnaſij, ſi denique nihil de diſcipulo numeris omnibus abſolutæ laudis expleto dici poteſt, quod non in tanti adoleſcentis præſtantiam iure quidem optimo cadat, debeo profectò liberalis & munificus, in decus tantum, & ornamentum tam inſigne dialecticorum animi præſtantiſſimi propenſione ferri. Quamobrem præmium, quod tuis meritis iure optimo debetur, quod omnes oculis in me ſuis & animis prorſus intentis expectant, baccalaurei ſcilicet primam lauream ad reliquorum Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ ſummos, qui te manent, honores aditum egregium & illuſtrem, mirifica voluntate gratificandi concedo.

Quarta oratio ex mercatorum ſimilitudine in petitione Baccalaureorum pro Complut. Academia.

CVm Mercatores P. G. in remotiſſimas Indiarum partes, auri, argentiq; coacernandi cauſa proficiſcuntur, mirari profectò ſolemus, homines hos diuitiarum auiditate captos tot

itinera facere, tantos labores suscipere, maria nauigare vastissima, & alienissimo sæpè tempore, naufragij faciendi periculo passim expositos. Atque illi non terra latronum insidias, non hyemis asperitatem, non æstus, calores molestissimos extimescunt, neque mari pyratarum, prædonumque crudelitatem, non crebram maris mutationem, non fluctuum iutumescentium vim, non tempestatum turbulentissimarum incitationem, quibus iactantur nauigantes, & modo tolli videntur in cœlum, modò in imas deprimi profundi voragines, sed hæc omnia mala subeunt, & subituros se esse quanquam sciant, à nauigatione non abhorrent, vtilitatum, quas obtenturi sunt, si in Indiam appulerint, cupiditate succensi. Sic equidem in re litteraria versaturi laborum & molestiarum obliti, tantum & tam immensum pelagus ingrediuntur, neque ab studijs longo & periculoso annorum curriculo, neque pecuniarum plurimarum sumptu, neque assiduarum multitudine vigiliarum, neque ingenti studiorum labore, neque quotidiana prælectionum frequentatione, neque hyemalis æstiuique temporis difficultatibus, neque aperto sæpissime amittendæ vitæ discrimine deterreri possunt: quin se dies noctesque in litterarum studia animorum singulari propensione conijciant in mediam vsque noctem vigilando, & multas sæpè noctes sine somno transigendo, nullum otiosum ducendo spiritum, vt adid, quod enitebantur & contendebant, summa cum laude perueniant: Quamobrem quæstus faciendi præstantioris, & honoris Doctorum hominum illustriores comparandi causa laboribus tantopere fregerunt sese, vt vitam suam in apertum discrimen intulerint. Illud autem, quidquid valetudinis datur, multis morborum tentationibus, multis passim perturbationibus afflictatum & conquassatum penè videtur in litteratis hominibus. Quamobrem debes hodierno die, Cancellarie maxime, talem te erga iuuenes hos præstantissimos litterarum mercibus abundantes post earum probitatem cognitam, & exploratam tantis periculis præstantiam præbere: vt eos hodierno die primæ laureæ insignibus & ornamentis afficias. Nam si mercatores quòd argentum, quòd aurum, quòd reliquas opes inuehunt in vrbem, vtiles habentur Rebuspublicis, quis verum argentum, verum aurum, & veras sapientiæ diuitias pro dignitate celebrabit? An verò quæ ad corpus pertinent, quæque inferunt mercatores in ciuitatem, magni faciemus; quæ vero animum excolunt,

excolunt, & expoliunt, sapientiæ diuitias abijciemus? pro bonis ex imis terræ viscetibus extractis, fæcis & fordium pleniſſimis laborare mercatores videbimus, nos pro copijs & opibus sapientiæ opulentiſſimis non laborem & diligentiam ponemus? mercatores tam diuites fortunatoſque in orbe terrarum per vrbes, per populos, per prouincias, per regna volitare cernemus, litteratos homines inopes & egentes intra parietes domeſticos iacere patiemur, nulla ſuorum laborum & vigiliarum mercede cumulatos? præſertim cum ex latebris & ex tenebris emergere debeant, & in cunctis terrarum partibus, hoc eſt, in omnium oculis & clariſſima luce verſari. Iacere profecto neceſſarium eſt litteras, & litteratos homines, ſi ſuis honoribus & præmijs ad opes explicandas, & in communem vtilitatem conferendas non excitentur. Quòd ne noſtræ academiæ ſtudioſiſſimis adoleſcentibus, quos detractis pileis, ſolutis togis, & ſtantes adeſſe vides, accidere poſſit hoc tempore, tuum eſt, Doctor ampliſſime, primos liberalium artium honores, tam bene de academia meritis, & ad ſacræ Theologiæ ſtudia aſpirantibus non largiri ſolùm, ſed tanta liberalitate, tanta beneficentia concedere, vt omnes quotquot præſentes ſunt adoleſcentes, qui ad ſimiles honores properant & accelerant, vires maximas & animos ad curriculum liberalium artium mirabili alacritate conficiendum, præmij præſentis, quod augurium eſt accipiendorum decurſu temporis in hac academia Complutenſi bonorum accepta mercede, capiant.

Reſponſio Cancellarij.

QVi ſeuit arborem aliquam in irriguo & amœno loco, & maximè fœcundo, gaudet magnopere P. G. cum non ſolum folijs ac floſculis veſtitam videt, & ſurculis, qui pullularunt minimè fallacibus virentem & nitentem valde, ſed iam adultam, & adeo proceram, vt ramos in omnes partes diffundat bonorum vbertate pomorum abundantes. Quæ cum ad maturitatem peruenerunt, & à ſua præſtantia bonitateque commendantur, vt eis homines veſcantur, & quæ optima præſtantiſſimaque ſunt, in menſam inferantur Regalem; vt poſt illorum commendationem reſtare videatur aliud nihil. Quotannis, Patres, ſeruntur in hac academia arbores multæ teneliæque ſed tamen omnes adeò pulchra mirabilitate adoleſcunt & fructus

fructus tam præstantes ferunt & eximios, vt quocumque pretio dignæ videantur, & laude non vulgari. Quòd si eos ad Principum & ad Regum vtilitatem & delicias maximas quærere studio magno perstiterint, egregiè fideles administri, gustum proculdubio suorum explebunt & suauitatem dominorum. Atque hos fructus non intelligatis, qui veniunt passim in foro fructuario, & ob odoris auiditatem ac gustus suauitatem quæruntur, & exquisito pretio comparantur; sed qui explent animum insaturabiliter, & auiditatem satiare nequeunt, propter admirandam saporis suauitatem, quin magis ac magis expectantur. Litterarum intelligo fructus vberrimos, & poma cuiuscumque generis in hoc amœnissimo sapientiæ viridario, hoc est, in academia Complutensi florentissima summa fœcunditate collecta: quæ ex tot hortis singulis annis colliguntur & deferuntur in omnes terrarum partes ad alendas sustentandasque Respublicas, & prouinciarum ac Regnorum conseruandam prouehendamque ditionem. Quos enim Dialecticæ pomarium fructus, quos iuris Pontificij horti, sacræ Theologiæ agri fertiles & abundantes proferunt, ex tot arboribus, multitudine plurimis, pomorum diuersitate differentibus, & pulchritudine bonitateque præstantibus hos colligunt præceptores, tanquam coloni gnaui industrijque & suis floribus distinctos & ornatos, facultatis & doctrinæ suæ insignibus decorandos, egregios & præstantes adolescentes Baccalaureos, viros etiam splendidissimos & ornatissimos licenciatos Magistros & Doctores mittunt in orbis gentium vtilitatem maximam. Quarum arborum fructibus, & pomis suauissimis præcellentissimisque profecto si carerent Ciuitates & Regna, cum suis incolis & habitatoribus funditus interijssent. Damus igitur fructus, qui Præceptorum duorum sunt, quos ambo ex suis viridarijs suo labore collegerunt, quos ferunt academiæ, quos Respublicæ, Regnaque omnia deposcunt ad conseruationem & amplificationem suam: qui non aquis ex fonte deductis ac deriuatis irrigati fuerunt, non vnius duntaxat anni redeuntis cursu producti, non temporum iniurijs & tempestatibus expositi, non postremò ad aspectam pulchri intus putrefacti, non opera conseruati rusticanorum, non breuiter absumendi ac mandendi dentibus, sed Sapientiæ perennibus & inexhaustis alti fontibus, tot annorum spatijs prolati, iam tandem in publicum, nulla temporum procella iactati turbulentissimorum, cum vifendi ad oculorum aspectum, tum ad vtilita-

vtilitatem præstantiores, & ipsorum prouecti sudoribus laboribusque litteratorum, atque adeo conseruandi ad temporis diuturnam memoriam. Quid quod non in calathis, vt arborum fructus floribus adornatos, sed insignibus sapientiæ decoratos damus hoc felicissimo fortunatissimoque tempore, cum magis præstantes, magis doctos, magis nomine famaque celebratos nunquam emittere potuerit Complutensis Academia?

Quinta oratio ex militum similitudine.

NVnquam profecto milites tot dies vel potius annos tantis periculis obijcerent sese, D. G. nisi sperarent victoria consequuta magnas se prædas facturos esse, quibus locupletati reuerterentur ad suos. Atque illa spes rebus præclarè gestis, non præmiorum solùm, quæ virtuti bellicæ consentanea essent, obtinendorum, sed nominis immortalitate sæculorum commendandi lætos & alacres reddit, vt militarem disciplinam, labores & pericula quæcunque leuiora ducant. Videbitis igitur milites sub pellibus esse, inediã pati multorum dierum graui obsidione laborantes, in specula manere, vigilias agere, suo præsidio, vigilijs, custodia ciues vacuos omni metu reddere, transilire fossas, arcem ascendere, castella oppugnare, in mediam aciem conijcere sese, periculis omnibus offerre & multis acceptis illatisque vulneribus contra hostem pugnare, neque desistere nisi prælio confecto victoria potiantur, atque hæc non solùm verno & æstiuo, sed prorsus à rebus militaribus alieno hyemali tempore perpeti: quæ non paterentur procul dubio, nisi maximorum spe præmiorum ad hos labores, & pericula subeunda magnopere commouerentur. Id quod Athenienses, quod Macedones, quod Persæ, quod Principes terrarum Romani tot præmijs, & honoribus bellicæ fortitudini constitutis præclarè testatum posteritati reliquerunt. Ita sanè P. G. rebus litterarijs contigisse video, vt ad tantam laudis & honoris amplitudinem peruenerint: quoniam academiarum præmijs, maximorum principum liberalitate, Rerumpubl. honoribus cultores bonarum artium & disciplinarum ad litterarum molestias deuorandas, & ad superandas difficultates excitati fuerunt & inflammati. An vero fieri posse putamus, vt adolescentes è gremio complexuque parentum abstracti tantum studij litteris impertirent pro sensis disciplinarum

narum intimis percipiendis, pro Dialecticæ Philosophiæque difficultatibus perueſtigandis, pro Iuriſperitiæ Medicinæque ſtudijs, pro ſacræ Theologiæ myſterijs abditis & reconditis penitus intelligendis, priuatæ & publicæ vtilitati dignitatique conſulentes, niſi præmijs afficerentur & decorarentur honoribus, quibus eorum labores compenſati conquieſcerent, & alijs tantis præmijs impulſi ad litterarum ſtudium alacriores incumberent? Niſi verò difficilius putatis, ſub pellibus eſſe milites, obſidere Caſtra, oppugnare arces, in aciem prodire mediam, caputque ſuum in mortis inferre pericula, quam noctes totas, ſomnum ſæpe nullum ſub oculis capere litterarum alumnos, quam cum otio, cum carne bellum aſſiduum gerere? quam animum vincere? voluntatem frangere? quam amittendæ vitæ pericula non reformidare, totieſq; in medio curſu mortem oppetere, quam fractis iam viribus ac prope debilitatis præ laboribus, præ difficultatibus tanta contemptione ſuperatis, vix incolumes euadere potuerunt? Tuum eſt Magiſter ſapientiſſime ſingula acerrimo ingenij tui acumine perpendere, & quæ militibus propter labores, & rei bellicæ diſcrimen præmia deferuntur, litterarum ſtudioſis non minorem in re litteraria laborem patientibus, confecto laborioſo difficilique ſtudiorum curriculo minime denegare. Equidem ſi milites narrant pugnas, & commemorant prælia, res ſuas magnifice iactantes, ſæpe adita pericula, gloriamque conſequutam verborum inani iactatione tollentes, tu teſtis es optimus; Auditores, qui præſentes ſunt, & nobiſcum curriculum inierunt & perſequuti ſunt ad hodiernum vſque diem idem teſtari poſſunt: quoties in hunc ſolem & puluerem proceſſerimus, quibus in certaminibus publicis declarauerimus noſtrorum ingeniorum & ſtudiorum documenta. Quemadmodum non defuerunt opinioni priuatæ, neque academiæ matris honori; quem plauſum & acclamationem excitauerimus, aut aduerſarijs reſpondendo, planeque occurrendo argumentorum, quæ iaciebantur, telis acerrimis, ita præterita tempora recordans hac optata honorificaque laurea, vigilias & labores litterarios ornabis.

Reſpon-

Responsio Magistri ad lauream.

Pro Granatensi, pro Osunensi, pro Hispalensi, pro aliis Academiis, cum plures gradus accepturi sunt.

NVllus profecto, Auditores optimi, tam iniquus rerum æstimator erit, qui si vacuus sit odio, inuidia, aut alia, quæ sensus animorum intimos absumere sæpe consueuit, animi perturbatione, non præclarè de factis nostrorum ingeniorum periculis æstimare, vigilias vestras, studia, labores magnis frequenter laudibus celebrare non debeat: nullus denique tam infensus & inimicus vobis & præceptoribus vestris erit, aut tam inuidus laudis academiæ tantæ, qui non constanter confirmare cogatur, tantis vestrorum laborum maximis clarissimisque testimonijs compulsus progressionum magnitudine præstantiaque magnam academiæ virtutis & sapientiæ accessionem fuisse. Quis enim vestrorum studiorum cursus & ad omnem laudem processus admirabilis extiterit, quæ Magistrorum diligentia, quod studium, qui labores in res obscuras, assiduitas in commentationes, veritatis inuestigandæ cura, doctrinæ verioris, proximeque tenendæ ratio fuerit exquisita, exingeniorum vestrorum documentis, ex mirificis præclarisque responsis clarè perspicueque viderunt omnes. Quod si non academiæ, in qua alti fuistis & educati, gloria, si præceptorum etiam, quorum doctrina & præceptis imbuti, nomen omnes prouincias Bethicas terrarumque sedes disiunctissimas non peruasisset, specimen ingenij, quod dedistis ad academiæ, & præceptorum laudem claram & illustrem reddendam in omnium sæculorum memoriam satis profecto fuisset. Atque si quemadmodum orator attigit, militiæ sua præmia quondam & ætate nostra proposita fuerunt, ad milites alacres, & erectos, ad Patriæ, Reique publicæ defensionem reddendos, debent esse Cancellario, nobisque hoc munere fungentibus magnæ curæ litterarij labores, qui magnitudine, difficultate, periculis militaribus non leuiores videntur esse. Atque si milites laudati quondam inspectante exercitu fuerunt ab Imperatore, si torque, si corona, si annulis donati, si denique stipendijs confectis agrorum iugera suorum, & immunitates, prærogatiuasque

gatiuasque & laudis ornamenta singularia retulerunt, adolescentibus in litterarum studio, tanta semper alacritate versantibus, confecto iam facultatis, cui strenuam operam nauabant curriculo, post tot difficultates & molestias, atque adeo vitæ pericula superata, præmium & lauream non tribuemus honorificam? Vtinam Academia nostra & quotquot sunt toto terrarum orbe officinæ litterariæ, fama nominis & celebritate præstantes fructus tulissent ingeniorum & studiorum tales, tam vberes, tam præclaros! haberemus spem per doctos homines egregieque litteratos sapientiæ gloriam in dies magis ac magis in posterum amplificandi, & nos non frustra eadem iecta spes teneret, sed certam & exploratam haberemus in nostra gymnasia vestro aduentu transferendi insignia laudis non mediocris, obtinendique progressu temporum eum florem qui nulla temporum diuturnitate deleatur. Nunc quia mihi, Academiæque vos hodierno die tam insigniter peperistis, nostris musęis quod fœlix faustumque sit ad numinis memoriam sempiternam gaudens ac lætus gratulator. Quamobrem quod tanta demissione deposcitis Baccalaurei decus & honorem non honori vestro solum, sed academiæ nostræ consulentes, animo libenti deferimus.

Oratio Sexta.

Ex similitudinum conglobatione ad lauream petendam.

COnstat equidem inter omnes, Cancellarie maxime, hominum animos præmijs præcipuè & honoribus ad labores adeundos vehementer commoueri. Nam agricolæ nunquam ad terram aratri vomere perstringendam, ad semina agris mandanda, tantis laboribus, niuibus & pruinis, cæterisque iniurijs hyemalibus perferendis adducerentur, nisi spem condendi frumenti in horrea magnam haberent. Si Mercator adit terras longo interuallo distantes, nauigat maria plurima vastissimaque alieno sæpe tempore, & prædonibus non rarò referto mari, sine dubitatione multis opibus auctum & cumulatum se rediturum esse in patriam sperat, & quæstus se facturum esse maximos importatis exportatisque mercibus, quibus aliquando in otio esse possit cum honore &

re & dignitate maxima. Quid verò magis notum esse debet, quàm militem in medias inimicorum acies irruere sæpissimè, & vndique telis appetitum hostibus non extimescere mortem ante oculos versantem, nec gladios oculorum aciem fulgore perstringentes victoriæ spe concitatum & præmiorum, quæ consequuturus est dulcedine captum? Cùm ergo quibuscunque superioribus corporis exercitationibus contentiones litterariæ præstantiores sint, & omnium sapientissimorum auctoritate clariores habeantur, consentaneum equidem rationi videri debet, vt litteratorũ labores maximi, si nõ pro dignitate (quod enim præmium, quæ dignitas litterarum honori par vnquam esse poterit?) at vsitata saltem mercede compensentur, vt illorũ accepto præmio reliqui excitentur ad se ipsos in litterarum studium animo voluntateque conijciendos; cum litteræ præsidia sint & muri Rerumpublicarum fortissimi, sine quibus neque agricolæ, neque mercatores suas artes exercere potuerunt commodo & vtilitate publica. Atque ipsi labores bellici, pericula capitis adita, victoriæ quæcunque reportatæ, regna siue ex inimicorum obsidione liberata, siue noua prouinciarum accessione propagata, nulla quidem ducentur sine sapientiæ imperio ac potestate dominante: si tamen Romanorum res tandiu steterunt, si floruerunt Athenienſium imperia tanta nominis & fortunæ florentissimæ nota cunctis, testataque celebritate, id quidem litterarum præstantię retulit acceptũ imperium vtrumque. Quemadmodum autem litterarum cursum inierim & confecerim, quemadmodum opinioni bonorum adolescentum respondere studuerim, & expleuerim animos doctissimorum hominum, qui meis disputationibus interfuerunt, & cohonestare sæpè non inuitati voluerunt, Patrum extant de meis publicis actionibus grauia & honoris plena iudicia, quibus adductus meos labores libentiùs hoc ampliſſimo præmio compensare debes. Quo si me affeceris, habebis adolescentem in posterum magis litterarum studiosum, qui se decoratum honore præsenti cernet, non ad vacandum litteris, non ad otium & desidiam, nõ postremò ad inania laureæ solùm insignia iactanda, sed ad maiores labores & vigilias siue intermissione fuscipiendas, ad maiorem in litteris curam assiduitatemque ponendam, ad doctorum hominum honorem conseruandum & amplificandum; & quod caput est, ad consessum istius Academiæ Patrum grauissimorum illustrem quotidianis facultatis nostræ spectaculis edi-

lis editis honorificè decorandum. Tui verò, Doctor sapientissime, vestrum omnium P. G. istorum parietum & florentissimæ Salmanticensis Academiæ nunquam obliuiscar, sed tantum beneficium, præsentem lauream studio, labore, vigilantia, perpetua denique grati animi recordatione colam, & dum hi cæ corporis compagibus includar, illustri prædicatione celebrabo. Dixi.

Oratio ad lauream deferendum.

TEstata sunt generi virorum doctissimorum præmia rebus litterarijs summa veterum & nostrorum hominum consensione delata. Neque quisquam est tam ignorans rerum, tam parum de Repub. cogitans, qui non ingenuè fateatur, multis corporis exercitationibus præstare litterarias contentiones, quæ suscipiuntur totis non solum corporis & animi viribus, sed etiam sine intermissione totos dies ac noctes, atque adeo constanter, vt tum, cum maximè vacare videantur à labore litterati, cum dormiunt paululum temporis humanæ imbecillitati parendo, statis temporibus vescuntur, id faciant adeo parcè moderateque, vt vires recreare videantur ac reficere: sic etiam refectis corporibus à mensa surgunt, vt recreati quidem, non oppleti studia repetere sæpe consueuerint. Illud autem, quidquid est, quod exiguum certè est, cum capiunt, vacare mentem non sinunt in litteras & in studia semper animi cogitatione defixam: sic spiritum nullum otiosum, nullum liberum neque vacuum ducunt. Quæ si vera sunt, si litterarum monumentis consignata: cur ea, quæ agricolas, quæ mercatores, quæ denique milites consolatur in medijs laboribus, & ad finem vsque properare facit summa celeritate, fructuum colligendorum, & præmiorum obtinendorum spes optata, non aderit aliquando rei litterariæ studiosis alumnis? An verò ferendum erit, vt agricolarum horrea frumenti copia maxima compleantur, cellæque vino & oleo redundent; vt mercatores ex arte sua quæstus vberrimos faciant & viuant diuites & opulenti, bonorum omnium copijs affluentes; vt denique milites victoria reportata spolijs potiantur, & honores & dignitates amplissimas Regum & Imperatorum liberalitate referant propter labores & alia pericula ex militari contentione, litterati vero debitis præmijs, & honoribus priuentur, vt gradum, quem expectabant honoris non assequantur? vt denique hoc splendore popu-

populari, hac orbis gentium clarissima luce careant? Non sic, non sic equidem ferendum puto, neque quisquam eorum, quos præsentes video, pu abit vnquam. Laborasti, vir sapientissime, laboris pretium feres: ratio id postulat, Academia parens nostra sanctionibus suis stabiliuit, doctæ confirmarunt beneq; constitutæ diuersarum gentium Academiæ. Nam vt aliarum omittam artium studiosos, & de vno solum milite loquar, si miles hyemat sub pellibus, inediam tolerat, & perrumpens inimicorum phalanges, capit arces, & fugatis cæsisque inimicorum multis millibus victoriam consequitur & præmia refert, nomen suum immortalitati commendans, tu qui per quinquennium cum tuis commilitionibus tanta corporis & animi contentione litterarum studio vacasti, & otio desidiaque, teterrimis hostilibus profligatis, tot molestiarum acerbitatibus fortiter patienterque toleratis, & adeo contra fragilitatem imbecillitatemque humanæ naturæ totus acerrime conflixisti, & victus non modò non excessisti, sed glorioſus ac triumphans præmium non referes amplum, & tuis laboribus constitutum, vt in oculis & in ore versere mortalium, & tuis laboribus, tuis vigilijs cum nominis illustri peruagataque gloria perfruaris? Fruere præstanti laureæ dignitate, & fœlix ac fortunatus capias gradus insignia glorioſissima, ad quæ cum tua oratione, tum Auditorum declarata animorum eximia voluntate vocor.

Oratio septima.

Ad laureæ petitionem, ex Nautarum similitudine.

QVa vobis præsentibus, Doctor sapientissime, P. G. oratione me vti deceat, prope iam ex magna iactatione terrâ videntem & quem optabam, tutum & tranquillum portum ingredientem præmaximis tempestatibus, quas subijt quisque vestrum in litterarum longa periculosaque nauigatione, non ignoro scire præclarè satis vnumquemque vestrum. Nam si nautæ cum aduersa tempestate iactantur in alto, & portum optatum tenuerunt, lætantur magnopere, quid me marè litterarum abhinc tot annos nauigantem dicturum esse putatis? quã maris perturbationem, quam fluctuũ vim incitatã, quas scyllas, quos scopolos

vobis optimis testibus & scientissimis periculorum commemoraturum? Cum altum naues tenuerunt, nec amplius apparent vllæ terræ, & cœlum vndique, & vndique maria cernuntur, & violenti ab imo mari venti fluctus instar montium altissimorum tollunt in cœlum, toto mari iactantur nautæ, permixtusque imber & nimbus creber & horrificus diei, cælique lucem offusis tenebris horrentibus aufert, id temporis displodere nubes, continuò tonitrus, & perruptione facta, crebro micare fulgura, & oculis obuersari fulminum iactus terrifici videntur, & cursu nautæ scientes excuti, & cæcis in vndis errare, gubernator nesciens cœlo diem noctemque discernere. Quid plura multos dies, & multas noctes toto iactari pelago vectores dicuntur obscura cæcaque caligine: donec post dies aliquot, tres, aut quatuor, visa est attollere sese terra, aperire procul montes, ac fumum voluere non obscurum incipiunt, lætari omnes, vela facere, & secare spumas festinanter, portus, terræque capiendæ cupidissimi. Quam cum tenuere, quæ euaserunt, pericla recordati, vix apud se præ lætitia esse possunt, & exoneratis nauibus argento, auro, cunctis mercibus & diuitijs, tanto labore comparatis gaudentes potiuntur, ac lætantes. Nõ hęc obscura species est, & adumbratio litterarum nauigationis: in qua non per dies aliquot, sed per multos annos hyemalibus pruinis & iniurijs cœli semper expositi, & aduersis valetudini temporibus non rarò conflictati æstu, febrique vehementissima procul à patrijs sedibus, quæ nostræ salutis portus tutissimi fuissent, tanto naufragio fortunarum, & à parentibus disiuncti, diuulsique iactamur. Quamobrem cum appulimus portum optatũ, periculis omnibus nauigationis susceptæ liberati reficimur, ac recreamur aspectu telluris optatæ, & in illa ex tam longo errore & tempestate pedem tandem aliquando ponentes in continenti, incredibili lætitiæ voluptate perfruimur: & quas tanto labore diuitias comparauimus, quos quæstus in re litteraria fecimus, pluris habemus, & pretio constituto studiosis litterarum dignos arbitramur. Cum præsertim sæpè tam perdita valetudine, tam fractis viribus euadamus, tam ex hausti diuitijs & opibus paternis, vt recuperandæ salutis integræ, opumque consumptarum, decursu temporis quascunque dignitates, quamcumque requiem adepti spem non adeo magnam habeamus. Quamobrem pro laboris magnitudine, pro multitudine molestiarum, quas litterati deuorant, si mercedem persoluere academiarum

miarum gubernatores debent, & in tua dignitate positi viri præcellentes & honorati, non ab officio tuo videbitur alienum deposcentibus nobis licentiati lauream, in nos beneficum ac liberalem te præstare. Tu Cancellarie maxime, quæ tuæ sunt partes honorificentissimæ istiusmodi licentia honoris deferendi, pro dignitate, quam in hac alma Complutensi Academia consequutus es, munus tuum quemadmodum ego deposco & omnes expectant libenter obibis, atque liberaliter.

Oratio ad gradum deferendum.

SI labores litterarij pro magnitudine compensandi fuissent, considerata præsertim dignitate litterarum, & eorum, qui litterarum studijs strenuam operam nauauerunt difficultatibus diligenter æstimatis, nulla reperietur æqua satis ac digna laborum merces. Id quod Isocrates eloquentissimus & sapientissimus deplorauit inuectus in Græcorum Principes, & Moderatores Rerum publicarum, qui certaminibus corporis præmia magna decreuissent, contentionibus tamen sapientiæ nullum. Nam quamuis litterati multis decorabantur honoribus, & dignitatibus ampliſſimis, nullus tamen Philosophus insignis ducebatur, pro litterarum & hominum doctissimorum eximijs & immortalibus meritis. Hoc cum animaduerto, laudo Academias omnes, laudo Principes terrarum, qui sapientibus fauent, & quos ingenio, bonarũ artium studijs generi mortalium cuicunque præcurrere conspiciunt, his insignia litterarum Præfecti Academiarum deferunt, & eos Reges in alto dignitatis gradu collocant, ne multi præmijs saltem, quæ deferri possunt, carentes, suos ad alias res animos voluntatesque conuertant: & qui in sapientiæ studium ingressi fuerunt, illud propter desidiam aut ignauiam deserant. Quamobrem dum mecum tacitus considero studium & laborem tuum in litteris positum, & temporis præteriti spatia longissima, progressiones plurimas, & maximis litterarijs actionibus testatas, comparatam ingenij acumine, studio, vigilantia, & assiduitate gloriam nominis immortalem, &, quanquam maiorum nobilitate niti potuisses, tanta corporis & animi contentione cursum fœliciter confectum, non possum non te magnopere commendare, non etiam Academiæ nostræ gratulari splendorem, & decus nobis & huic ordini sapientissimorum Patrum ex accessione tui gradus allatum.

latum. Atque si nobis aliquando querendi tempus fuit, & hostibus rei litterariæ facultas obijciendi floris bonorum ingeniorum ad litterarum aliqua ex parte iacentem fortunam subleuandam, hodierno præcipuè die magno cum inimicorum nostrorum dolore rei litterariæ augendæ andetur oblata fuisse nobis delato munere fungentibus occasio debita tuos labores & vigilias compensando. Quamobrem, quòd deposcis, quòd debetur tuis egregijs & singularibus meritis tanto auditorum, & Patrum grauissimorum plausu læti & hilares honoris insigne deferemus.

Oratio Octaua.

Ad petendum gradum, ex Græcorum antiqua consuetudine.

GRæcia illa, quæ fama semper & gloria, quæ bonis artibus & imperio quondam, & bellica laudè floruit, Olympicos magna celebritate ludos statis temporibus ad vires exercendas, & ad eos, qui maximè cursu, saltu, cæterisque corporis contentionibus decertare vellent, claros & celebres reddendos constituisse fertur. In quibus, qui præstantiores fuerunt, præmijs magnis afficiebantur, in patriam redeuntes, curru triumphali vecti, oleaque virenti coronati. Atque illi disruptis ex vna parte mœnibus & patefactis, aditum habebant glorioſum & illustrem cantus modulatione suauissima concinente, multisque hominibus ornatu militari victoriam honorificè prædicantibus. Quæ res maximos viros ad ludorum celebritatem ex tota Græcia confluentes incredibili nominis compatandi cupiditate flagrantes traxit ad olympica certamina: qui non currere solùm, & saltare, sed pugnos & plagas accipere & inferre didicerunt. Et ij pugiles exercitati admodum, & viribus & agilitate valentes victores excesserunt. Si Græcia corporis exercendi gratia suis hominibus ludos hos & præmia constituit, qui litterariæ spectacula, certamina animorum glorioſa proposuerunt, insigna profectò laudis & honoris propoſita victoribus non denegabant, qui rei litterariæ multo clarioris & illustrioris per tot annorum curricula labores non susceperunt solùm, sed artis & scientiæ suæ tot & tam glorioſa documenta dederunt. Quem nos laborem

borem & diligentiam adhibuerimus, quanto conatu corporis & animi desudauerimus, vt ad hanc præmij propositi postulationem descenderemus, non est oratione nostra celebrandum. Cùm suam laudẽ & merita, nemo prædicare possit sine summo pudore, quo bonis moribus instituti, & indole præclara præditi afficiantur ferè semper: & de se nunquam cum aliqua laude loquantur, & cùm id fecerint, parce nimis faciant & modestè. Atque si ex Græcia pugiles multi conuenerunt, quot ex diuersis terrarum partibus, & non ex patriæ propinquis solùm sedibus, sed ex disiunctissimis prouinciarum, & regnorum finibus excedentes Salmanticam conuenimus litteris bonis operam nauaturi? Qui si non plagas corporibus accepimus, aut si non intulimus, aut quoties distrinximus gladios, & ingeniorum vi tela contorsimus ad disputationum vsitata spectacula celebranda? quot morbos contraximus & pericula subiuimus, vt hunc honoris & gloriæ apicem peteremus? Non in currum, sed in cathedram ascendenti facultatem, non oleæ, sed Doctoris insignia deposcimus, non muros patefieri parietum euersione solita, sed aditum & litterarum honores bono Rerumpublicarum postulamus. Non denique propter humiles illas & contentionis nomine indignas, sed propter vtiles, necessarias, & glorioſas rei litterariæ pugnas in hunc accessimus locum. Denique Patres, si pugiles in Olympicis ludis exercuerunt sese, suæ id duntaxat vtilitatis & emolumenti priuati causa fecerunt, nihil aliud nisi futilem, & inanem gloriam contendentes: nos Rerumpub. Christianæ Religionis commoda, & summum immortalis Dei decus & honorem sempiternum appetentes, studiorum laboriosam & arduam viam confecimus. Quamobrem, quod illi suis hominibus pugna commissa, vos alumnis Academiæ, cursu tantæ disciplinæ confecto, liberaliter impertiui non desinetis.

Oratio ad lauream deferendam.

DIuinus ille Plato, Auditores optimi, cum multis terrarum partibus peragratis bene moratam Rempub. quæsiuisset, finxit in libris ciuitatem, cui sapientes præessent; vt eo modo, melius & accuratius leges ac iura seruarentur. Hanc ciuitatem, si quidem bonis moribus constitutam, & sanctissimis legibus temperatam, doctas ille sine dubitatione diceret Academias, tam æquitatis & iustitiæ magnitudine præclarè

fundatas, & omni tempore virorum sapientissimorum doctrina conseruatas, in quibus vigilijs, laboribus, & virtuti suum præmium, quod facultates hominum tenues & exiguæ persoluere non possient, summa æquitate defertur. Neque quisquam erit tam insolius rerum, aut hospes in hac Academia peregrinabitur, errabitque, vt non præmia, ex multis audierit, quæ suorum laborum ampla satis & magnifica litterati spectent. Qui verò in gymnasijs nostris annum solum versati sunt, quæ præmia doctis hominibus tribuantur, quæ quotannis diuersarum artium & disciplinarum spectacula præbeantur, nouerunt equidem & testabuntur. Quòd si reliquarum rerum concentum & harmoniam spectare voluerimus, ex publicis renuntiationibus, quæ antecesserunt, documenta maxima capiemus, in quibus nihil non summa æquitate iustitiaque factum reperietur. Sed ea non sunt huius instituti neque loci: partem tamen aliquam ex præsentis laureæ honore spectemus, quæ tanto multitudinis concursu, tanta nobilium celebritate, tanto doctissimorum hominum consensu, & totius Academiæ lætantis plausu defertur, ac tu Licentiate sapientissime desiderare posses. Quod Academia dat satis amplum esse vides, sed maius gloriæ præmium, tanquam obsidem & pignus matris eximiæ, in te tuique similes litteratos & doctos viros liberalissime conferri videbimus. Nam cum honos iste sit aditus ad Doctorum ordinem sapientissimorum obtinendum, ad auctoritatem & dignitatem tanti consessus ornandam illustrandamque, tum ille vim magnam habet ad honores Reipublicæ consequendos, & vt te Philippus Rex Hispaniarum potentissimus in amplissimo dignitatis gradu collocet. Quòd ille faciet profectò, cum te non litteris solum ornatum, sed ex horum Patrum doctissimorum florentissimo Senatu viderit te vnum esse, qui ad generis nobilitatem, ad maiorum vetustissimam & clarissimam stirpem, virtutem & litteras tanta cum gloria tui nominis adiunxeris. Et quanquam ex tot Patribus venerandis admodum, ex tot luminibus, & ornamentis ordinis huiusce clarissimi, non primus lauream Doctoris insignem accepisses, non exiguo tamen propter splendorem familiæ tuæ, & virtutum & litterarum cumulum, cum Academiæ, tum Reipublicæ Christianæ præsidio semper & ornamento videreris.

* * *

Oratio,

Oratio Nona.

Ad gradum petendum, ex triumpho Romanorum.

NVlla gens fuit vnquam, P. G. ex omnibus quotquot propinqua aut disiuncta terrarum loca colunt & coluerunt vnquam, Romana clarior imperij opulentissimi potentissimique magnitudine. Quippe quæ suum imperium ab exiguis ortum initijs fortissimorum Ducum rebus præclare gestis extremis orbis terrarum finibus terminauit. Quod si causam quærere volueritis, illam auctorum eiusdem gentis, qui literis aliquid de Imperio Romano commendarunt, testimonijs comprobatam exillorum facile annalibus eruetis. Nam cum nullum esset laudis præmium, nullum insigne gloriæ, nullum denique præmium laboris amplissimum, quod Romani fortissimis Ducibus & Imperatoribus victoria reportata, non liberalissime detulerint, triumphi præsertim gloria, fortes hos, & de Republica bene meritos viros afficiendos decorandosque S.P.Q.R. auctoritate cunctorum consentiente decreuit. Hinc Imperij Romani propagati fines, hinc tot Prouinciæ ad Romanorum ditionem & Imperium adiunctæ, hinc Reges orbis terræ potentissimi deditione facta populo Romano subiecti. Hinc postremo Roma facta fuit gentium & nationum cunctarum summa præpotensque domina. Quæ vnquam profecto rerum potita tantopere fuisset, nisi Camillos, Scipiones, Curtios, Pompeios, & reliquos Imperatores bellica laude florentes præmijs maximis & honore triumphi ad egregia facinora lætos & alacres reddidisset. Quæ si fuerunt Patres, quemadmodum veterum monumenta testari cognouimus, quid est quod consuetudinem rei litterariæ præmijs & honoribus excitandæ vetustissimam non omni laude & honore prosequamur? Non præmia spiritum academiarum, non vitam studiorum & disciplinarum appellabimus? An vero fieri posse putatis, vt homines tantis se laboribus periculisque obiecissent, nisi contentionis litterariæ fructum ferrent amplissimum? & primum hos honores vestros, & diuersarum scientiarum dignitatem, lauream suam & insignia proposita, atque lustrationem plenam dignitatis expectarent? inde ascensus ad cathedram, ad præceptoris munus, ad Ecclesiarum amplissima sacerdotia, ad Rei-

pub. præfecturas, ad concilia Regia ostenditur insignis. Factum est initium honorum rei litterariæ ab insignibus clarissimis, quibus ornati litterarum alumni dignitates & honores amplissimos capere possunt, & gerere magnificentissime. Hodierno die decus ego Iuri Pontificio debitum, clarum & illustre deposco, lauream scilicet Doctoris, post Baccalaurei, post Licentiati gradum obtentum in hac Academia Salmanticensi florentissima. Cuius cum lustrationis mihi venit in mentem, cum vestræ dignitatis insignia ante oculos meos versantur, cum ille comitatus virorum genetis nobilitate clarissimorum, qui se ad Magistros, ad Doctores cohonestandos adiunxerunt, clarus & illustris præire visus est, cum tantus splendor & pompa tympanorum pulsu tibiarumque cantu tota ciuitate personante, stupefactas reddit inuentium mentes animosque mortalium, tædet me veterum Romanorum honoris, & triumphi, qui post lustrationis iactationem & ostentationem inanissimam nihil habebat veri, nihil solidi. Tota triumphi magnificentia, & spectantium oculis obiecta celebritas animalium edita strage teterrima terminabatur. Hæc vero pompa ad Reipub. Christianæ gloriam magis augendam, honores & dignitates, quas accepturi sunt & gesturi, tantis insignibus ornati prædicere visa est ad spectaculum tam insigne, concurrentibus omnis generis & ordinis mortalibus, veri laboris, verique fructus appetentibus. Quamobrem tanti Doctoris apicem & lauream præsentem tanti habeo, vt pluris profecto habere nequeam. Cuius honore vt me velis afficere humiliter ac demisse flagito, nulla vnquam ex animo temporis longitudine tanti beneficij memoriam abiecturus.

Oratio ad lauream Doctorũ deferendam.

QVod de Triumpho Romanorum ad gradus petitionem, tanta copia & ornatu protulisti, Doctor sapientissime, verum quidem est, & ad lauream præsentem nimis appositum est, sed cum aureo diademate caput triumphantis ornabatur, quid Romani significare voluerunt, & spectatorum oculis exponere? Illum scilicet Imperatorem dignum honore victorum, & cæteris mortalibus longo interuallo dominatione potentissima præstitutumque fore per omne tempus. O præcellens Doctoris laurea! O glorioſus honos! O decus insigne, veraque hominis præstantiam honorificis insignibus extollens!

Fœlix

Fœlix ac fauſtus fuerit vltimus hic honos deferendus tuæ variæ multiplicique ſapientiæ. Hic reſtabat, Doctor ſapientiſſime, vt de nefarijs hoſtibus, & maxime litterarijs rebus infeſtiſſimis victorias ſtudiorum tuorum decurſu glorioſas admodum reportaſſe videretur. Nullus honos maior deferri poterat triumphi pompa ſolenni honorificaque, nec vllus in academia de gradibus egregijs, de glorioſis inſignibus maior inuenietur, neque honorificentior ad tuos labores ſuis præmijs & inſignibus compenſandos: ſed quemadmodum Imperatoribus hiſce fortiſſimis Conſulatus & Dictatura, & ſæpe honores alij deferebantur pro ſua ſumma generique Romanorum teſtata fortitudine; ſic tu quidem ſperare debes, ſi nobiſcum in academia permanſeris, te dignitates litteratis, tuique ſimilibus viris ſuo quidem optimo iure delatas tuis amicis & notis admodum multis, conſequuturum eſſe. Quas vt conſequaris, omnes optant, vt academiæ vtilitati, & honori eſſe poſſis, & litterarum ſtudioſis ad initum curſum magna celeritate conficiendum, incitamento quam ingenti. Intuere oculos & ora doctorum, ex illorum vultu tacitos animi ſenſus æſtimabis: Intuere circumfuſam iuuentutis coronam, tanto concurſu frequentiaque conuenientem, & gloriam huiuſce diei mira alacritate ſpectantem: Quid hæc multitudo? quid alacritas prædicit, niſi talem te euaſiſſe, qualem velint & optent omnes ad cathedræ moderationem ſummo breuiter honore ſuſtinendam? Quid hic nobilitatis, quid tantus ſplendor equitum illuſtriſſimorum? Hæc omnia fauorem in tuam lauream attulerunt, & pro meritorum tuorum magnitudine hanc lauream ornandam & cohoneſtandam omnibus oſtenderunt. Accipe ergo inſigne laureæ, quod tibi triumphum, tibi luſtrationem, tibi pompam tantam attulit, quòd afferret cathedram non vnam, ſed multas, vt tuis gradibus ad primariam aſcendas cuncta geſtiente plaudenteque academia: quod honores afferret huiuſmodi, parietque dignitates tam honorificas, vt te maioribus (quòd omnes alij augurantur ex academia) præmijs ornandum fore vltum ex ſuis æmulis, & laborum conſortibus, qui ſunt omnes doctiſſimi, ſapientiſſimique, nequeat ſperare conſeſſus iſte Doctorum ampliſſimus. Dixi.

Vltima

Vltima oratio ad gradum petendum, ab exemplo petita.

LYsander ille Dux Lacedæmonum non obscurus interroganti Persæ, quam Rempub. maxime probaret, eam respondet, in qua viri fortes & strenui rebus præclare gestis consentaneum pretium referrent. Quibus verbis significare voluit virtutem præmijs excitari, ignauiam ignominia mulctari. Atque hæc Achilli causa fuit stomachandi apud Homerum, quod eundem honorem tribui videret ignauis, ac fortissimis ducibus. Hoc sane frequenter experiuntur Respublicæ litterariæ, quæ cum præmijs præcipuè laboribus constitutis nitantur, florent bonorum ingeniorum præstantiâ, & omnis ordinis litteratorum dignitate gloriosa, quæ iacerent profectò in tenebris & obscuritate maxima denegatis sapientiæ debitis honoribus, & gloriæ insignibus, quæ confecto cuiuscumque facultatis & disciplinæ curriculo honorificè deferuntur. Quod igitur laborare videtis & in litteris desudare adolescentes, quod gymnasia bonorum præceptorum voce personare, quòd multitudine compleri studiosorum adolescentum, quòd rem litterariam feruere maxime, argumentantibus & respondentibus condiscipulis, quòd tot publicas actiones litterarias, & diuersarum artium & disciplinarum disputationes celebrari, quòd tot Magistrorum, tot Doctorum florem intra scholas & amplissima theatra versari, quòd tot in orbis gentium propinquas disiunctasque partes, tanquam in Colonias milites quondam Romanos, vel ad Rerumpublicarum gubernacula, vel ad opulentissima sacerdotia, atque adeo ad Pontificum sacras tiaras emitti viros doctissimos sapientissimosque, quod denique magnum esse Salmanticensis Academiæ nomen, magnam famam apud omnes gentes, atque nationes, præmiorum multitudinem & præstantiam huiusce honoris & amplificationis admirandæ causam fuisse scitote. Quot enim academias habent Hispaniarum Regna, quàm multas in prouincijs fere omnibus, & prope in cuiuscumque prouinciæ maximis & amplissimis vrbibus fundatas, quæ præmijs vestræ academiæ magnificentissimis carent, carent academiæ Salmanticensis celebritate. Huius laudis (vt alia omittam) testes erunt exquisiti præceptores aliarum academiarum, qui magnitudine stipendiorum Salmanticensium cuiuscunque Cathedræ excitati, ad hanc ambien-

ambiendam præcipuis & primarijs relictis, quibus cum magna sui nominis gloria Magistrorum munere fungentes perfruebantur, edictis vestris palam propositis & emanantibus in vulgus Salmanticam summa auiditate decurrerunt. Hæc celebriora sunt, quam vt multis verbis indigeant: sed gradus & honores baccalaurei, licentiati, summus ille & præcellentissimus Salmanticensis Doctoris apex quanti habetur: quàm auide appetitur? quanto denique honore celebratur? Doctoris omnis laus in Salmanticensi laurea consistit, à qua quidem semper commendantur Doctores. Et Reges ad honores eisdem deferendos ipsius Salmanticæ solum audito Doctoris nomine ducuntur. Quid ergo in re litteraria, vestra in academia mihi abhinc tot annos versanti clarius accidere potuit, & ad nominis memoriam sempiternam illustrius, quàm Salmanticensem accipere lauream, illius honores & insignia deferre, quibus ornatus, vbicumque sim summa cum gloria, dignitates Reipub. appetam atque contendam? Vtrum ignauo an diligenti, litterarum experti, an iuris Pontificij studioso tanta gloria digno, an ex aliqua parte de academia Salmanticensi bene merito, oblituro in posterum vestram liberalitatem, an vestrorum in me beneficiorum memoriam in perpetuum conseruaturo lauream præsentem delaturi sitis ex præteriti temporis cursu, quem vobiscum confeci, poteritis intelligere. Ego quod meum est hodierno die munus, quod institutum præsentis litterariæ actionis, quod omnes, qui in hunc locum & theatrum prodeuntes, mei similes facerent, libens & auidus vestri honoris facio, si nullum officium vestrum apud me intermoriturum existimatis: si nullo casu arbitramini, hoc grato memorique beneficiorum viro posse contingere, vt memoriam abiiciat vestrorum in me meritorum, petam à vobis vt quales vos erga viros alios, & academiæ Salmanticensis alumnos præstitistis adhuc, in me Doctoris insignibus ornando, & hanc diem honorificentissima celebritate decorando, liberalitate solita munificentiaque præstetis. Quòd equidem quoniam vos P. C. ex subsellijs, in quib. tanta cum amplitudine considetis mihi significasse, lætantesque annuisse videmini: tuam, qui totius academiæ, & tanti senatus partes agis, Doctor sapientissime, vocem in hanc auditorum doctam & illustrem coronam tandem hoc expectato præsentique iam fœliciſſimo tempore mittendam expecto.

Oratio

Oratio ad lauream deferendam.

QVemadmodum morigeri semper, & parentum amantes; omni officio ac pietate parentibus satisfacere non desinunt, & quantum in ipsis est eorum vtilitates & dignitatem augere: sic officium & munus bonorum parentum est, filijs optimis, & spectata præsertim virtute præditis, in amore respondere semper. Itaque hos filios optimos ac præstantissimos dies noctesque bonis omnibus augendos curant, vt non æquabiliter duntaxat, cum moriuntur, ad patrimonium, quod iure hæreditario obuenit, capiendum partiendumque cum cæteris testamento vocentur, sed ea præcipua parte, quam ad arbitrium & voluntatem relinquendi leges ac iura potestatem faciunt, aucti cumulatique præ reliquis filijs hæredes nominentur. Ita videre est bonorum filiorum obseruantiam in parentes, & parentum amorem in filios incredibilem, curam ad eos prouehendos & efferendos adhibitam singularem, quos vident effigiem alteram morum, vitæ, & memoriam sui nominis relicturos esse post mortem. Vt igitur parentes bonorum filiorum virtutem pari vicissitudine compensare studeant, sic & Academia mater filiorum indulgentissima gratiam laborum & virtutis referre studet, vt ij doctissimorum hominum honorificentissimis insignibus decorati gradum aliquem dignitatis amplissimum postea suis meritis, ac virtuti parem consequantur. Atque ob eam causam in hoc amplissimo augustissimoque theatro, tanta spectatorum circumfusa multitudine septi collocamur in hac sede dignitatis liberalitate Matris academiæ, & tanti consessus auctoritate summa, vt apicem honoris sibi, suisque similibus deferamus. Nam si filij parentibus morem gerunt; parendi pulcherrimum iusiurandum ineunte anno litterarum alumni dant: si filij tales erga parentes seipsos præbent, vt quorum stirpe procreati sunt, eorum sanguine digni videantur; filij academiæ quam operam & diligentiam adhibent, vt academiæ celebritatem & gloriam non dedecorent? Denique si parentes pro patrimonio filijs optimis amplo copioseque relinquendo, pro diuitijs, & opibus augendis, pro filijs denique talibus ac tantis ad honores euehendos laborem omnem suscipiunt; vt virtutis rationem habuisse videatur academia, quantopere suos filios præmijs propositis & honorum

honorum insignibus excitabit? De magnis istorum in Matrem Academiam meritis, pro breuitate temporis ad dicendum data, quod & aliud tempus est decorandæ tantæ tamque præclaræ virtutis, quia laudes istiusmodi maioribus theatris propositæ sunt, & celebrabuntur illæ quidem oblata occasione aliorum dicendi peritissimorum oratorum sermonibus, atque linguis, consulto tacere volui. Atque quantò clarior sit & illustrior causa litteratorum, quibus nominibus excellat & præstet, quantum academiæ filijs debeant suis, probè teneo auditorum ignorare neminem. Cum animi poliendi, litterisque illustrandi prouinciam susceperit Academia, parentes corporis istius, quod nobis commune est cum brutis animantibus alendi vestiendique; cum litteræ, bona animi sint, & ad veram solidamque virtutem percipiendam multum adiumenti ferant, diuitiæ, fortunæ telis expositæ, fluxæ & caducæ; excitati igitur parentum bonorum exemplo, quod iubet & suis decretis sancitum habet Academia parens amplissima, laureæ postulatæ, & optimo quidem iure suo meritæ tibi decus honorificentissimum deferemus, & quo tua nostraque causa præstantior, maiore illustrioreque cum apparatu.

Oratio ad petendum Vetus Salmanticense Collegium, ex similitudine.

APpetenti mihi Collegium istud B. Bartholomæo sacrum & omnium, quæ in Academia Salmanticensi, maximorum Hispaniæ Principum, & Pontificum Ecclesiæ summorum liberalitate fundata, vetustissimum, veniunt in mentem præsidia, in quibus veterani præcipue versari solebant, vt cum prouinciam aliquam, vel ad defectionem spectantem, vel parum fidelem populo Romano, præsidijs suis armisque tutam & omni periculo liberam reddidissent, tum ex illis, qui maxime strenui, fortes, & insignes haberentur, ad militares honores efferrentur, & Ducum & Imperatorum officio, quod summum decus erat, fungerentur. Non aliter Patres, collegia sunt academijs, & omnium florentissima quatuor maiora, in quibus velut in præsidijs sunt homines litterati iam militiæ litterariæ stipendijs confectis, & suarum artium, & disciplinarum

narum honorificentissimis insignibus ornati, vnde propter sapientiam suam ad vrbium præfecturas, ad Regum summa consilia, ad Ecclesiæ dignitates opportunis deducuntur temporibus. Si Duces enim delegabantur quondam, qui ducerent exercitus, res maximas gererent, prouincias pacarent, & ab incursionibus hostium liberas ac tutas redderent; si summi creabantur Imperatores, qui summa bellorum imperia tenerent, & prælijs acerrime commissis, non conseruarent solum, sed amplificarent Regnorum fines multarum accessione facta prouinciarum; quid vos putatis Collegas tot sapientissimos, ex maximis collegijs, & ex vestro præcipue vetustissimo celeberrimoque facturos esse, vel Canonicos vel Pontifices Ecclesiarum, vel Consiliarios regios, aut consortes sacræ Fidei ad partes Rerumpublicarum conseruandas, & omnibus virtutis & litterarum ornamentis, consilij, prudentiæ, magnitudine decorandas, ornandasque delectos? Non erunt præsidio solitudini atque inopiæ contra vim potentiamque multorum? non afferent opem labanti inclinatæque Reipublicæ? non tutabuntur auctoritate sua fortunas, caput, & iugulum innocentum? non præclarè constitutas Respublicas conseruabunt, & augebunt? non Ecclesias splendore litterarum clariores reddent, & illustriores? non etiam, ne longius abeamus, Academijs honorem & gloriam afferent in perpetuum? Vos cum talari vestitu concluso que, & diuersi coloris longioribus focalibus ab vtroque humero decidentibus, spirarum venustissima rotunditate, ab vna parte terminatis tanta cum grauitate binos intueor procedere, si ijsque insignibus in tota academia, latissimis in peristylijs, aut in gymnasijs præceptorum munere fungentes, splendere tantopere, torques illos aureo, & illustri fulgore colluentes memoria repeto, galeas loricasque fulgentes recordor, quibus inter cæteros milites veteranos distincti extremis Reipub. temporibus præsidium desperatæ saluti attulerunt: sic equidem ex Collegijs sapientissimis, ex vobis tanti Collegij Ducibus & Principibus, Respublicæ nostræ, omnes Ecclesiæ, Pontificum sedes, consilia Regum, Regna Hispaniarum præsidium petunt, & à vobis allatum experiuntur & prædicant. Vos estis Coloniæ pulcherrimæ, Rerumpublicarum propugnacula, Ecclesiarum lumina, Regnorum ornamenta clarissima. Vt quocunque venerint homines, huiusce Collegij Principes, in honore summo, dignitateque collocati reperiantur, vt vobis Regnorum conseruatio, vobis tranquillitas, vobis

dignitas

dignitas & Regnorum quæcunque accepta referatur amplificatio. Quamobrem si me ex horum numero cupientem esse, si Rebus publicis & Regnorum vtilitatibus inseruire volentem, atque adeo nostrorum laborum, & militiæ abhinc non paucos annos confectos ferre fructum aliquem conantem, & ad id, quod enitebamur contendebamusque, magis properantem festinantemque conspicitis, cum industria nostra, litterarum aliqua comparata supellex, tum maxime veteris collegij insignia adiuuare poterunt, & mihi quodcumque in animo erit muneris appetendi & obtinendi sine dubitatione spem certam & exploratam afferre. Est equidem collegium hoc castellum veluti quoddam, & arx Doctorum munitissima, qui intra domesticos collegij parietes continentur scientissimi peritissimique, laboribus iamdiu perfuncti litterarum & insigni sapientiæ decorati. Hoc hoc inquam præsidio Reges litteratorum armis, id est, vestrarum litterarum præsidijs Regna sua muniunt, firmantque. Quapropter si quid temporis diuturnitate in Iuris Pontificij facultate profeci, si meis litterarijs in actionibus, si publicis in disputationibus, si quotidianis in prælectionibus aliquod ingenij specimen præbui, si in licentiæ gradu cunctorum Doctorum consensione probatus adeo insigniter ex sacello D. Barbaræ sacro, quod cum cogitarint, qui examinis periculum subituri sunt, totis artubus atque membris contremiscunt, nomen aliquod Iurisperitiæ comparatæ deportaui: si videtis aditum aliquem patefieri ad cathedram appetendam, cum nonnulla mei nominis existimatione, & nulla vestrum, omniumque immunitione, nulla collegio iactura, si vos me ipsum vestra benignitate, vestrarum in me voluntatum non obscura significatione ad tanti collegij dignitatem & honorem appetendum excitastis: si nostræ societatis auiditate reliquas spes, quæ mihi videbantur allatæ, penitus abieci, quæso obtestorque vos, ne mihi præcludatis aditum, quem suffragijs vestrum omnium certissimis multi sibi persuaserunt, & quod vos ignorare non potestis, propter sermones & famam peruagatam nostræ expectationis. Quod sit vt spero, collegium, & insignia vestra consequutus fuero, non immemorem beneficij in me collati collegam in vestrum numerum ascribetis. Dixi.

Oratio ad Collegium Complutense maximum Beati Ildefonsi appetendum, ex simili.

PEtiturus Collegium maximum Complutense, Rector illustris, collegæ sapientissimi, quod B. Ildefonsi nomine celebratum, reliquorum caput esse voluit seu piterna memoria dignissimus huiusce Complutensis academiæ fundator Franciscus Ximenius Cardinalis illustrissimus, non ab instituti mei officio alienum esse cuiquam videbitur, si montem editum & excelsum, ad cuius vertieem & summa iuga magno labore & defatigatione corporis sudantes & anhelantes, & totis viribus, nitentes homines ascendunt summo periculo dandi se præcipites, antequam in montis præcella fastigia perueniant, ante oculos vestros statuero. Nam quemadmodum qui perfrui volunt, tot amœnitatibus vallium & camporum viriditatibus, hortorum & agrorum iucundissimo prospectu, & ex summo cacumine, quocunque se conuerterint multiplices ac varias ad corporis & ad animi oblectationem iucunditates capere, non recusant suscipere laborem, quem ascendendo capiunt, & omnes difficultates ac pericula capitis aperta subeunt; sic equidem qui vel Academiæ vestræ fructus ferre voluerint certos & exploratos, aut Ecclesiæ dignitates & honores capere, in arcem hanc tutissimam, & principem Castellorum, quibus vestræ scholæ munitæ vigent, omni contentione conscendant necesse est. Nam quamquam tot laboribus & vigilijs studiorum susceptis, & quod propter amplitudinem vestræ dignitatis & gloriam collegij max mam orbe toto diffusam veteri debet doctissimus quisque periculum repulsæ maximæ, & honoris grauissimum discrimen, gradum collegij maximi celsissimum reformidet, tamen fructibus academiæ & sacerdotijs ampliſſimis, & Ecclesiæ dignitatibus, atque nominis immortali gloria, & iucunditatibus veris ac solidis, quarum sapientes fructus percipiunt in hac academia versantes, raro profecto nisi collegæ maximi perfrui visi fuerunt. Quod si multi homines propter vestitus herbarum, & pulchritudinem florum, vt camporum, & vallium, & agrorum amœnitates capiant, intercluso prope spiritu, tanto corporis sudore, & animi difficillimis angustijs præcelsa montium altissimorum cacumina petunt &

tunt & ascendunt; vt hortos liberalium artium, vt sacræ Theologiæ amœnissima viridaria perambulemus, vt ex his & alijs pomarijs odoris suauitate poma fragantia colligamus, & fasciculos florum diuersitate multiplici distinctos componamus, & hanc tantam lustremus academiam cum aliquo laborum nostrorum fructu, & nominis comparata gloria, vt ab his sedibus detur aditus ad honores & dignitates Ecclesiæ clarissimas, quem potissimum montem sapientiæ, dignitatis, honoris, gloriæ, splendoris facibus illustratum ascendemus, quàm celebre sacrumque D. Ildefonso Collegium maximum? Illi vt oculorum aspectum oblectent difficilem ascensum non recusant; nos vt animorum sensus dignitatis adeptæ dulcedine recreemus, in humili planoque loco consistere non desinemus? Illi corporis offensiones non metuunt, vt quo peruenire volunt; ascendant; nos seueriſſimam Iudiciorum aleam repulsæque metuendos euentus formidabimus? Illi vt ad exiguum temporis spatium, quæ loca sæpissime viderunt & adierunt, respicere possint, & aliquam auram suauissimam & lenissimam captare, montium difficultates ascendent; nos vt, quo nunquam peruenimus, quo tantis laboribus Principes sapientiæ contendunt, accedamus, non rumores inanissimæ gloriæ aucupaturi; sed laturi fructus laborum & vigiliarum nostrarum, non omnem operam, & studium adhibebimus? At affert magnum dolorem ab alijs candidatis superari quemquam, venire in discrimen & periculum honoris amittendi, pati repulsam, & alijs præpositis candidatis præteriri: eisdem se periculis obiiciunt, qui consequuntur collegium & insignia vestra. Quod si in vestrum ordinem non coopremur, non confestim faciemus iacturam honoris, neque amittimus opinionem, quam de nobis concitauimus in Academia Complutensi: quod illa fuerit contentio cum doctissimis hominibus, cum maximis & acerrimis ingenijs, quibus si delatum fuerit collegium, non ignominiam ex repulsa reportabimus. Atque illud sæpe euenisse vidimus, vt inter duos æquales cum certamen suscipitur non minore gloria dignus fuisse videatur, qui cathedram aut collegium amiserit, atque ille, qui suffragiorum iusto numero fuerit consequutus. Quid quod in laboribus nostris; in actionibus publice habitis, in periculis ingenij & scientiæ nostræ factis, in virtute, in humanitate, in præstantia tanti consilij nos habere spem æquum est. Illa vero, quæ & existimatio nominis, & doctrinæ, & omnium

nium fere collegiorum honores assequuti gradatim, magnum momentum habent ad bene de vestra benignitate sperandum. Quod si recordari volueritis, quæ meminisse vos oportet, quem locum in publicis renuntiationibus tenuerimus, tantum profecto nobis erit animi, quantum sumere non alienum erit a ratione candidatum, qui inprimis semper constitit, & cui iure quidem suo, non gratia, non ambitione (quæ mala bonas sæpe Respub. euerterunt) hunc honorem delatum vniuersa semper plaudens academia comprobauit. Quare si me montem tantum ascendere cupientem, & summo discrimine verticem tam excelsum appetentem, & maximorum societate collegarum, vestris insignibus dignum esse iudicaris, vt viridaria lustrem academiæ vestræ iucundissima, vt conscendam cathedram aliquam, aut honorem litterarum laboribus debitum, vt in sinu semper gremioque Academiæ matris indulgentissimæ acquiescam, & suis filijs & alumnis, si quid in me fuerit ingenij, & scientiæ, labore semper omni studioque non vos defuturos vnquam suffragijs ferendis vestri ordinis & academiæ ostendistis, si quæ sunt litterarum merita in me creando collega, & voluntate & sermone consensionem animorum singularem ostentatite. Quod si vestræ voluntates in alium candidatum propensæ ferantur, quod Iustitiæ consentaneum sit, vos feciſſe iudicabo, æquissimorum integerrimorumque Patrum consentiente auctoritate conuictum.

Oratio ad publicam prælectionem in Cathedræ contentione, pro Complutensis academiæ competitoribus, ex simili.

QVæ prælegendi candidatis in cathedræ contentione leges imponuntur, eæ iustæ quidem sunt, & omnium orbis terræ decretis academiarum comprobatæ, quibus tenentur vt sui periculum præbeant prius, quam ad suffragia scholasticorum cathedra reuocetur honoris, appetentes quicunque competitores. Nam vt præstantia sericorum exploratur prius in claro lumine, cum serica proferuntur in lucem medamque claritatem: sic equidem accessiones studiorum, disciplinarum cultus, demersa veritas in profundo ex tenebris eruitur, & omnium ingenijs & iudicijs intelligentibus cernitur, cum quisque competitorum quantum arte sua valeat, & disciplina, protulerit in

rit in publicum prælegendo. Atque quemadmodum oculis serica videntur, attrectantur etiam manibus, cernuntur & respiciuntur attenta consideratione, & illorum splendor nitidus & illustris magis bonitatem profert & ostentat: ita sane ex publicis prælectionibus auditis, quantum quisque ad tradendas bonas artes & disciplinas, ad formandam iuuentutem competitores adiumenti possint Academiæ ferre, suffragatores intelligunt. Quærimus optima præstantissimaque serica ad sarciendas conficiendasque vestes; quæ ramus ad artium & disciplinarum curriculum ineundum absoluendumque exquisitorum scientiam præceptorum: exploratur bonitas sericorum ad corporis cultum & ornatum; exploretur ad animorum lucem & splendorem bonorum cognitio magistrorum: non desinimus adire Mercatorum locupletum ædes, vt quæ optima sint & maxime præstent, serica deligamus; deligantur & ex competitoribus, qui maxime bonis litteris & studijs omnibus instructi ornatique videantur. Sed qui facta solum corporis mentione serica præstantiora quæri diligenter dico & studiose, cum ad palatia vestienda, ad parietes ornandos fulgentibus peristromatis hanc ab opulentissimis hominibus adhiberi diligentiam videamus? Quasi vero non illa pluris æstimanda sint consilia Regum potentissimorum, & Ecclesiarum sedes amplissimæ, quibus litteratissimi sapientissimique Doctores consilio litterarumque cognitione & scientia tractantur, neque muti parietes decorantur, quod tribuitur sericorum pretioso fulgentique vestitui, sed vt prædixi, dicamque sæpe mortalium animi, ad constituendam Rempub. & ad conseruanda Regna, & ad imperia nouis in dies incrementis augenda & ad Ecclesiarum sedes & dignitates amplificandas, ad homines abstrahendos à vitijs, & in cœlorum gloriam veri perspecta clarius cognitione perducendos. Quod igitur vobis datum est tempus explorandæ scientiæ, & progressionum cuiuscumque competitoris, id nunc præsens est, & ad academiam vestram ornandam decorandamque toties exoptatum. Prælectionibus interfuistis, & ex illarum ratione, reliquarumque rei litterariæ actionum celebritate videre potuistis, quantum cuique sit ingenij, quæ adiumenta & præsidia doctrinæ comparata ad Magistri personam sustinendam, quemadmodum partes præceptoris agere quisque possit, & cum scholasticorum commodo, & gloria Matris academiæ tueri; atque si ad prælectionis munus præstitutum adiungatis documenta toties in academia nostræ facultatis cum

tis cum aliquo plausu data spectatoribus, non credo parum ea facere videbuntur ad cathedram libentioribus animis deferendam. Nam cum in argumentis ponendis, in responsis labefactandis, in obiiciendo semel & iterum ac sæpius vim & facultatem nostram spectaueritis, quemadmodum errores ex animis eripere possimus discipulorum, dubitationem omnem & scrupulum euellere, cum pro posse nobis quidquam obiecerunt, facile recordamini. Cum sæpe etiam in præceptorum locum suffecti fuerimus & illorum absentiam nostra facultate suppleuerimus, magnum sane momentum habebit ad præceptoris dignitatem sustinendam: ita vt, quam nos viam tradendæ disciplinæ nosse videbimur, quam rationem modumque tenuisse, quos perlegisse auctores, quid in locis difficillimis, & in quæstionibus profligandis adhibuisse studij, quam in arcanis Philosophiæ reconditis attulisse lucem veritatis in profundo delitescentis, non admodum ignoretis. Quod si meminisse collegia tot alijs doctissimis præstantissimisque viris præteritis sine contentione mihi delata volueritis, primum in renuntiationibus licentiatorum locum obtentum, toties honorem examinandorum Baccalaureorum, designatorumque ad scientiæ gradum cum principibus Academiæ delatum, denique si labores & vigilias, & gloriam nostri nominis magis auctam & amplificatam, & ex alijs Academijs per litteras frequentissimo Patrum Senatu consentiente stipendia nobis minime contendentibus oblata, & eadem in vestris sedibus & officinis litterarijs manendi cupiditate, liberalissime repudiata memineritis, neminem arbitror futurum esse tam parum de Matre Academia, deque vtilitate minime cogitantem, qui non libenter cathedram his ornamentis ad præceptoris munus obeundum præsidijs redundanti Doctori deferri velit. Quod vt fœliciter nobis eueniat, ille, qui potest & facit, vestrum omnium mentes ad verum, & ad fucatum nitorem internoscendum diiudicandumque, incredibili suæ bonitatis & sapientiæ magnitudine Deus immortalis illustret.

Dixi.

Oratio

Oratio ad Canonicatum Hiſpalenſem appetendum, ex ſimili.

SAtis arbitror P. G. vnumquemque veſtrum intelligere, quantopere expediat in hanc conſeſſus veſtri ſapientiſſimi, illuſtriſſimique mediam lucem & claritatem, ſplendore Solis illuſtriorem prodeuntes candidatos dare ſui ingenij, litterarum & virtutis ſpecimen maximum. Nam quemadmodum milites profecturi in bellum dant ſpecimen fortitudinis & virium ſuarum: neque hos in certamen deſcendere videbitis, niſi armis fulgentibus munitos, quibus & propulſent impetus aduerſariorum, & aduerſus plagas, quas hoſtes conati fuerint inferre, ſeipſos tueantur, acerrime, vehementiſſimeque confligentes: ſic equidem in contentione præſenti, certamine de ſacerdotij Eccleſiæ Hiſpalenſis opulentiſſimæ ſuſcepto, ingenium oportet oſtentent, & quaſi prælijs grauibus initis, telis ſapientiæ iactis & intortis victoriam deportare contendant, qui tantam tamque amplam dignitatis ſedem & veſtri conſeſſus ordinem ampliſſimum ſuis meritis aſſequi voluerint, iudiciorum veſtrorum aleam ſeueriſſimam ſubeuntes optimi præſtantiſſimique competitores. Quamobrem non immerito tribunorum quondam militarium munus erat, arma militum explorare, quibus regi deberent, & dato ſigno committendi prælium in hoſtem inuadere, verſare gladios in omnes partes, opponere, cum opus eſſet, retardare impetus hoſtiles, in fugam aduerſarios coniicere, cæſim punctimque vulnerando, & an à patrijs ſedibus, à tectis, à mœnibus, & à laribus arcere vim omnem & malum imminens inuicta fortitudine poſſent. Non diſſimile profecto munus eſt, quod obituri vos eſtis in hac Hiſpaniarum principe Eccleſia Hiſpalenſi, qui ſacerdotium præſens litteris ac virtute appetentes Doctores cognitos omnino debetis habere, vt quibus armis, qua ſcientia, qua virtute contra fraudes & fallacias hoſtiles populum inſtruere valeant ex ſuggeſtis, quæ quoque tela ſubminiſtrare contra nouos incurſus & impetus hoſtis terrimi dies noctesque, neque cogitantibus, neque opinantibus hominibus ſæpe faciendos cum cognoueritis, idoneum maxime tantoque ſacerdotio digniſſimum deligatis. Milites gladios diſtringunt, vt ſeipſos & populum tueantur; concionatores diuini verbi rationes in dæmonem

afferent ad homines ex dæmonis faucibus eripiendos: milites gladijs & telis vtuntur ad vulnera, ad cædes faciendas; præcones diuini verbi sanctorum auctoritate, sacrorum Doctorum monumentis, ipsis sacrarum litterarum, & vtriusque testamenti telis & gladijs acerrimis dæmonem multis illatis vulneribus contra repentinos impetus celeriter arreptis armis, & multo ante comparatis occurrunt, nouos in dies mores deprauatos, & noua surgentia passim monstra vitiorum plurimis comparatis & habitis in promptu litterarum ornamentis delebunt & extinguent: milites machinationibus bellicis tormentorum strepitu terrifico oppugnabunt, euertent & capient ciuitatem inimicorum contentione defensam; concionatores acrimonia partim Theologiæ sacræ, partim spiritu ac robore Pauli tonabunt, fulgurabunt, & dæmonem in animis multorum exultantem eicient, & ad caliginosas & obscuras inferorum sedes redire compellent frendentem tremententemque: milites oppidanos metu maximo perterritos, & formidantes aduersariorum copias cogunt ad deditionem viribus martis inuicti; concionatores peccatorem totis artubus ac membris contremiscentem eo perducunt, vt peccati tyrannidem pertimescat, tanquam pestem & serpentem venenatum: denique milites quantum fortitudine valuerint, & quibus armis vsi fuerint aptis & paratis ad prælium rebus præclare gestis, aduersariorum edita strage, spolijs plurimis & magnificentissimis, & exitu tandem prælioru victoria terminata satis aperte testantur; concionatores non minus datis ingeniorum documentis, præmijs litterarum adeptis, consequutis aliarum Ecclesiarum honoribus, & fructu, quem hisce diebus afferre visi fuerunt, statuto ante oculos, & ora confitentium, præscribere videbuntur iudicibus equissimis, quid decernere debeant, vt fœlici tantarum progressionum euentu ducti suffragia sua ferant, & in sacerdotij sede collocent, quem Ecclesiæ vsui semper maiori & ornamento clariore futurum esse iudicauerint. Atque cum competitores maximo ingenij acumine, acri intelligentique iudicio, & sacrarum litterarum ornamentis præditi esse debeant, cum egregij Dialectici, præstantes Philosophi, & vtriusque Theologiæ tam placidæ, quam consectatoriæ periti, & in sacrorum Doctorum voluminibus versati, & diuinorum studiorum intelligentes commendentur, tum habeāt oportet ad concionandum comparatam facultatem, & hanc

non

non sacris duntaxat, sed humanioribus litteris, veterum annalibus, eloquentiæ laude illustratam. Quòd si ad naturæ præsidia, vocis sonus, vis & copia dicendi, vires oneris magnitudini pares, auctoritas & reliqua virtutis existimatio, adepta Collegia, honores delati, cathedræ consequutæ, celebritas nominis, & quæ vos omnes probè nostis, ornamenta cætera cernantur in competitore, hæc sunt tela potissimum spectanda, hæc diligenter exploranda, hæc sine dubitatione cognoscenda. His Theologi præsidijs, hisce viribus muniti deligendi in tanti sacerdotij dignitatem amplissimam. Nam si milites eos non accipiebant vnquam Imperatores, nisi probè inuestigatis & exploratis armorum generibus, quibus dato signo concurrendi fortiter animoseque confligerent; ad bellum inferendum dæmoni sacrarum concionum contentione & reliquis tantæ dignitatis muneribus proprijs ac peculiaribus, quanto præstantiora requirentur, & fortiora tela? Cùm præsertim cum hoste omnium nequissimo, vetustissimeque pugna committenda sit, qui in gerendis bellis, in confligendo, in vincendo, in edenda strage maxima mortalium, & in illorum infinita multitudine ad inferorum sedes deturbanda per tot sæculorum ætates exercitatus fuerit, & nunquã, (quæ illius immanis, & effera natura) defatigatus, belli faciundi, hauriendi bonorum sanguinis auidissimus. In quibuscunque alijs sacerdotijs deferendis cùm nobilitatis, splendoris, meritorum habeatur nonnulla ratio, quòd sine litteris, sine doctrina multa sæpè demandentur aliquibus, aut liberalitate Pontificum Romanorum aut commutatione facta, aut quod nunc fieri videmus coadiutoribus subrogatis, dummodo isti virtute ac religione vitæ commendentur, nihil mali timeri potest: At in istiusmodi sacerdotijs, quibus de nos ancipite contentione decertamus præter virtutum spectatam, quam multa desiderentur vos omnes testes estis. Cùm agatur victus Candidati, agatur honos illius & gloria, agatur Ecclesiæ, quæ litterarum præcipuo splendore decoratur causa, agatur denique salus animorum, quibus isti canditati sacerdotij dignitate consequuta suis litteris & virtute consulent. Quamobrem obsecro vos P. G. repetite temporum illorum memoriam, quæ vniusquisque nostris in Academijs, in collegijs posuerit, statuite ante oculos cathedram & honores adèptos, præsentis actionis celebritatem, conciones habitas, ingeniorum & litteratorum specimen datum, ex quibus singulorum animis probè cognitis,

quemadmodum alijs temporibus feciſtis, & hiſce comitijs iuſtitiæ partem ad militiam animorum tractandam ex Eccleſiæ tantæ celſiſſima dignitate metiamini.

Oratio ad Religionem B. Auguſtini appetendam, ex Dauidis exemplo petita.

CVm vates ille Regius P. G. huiuſce ſæculi fluctibus obrutus, tempus ſibi dare cuperet liberum & vacuum negotijs, quorum intoleranda quaſi mole Reges orbis terræ premuntur, ad cogitationem de Deo duntaxat immortali ſuſcipiendam, ad illius delicias, & ſolidas animi voluptates percipiendas, ſimilis columbæ pennis in ſublimi efferri cupiebat, vt vrbis celebritatem fugeret, & in ſolitudinem ſumma celeritate volaret. Quòd cum nactus fuiſſet, ſe fugiſſe cætus, inquit, mortalium, & in vaſtam ac deſertam ſolitudinem abductum incredibili, ac diuina rerum cœleſtium voluptate recreaſſe ſuum animum tot vndis & procellis regnotum antea turbulentiſſimis iactatum ac penè ſubmerſum. Quod deſiderium ſanctiſſimi Regis flagrans, & accenſum cogitantibus ſæpè viris in hoc ſæculo verſantibus, venire debet ſtatim in mentem fragilitas humanæ naturæ, pericula maxima & innumerabilia, quibus frequenter expoſita eſt humanæ vitæ ratio, ſi ſe ſalnos & incolumes ſeruare voluerint in perpetuum, atque illud ſitienter appetere, & conari modis omnibus, quoad conſequantur, non deſienent, vt ab vrbe diſcedant, ſecernant ſe ab hominum cœtibus, ingrediantur in Religionem ſolitudinis receſſu ſatis inſigniter expreſſam. Nam quemadmodum columba auis & ſimplex & ſincera nimis, timida admodum & formidoloſa, ſibi ipſi cauens & conſulens, & receſſus quærit, & remotam ab hominum concurſu, celebritateque ſolitudinem; tanta autem celeritate, quantam nouimus, & quotidie videmus, volatus illa ſuſcipit, ſeſe efferens in ſublime, longiſſimos & altiſſimos: ſic equidem nos, ſi ſaluos & incolumes animos cupiamus, vrbium populorumque concurſus fugiemus timidi nimium, & nobis conſulentes, ne ſtrepitu tumultuque vrbano miſerabiliter oppreſſi, laqueis & inſidijs dæmonis, Mundi, & ſpurciſſimæ carnis irretiamur. Quos hoſtes videre videor apertis & occultis cuniculis ſemper animum oppugnantes, vt capere poſſint, & in obſcuras præcipitem agere regiones inferorum flammarum ardoribus torquen-

quendum. Cùm rationes sint multæ fortiter ac vehementer pugnandi, & vt declinemus simul laqueos, & iniecta passim retia trium humani generis hostium teterrimorum, illa magnam vim habet, & diuinæ maiestatis imitanda consilia potissimùm ante oculos statuit, quæ in sæculi fuga celeri posita sit & incitata: ea naturæ humanæ fragilitatem, & carnis nostræ debilitatem notam penitùs & exploratam habens recepti iubet hominem canere, & infugam conijcere sese mirabili protinus celeritate, ne si vel punctum temporis constiterit à valentissimis belluis omni crudelitate dilanietur. Nam cum consilijs Christi Iesu, leges Mundi contrariæ sint & infestæ, cum carni spiritus aduersetur, cum Deus immortalis bellum magnum & assiduum cum nequissimo dæmone gerat, & in cultorem diuinorum consiliorum tres hostes nequissimi omni copiarum genere abundantes exercitus educant, debilem & infirmam carnem nisi robore diuino fretam, & præsidijs Religionis adiutam, totò profectionis viam ingressuram fuisse putabimus in medijs delicijs, & in sæculi voluptatibus, in tanto strepitu, tumultuque ciuitatis permanentem? Christus paupertatem suis perfectis cultoribus proponit; Mundus copiam & affluentiam bonorum omnium: Christus contemptionem omnem ac despicientiam statuit; Mundus ostentationem & iactationem superbissimam: Christus abijcit honores & Regiam dignitatem tanta vltro populi totius acclamatione delatam; Mundus diadema gemmis illuminatum fulgentibus appetit: Christus vult contemptissimas escas, temperantissimas perpotationes, & cultum omnem & ornatum corporis inanissimum, docetque luctum & dolorem peccatorum; Mundus risus, cachinnationes & iucunditates offert: denique Christus factas iniurias non modo non vindicandas, sed perferendas & condonandas libentissimè præscribit, & ad illas lætis & gestientibus animis suos alumnos properare vult & imperat; Mundus irasci quemque iubet, & illata mala vlcisci grauissimè, neque desistere quemquam, nisi par pariretulerit, quo grauius offendat, & illum ab hominum linguis & sermonibus suis vsitatis legibus & sanctionibus lacceret. Quid caro desiderat? molliter ac delicatè viuere, otio luxuriaque diffluere, & vitam voluptatibus confertam agere. Christus vult in omni corporis & animi contentione, suos exerceri cultores, frangere seipsos laboribus, vigilijs, inedia, cilicio, domitas penitusque compressas habere

cupidi-

cupiditates. Dæmon dies noctesque arcem animorum obsidet, vt homines carnis lenocinijs, & mundi nefarijs oblectationibus deuinctos constrictosque teneat; Christus viam demonstrat difficilem & arduam angustijs diuinorum consiliorum contentam. Videte quid agat Dæmon, quantis laqueis constrictum teneat hominum genus: cum nihil ferè videamus nisi turpes & obscænas voluptates, superbiam & insolentiam, fraudes & fallacias, furta, rapinas, inuidiam, iracundiam, obliuionem Dei immortalis, & omnium postremò scelerum & flagitiorum multitudinem, quorum & aliorum istiusmodi sexcentorum peccatorum execrandis exemplis stimulari hominem cernimus, & ad peccandum procliuem ferri: Nam quis picem (vt inquit sapiens) attinget, & non inquinabitur? Cum verò occasiones concurrant innumerabiles, quas semper in ipsis negotijs, quæ agimus, fugere ferè non posse videmur, cum cæca ac temeraria cupiditate ad maleficium animus inducatur, inuitetur blandis illecebris voluptatis, ad faciendas prædas incitetur lucro, damnis deterreatur ab oneris suscepti magnitudine, ignominia & dedecore nihil turpius ducat, assentatoribus aures patefaciat, siue valet homo, siue ægrotat, nunquam insidijs caret, salus negligentem, morbus tristem reddit, diuitiarum affluentia iactationem habet, rei familiaris angustiæ querelas. Omnia sunt, quocunque se conuertat homo, plena laqueis, plena periculis, & ruinis exposita miserandis in hoc sæculo. Quid ergo aget homo quod tutius sit & ab his malis procul alienum? quo se conferet, nisi in Religionem columbæ volatus imitari velocissimos cupiens? An vero à Columba patiemur homines superari, quæ solùm impellente natura fugit hominum cœtus & procul in solitudinem, & miranda volicitate recipit sese, ne quidquam damni corpus accipiat, ne mortalium insidijs appetita capiatur, ne sagitta transfixa miserè prosternatur in terram, & fiat percussoris cibus, & esca necessaria; nos non ipsa natura solùm, sed præstantia mentis, qua cunctis volucrum & animantium generibus præstamus, non in perfugium tutissimum compellet? Et quoniam multo facilius est nobis, quod nihil opus est, in solitudinem fugere non in lucos, non in loca syluestria nos abdere, non in montes editos & excelsos euolare, sed vrbibus ipsis atque adeo intra mœnia ciuitatis cœnobia Religiosorum habemus, quorum parietibus tecti cunctas inimicorum insidias & pericula propulsabimus, & quod optabat Dauid ab hominum

minum celebritate separati diuini numinis incredibili ac diuina voluptate perfruemur, cur in periculis, cur in discrimine vos versari manifestò patiemur, & non ad Religionis studium incumbemus? Dauid sanctissimus & in medijs Regnorum fluctibus, & turbulentissimis negotiorum tempestatibus cupiebat in solitudinem discedere, vt liberiùs, & suauiùs diuinæ contemplationi vacaret, neque destitit, quoad votis & optatis facta responderunt: quid me æquum erit agere, Patres, tantarum non ignarum insidiarum? Cui Deus tantum lucis attulit, vt in sæculo manere, non sine timore maximo possim & exitij mei aperto discrimine? qui meæ sim imbecillitatis conscius, & hostilium periculorum, quibus exposita est animi nostri dignitas? Ad vos Patres sanctissimi confugio, vestrum ordinem appetens, & in illum cupiò tantorum Patrum consensione cooptari. Nam cum omnes sacræ familiæ tutissima mihi sint receptacula firmissimeque contra dæmonis incursus teterrimos præsidia, tum B. Augustini Religionis mihi mentem Deus immortalis iniecit ab hinc multos dies. Cuius memoriam neque à me per tam longum tempus, quibus tentabam modis & rationibus dimittere potui, siue domi, siue foris essem, hæc sacra Religio sic in imis visceribus ac medullis inhæsit, sic sæpè dormientem à somnis excitauit, vt nisi in vestram societatem ascribar, me salutis & gratiæ cœlestis adipiscendæ rationem non admodum exploratam habiturum esse putem. In illam admissus confido & spero portum me beatorum post illius vitæ curriculum obtenturum fœlicem, fortunatumque. Vt hunc obtineam, qui mihi vestræ Religionis appetendæ cupiditatem iniecit, mentem vobis omnibus per suam incredibilem mansuetudinem, & clementiam donandæ patefaciendæque Deus optimus ac maximus inijciat.

Oratio ad publicas Disputationes dedicandas, ex simili.

PAruulæ plantæ, ac teneræ, vir illustris, nisi ad arbores maximas, & radicibus infra terram actis stabiles, proceras & opacas, & patulis diffusas ramis adhæserint, quarum ope sustententur & alantur, & à temporum iniurijs, ventorum furentibus procellis sese tueantur ac defendant, neque adolescere possunt, neque in magnitudinem, nec in altitudinem suam euadent vnquam, sed cum minùs opinabuntur agricolæ, vi ven-

vi ventorum irruentium insana furentique vastabuntur, & euellentur radicitus, nulla prorsus agricolis eisdem arboris restituendæ spe relicta. Sic equidem fœtus ingeniorum suis principijs exigui admodum ac teneri, cum proferuntur in vulgus ad linguas maleuolorum præscindendas, & ad fructus maturitatem aliquam, & ad spem reliqui temporis alendam sustentandamque magnorum hominum patrocinijs indigent: quorum ope si destituerentur, turbine quocumque restantis aduersæ fortunæ conciderent, & ad nihilum redigerentur cuiuscumque litterati hominis conatus & impetus fracti semel ac debilitati. Quòd si principijs progressus consentire debent, exitusque fœlices in obeundo litterarum munere, quo tempore magis patrocinium desiderabitur, quàm cum primis litterarum, & ingenij documenta dare cœperimus? cùm velut arbores teneræ præsidio maximorum hominum fulciri debeamus ac sustentari, ne contentiones, quas deinceps post facta ingenij pericula nonnulla adhibere cœpimus, in medio cursu frangantur & concidant. Ad arbores arbusculæ admouentur contra procellas & turbines temporum perturbatione concitatos; ad Principes maximos adhærescunt litterarum alumni contra maleuolorum virus & insanam temeritatem. Arbusculæ præsidio maximarum arborum crescunt & aluntur; studiosi litterarum, si conatus adhibere cœperunt, & impetus maximos ad studiorum scientiam, eos potentissimorum Heroum patrocinio contentione maiore in dies adhibebunt in finem vsque. Denique non modò plantæ teneræ conseruantur, sed fructus ferunt vberes arborum ope maximarum; litterarum amantes virorum ornatissimorum auctoritate muniti suis progressionibus vtilitates & adiumenta magna Rebuspublicis afferunt. Quæ cùm ita sint & testata mortalibus, cui melius, quam tibi, clarissime Princeps, hos meos studiorum primos fœtus, tanquam teneras ac paruulas plantas dicandas consecrandasque curare debeam non inuenio, qui maiorum tuorum illustri prosapia, generis antiquissima nobilitate, rerum egregiè gestarum celebrata magnitudine, tot monumentis virtutum maximarum statutis ad posteritatis memoriam sempiternam, adque adeo studio singulari, maximisque in litteratos beneficijs collatis, litterarum patrocinium & tutelam iure quasi tuo meruisse videaris. Atque arbores proceræ sæpè orta tempestate non minora detrimenta capiunt, quàm arbusculæ, cum ad has alendas & sustentandas contra tempestates turbulentissi-

lentissimas infirmæ sint ac debiles, & impetu ventorum furentium vna cum arbusculis euertantur, aut euellantur radicitùs: At tuæ nobilitatis imagines famosæ, tot maiorum tuorum decora & ornamenta clarissima, tantæ ditionis principatus amplissimus, & tuæ virtutes cognitæ, testatæque mortalibus, quo vetustioribus titulis & monumentis immortalitatis antiquioribus nituntur, ad litteras à maleuolorum linguis & iniurijs tuendas vim habent, & auctoritatem maximam. Quamobrem accipe vir illustrissime, quas primum post Iurisperitiæ curriculum, quinquennij diuturnitate confectum disputationes humiliter ac demisse consecramus: quas cum auctoritate tui nominis, tutatas protectasque viderimus, nullos maleuolorum sermones passim sparsos ac temerè iactatos tanti patrocinij auctoritate defensi metuemus.

Oratio ad virum illustrem ingredientem in gymnasium, ex simili.

QVanam fœlicitate nostra factum fuisse dicam, illustrissime vir, vt hodierna die nihil nobis tale cogitantibus, nec merentibus profectò, nostrum gymnasium tui aduentus beneficio singulari cohonestare voluerit? Atque hoc præcipuè tempore, cum tuis negotijs maximis, & grauissimis occupationibus distentes, vix otium habere videbaris, non ad inuisendam solum Academiam, sed neque ad pedem efferendum è tuarum ædium limine, tot præsertim ad gratulandũ tibi de tuo in hanc vrbem aduentu omnis generis & ordinis viris splendidissimis manè vesperique concurrentibus. Quo magis inopinatum fuit & insperatum istud beneficium, eò magis gratum & iucundum ordini Rhetorum vniuerso accidit; qui sic gaudet ac vehementer lætatur huiusce fœlicitatis eximia magnitudine, vt suis alumnis gratiùs nihil, neque iucundius accidere potuisse fateatur. Quemadmodum Vere ineunte omnia virent in agris, & amœnissimè florent, virere campi, nitere colles, syluæ frondescere, montes floribus & herbis vestiti longo interuallo radijs Solis fulgentibus illustrati splendere videntur; horti plantis omnibus consiti, nitidiores sunt & amœniores, viridaria speciem & formam claram & illustrem multiplici varietate distinctam ostendunt, atque arbores, quæ hyeme erant nudatæ flosculis, deinde folijs vestiuntur. Quæ sata, quæ fruges, quæ pascua, qui riuuli pelli-

cidis

cidis aquis & christallinis fluentes? qui carduelium, luscinia-
rum, & omnis generis auicularum volatus, & cantus dulciſ-
simi, quanta ſuauitas auræ flantis leniſſime? Animalia quidem
in vbertate & quaſi luxurie rerum ſumma laſciuire vita ſunt.
Omnia poſtremò, quæ hyemis aſperitate deformia videban-
tur & horrida, nouam faciem & formam induunt iucundiſſi-
ma veris amœnitate redeunte. Sic equidem aduentus tui fœ-
licitate, neſcio quomodo Academia Rhetorum recreari viſa
eſt, & ſcholæ reliquæ, quæ ſunt amœniſſima litterarum viri-
daria, tanti Comitis aſpectu refici: quotquot autem iſtius gym-
naſij ſedibus continentur, atque intra domeſticos Mineruæ
parietes vſitato more ſubſellia ſua occupant exhilarari miran-
dum in modum videntur præſentia tua fauſta fœlicique. De-
nique nullæ ſunt officinæ litterariæ, quarum alumni plurimi
non ſeſe effuderint ad ſpectandam viſendamque tuam, hanc
tantam auctoritatem, dignitatemque exiguis, & anguſtis vnius
aulæ finibus contentam. Cùm autem tantum concurſum &
frequentiam, cùm tantam corporum & animorum alacrita-
tem, cum in tu cunctorum oculos & ora coniecta, cùm admi-
rationem & plauſum maximum animaduertis, quoniam illi
omnes loqui non poſſunt, mihi præcunctis dicendi data facul-
tas eſt tibi Principi maximo potentiſſimoque gratias agendi.
Quo nunc ſpectare dicemus hæc omnia, niſi, vt ſpeciem quan-
dam præbeant florentis & exhilaratæ admodum Academiæ?
cuius alumni ac Rhetores noſtri magnitudine tantæ liberali-
tatis excitati florere nunc videantur, & ad curſum magis lit-
teratum, & ad virtutis actiones præclarè ſuſcipiendas alacrio-
res reddi. Vnde quæ ſpecies & forma Academiæ veræ Chri-
ſtianæ, qui nitor omnis ordinis & ætatis adoleſcentum, quæ
poſtremò vere ipſo florentiora fortunatioraque tempora flo-
ribus & inſignibus virtutis & ſapientiæ clariſſimis illuſtrata,
de gymnaſijs alijs omnibus ipſi loquentur, & nunquam tace-
bunt ſingulorum ordinum alumni præceptoreſque: de nobis
verò, de Rhetorum claſſe, quam aduentus tui ſplendore il-
luſtrare voluſti, & agris ipſis, ac viridarijs amœnitate verni
temporis iucundiſſimè florentibus florentiorem proculdubiò
& magis nitidam & illuſtrem reddere voluiſti, cùm cogita-
mus, tunc verè Rhetoricem floridam & nitentem dicemus.
Agri violis ac floribus ſtrati, Academia Rhetoricæ vario mul-
tiplicique flore diſtincta nitebit. Agri vernæ viriditatis amœ-
nitate fructus proferunt vberes ac præſtantes, Academia Rhe-
torum,

torum, tanti Principis illustrata splendore fœtus feret egregios & præcellentes. Agri denique nitere visi sunt & splendore veris ineuntis iucunditate, Academia Rhetorum aucta magnis suorum ornamentorum incrementis plus lucis & splendoris diffundet in omnes officinas litterarias. Quæ exercitationes in posterum? quæ carmina? quæ orationes omnibus Rhetoricæ floseulis sparsæ, & clarissimis dicendi luminibus illustratæ? & quod caput est, qui mores nostrorum militum? quæ virtutum actiones? quæ laus virtutis? quod studium honestatis accensum & inflammatum, quod remitti posse nunquam videatur, augeatur autem, & crescat in singulos dies magis ac magis? Vere ipso virere omnia videntur, & aspectu suo recreare mortalium oculos, & sensus omnes & animum incredibili voluptate reficere; sed quam multi sunt dies, cùm has amœnitates homines percipere nequeunt propter aquas, quas existere necessarium est hisce mensibus, vt plantæ, fruges que crescant, & alantur? quàm multi sunt dies, vere etiam tempore, aeris asperitate non procul ab hyemali abhorrentes? non parum infesti? quoties etiam Sol non oritur nitidus & illustris, abscessuque suo contrahuntur & mœrent omnia? Quoties denique aeris aduersi flatu marcescunt, quæ virebant & florebant iucundissimè? At dies iste faustus atque fœlix aduentu tuo certissimam ostendere visus est spem Academiæ capitis tollendi magis in posterum, & nullius, neque desidiæ, neque reliquorum rei litterariæ tete rimorum hostium incursiones metuendi, vt semper florentem, semper fortunatam, & nouis incrementis auctam & amplificatam academiam aspiciamus. Nam si nobilitas generis quæritur; quis te nobilior, cum tot Principibus Hispaniæ clarissimis sanguinis communione coniunctus orneris? si dignitas desideratur; in eo es gradu celsissimo collocatus, quem Marchionibus & Ducibus præcellentissimis proximum aspicimus. si denique auctoritas valet plurimum; quantam tui generis claritate, dignitate honoris illustri, rerum præclare gestarum, virtutumque maximarum cumulo consequutus es auctoritatem? Testes sunt tot scholasticorum ordines ad litteras & ad virtutem colendam aduentus tui liberalitate concitati. Testis animorum voluntas, & incredibilis propensio, qui iam iam se erigere vellent omnes, atque si mos & tempora tulissent, si fieri etiam posset, nouæ dignitatis acceptæ beneficium solutis & ligatis orationibus posteritati com-

mendarent. Testes denique parietes ipsi, qui gestire videntur, & nouam faciem, & hilaritatem magnitudine beneficij præ se ferre iucundissimam, qui quomodo possunt, tibi gratias agere gestiunt. Atque ego nomine cunctorum totius academiæ, & nostræ præcipuè societatis agens tibi gratias immortales, memoriam accepti beneficij iucundam & gloriosam polliceri non desinam in omnium deinceps sæculorum posteritatem sempiternam.

Oratio secunda in alterius clarissimi viri aduentu.

LIberalitatis eximiæ, illustrissime vir, qua se tantopere fortunatam videt academia nostra, magnitudinis ostendendæ necessitatem nobis hodierna dies attulerat, eademque de tuis maximis, & immortalibus in litteratos homines meritis materiam vsitato magistrorum Rhetoricæ more dicendi, subministrat, sed obstat temporis breuitas propter inopinatum tuum in hanc litterarum officinam aduentum, vt quantum magnitudo beneficij singularis, nobis cupientibus & gaudentibus alacritatis afferat, tantum facultatis inscientibus & imparatis magnæ, quibus vrgemur, vt vix cogitandi spiritum habuerimus, angustiæ detrahant. Cùm conuiuium aliquod instruitur, & ornatur, illud apparatissimum debet esse, & exquisitissimis cibis constructum, omni multitudine varietateque concelebratum escarũ, quas dignitas & amplitudo conuiuarum postulant. Multos id ante dies Principes huiusce sæculi pro diuitijs & opibus suis maximis comparant, & in palatijs amplissimis aulæorum vestitu pretiosissimo splendentibus, lectis magnificentissimè stratis, mirifico mapparum candore nitentibus: abaci complures auro & argento collucent ornati: si tempus tulerit, floribus ac rosis mensæ sparguntur, vel si concelebrantur ab amœnitatibus verus alicuissimo tempore, succenduntur odores suauissimi. Cum hora venit discumbendi, conuiuæ discumbunt ordine mirabili, fercula inferuntur varia, multipliciaque, & expeditis & ministratis cibis noui semper recentioresque succedunt, & omnes cum exquisitissimi, & acerrima accuratione conditi, tũ munditia & elegantia Aulicorum ritibus & cæremonijs planè Regijs, vt nihil ad ornatum & magnificentiam Regiam defuisse videatur. Horũ quid simile nos facere possumus in tanta nobis

ad dicen-

ad dicendum breuitate concisa, qui sic Principum ingressum in gymnasium, quemadmodum ratio postulat, excipere deberemus? multos equidem ante dies eloquentiæ conuiuium comparatum oportebat esse, quod ornatum splendidè ac magnificè, tantus & tam præpotens Princeps in tam alto dignitatis gradu, honoris causa lætus & hilaris iniret, in quo ornatus cum copia de te concelebrando contenderet, & omnes flosculi spargerentur artis Oratoriæ, luminibusq; verborum & sententiarũ distincta niteret & splenderet oratio; alijs ferculis alia succederent apparatissima lautissimaque, quibus non modò gustatum expleremus auditorum, sed pasceremus sensus omnes multitudine, varietateque iucundissima; denique conuiuium fieret nobilitate generis clarissimi, fumosis maiorum tuorum imaginibus instructum, & apparatum, quas corporis hæc præstans & excellens dignitas, & tanto cum lepore consentiens membrorum ex omni parte confirmatio consequeretur. His accederet diuitiarum affluentia & status dignitatis amplissimus, concelebrareturque magis hoc conuiuium rebus tuis præclarè gestis, virtutibus maximis, & monumentis pietatis, & fortitudinis exstantibus ad nominis tui gloriam immortalem. Cum verò ad tantam benignitatis magnitudinem, ad collati beneficij præstantiam & dignitatem accederemus, atque illæ gratiæ iustæ ac debitæ pro muneris præsentis magnitudine agerentur, quid esset, quod ad magnificentiam desideraretur ac splendorem conuiuij? Vides quam in augustum omnia sint adducta, contractaque repentino tantæ dignitatis aspectu: quàm exiguæ sint opes facultatesque ad instituendum parandumque conuiuium tuis meritis & amplitudine dignum. Quòd si per tempus liceret, illud Rhetoricæ solita niteret & splenderet elegantia munditiaque; conuiuium cibis exquisitis & apparatis admodum haberetur; oratio tuis ornata instructaque virtutibus, ac conuiuium numero diuersitateque escarum concelebraretur: oratio multitudine varietateque tuarum virtutum ornaretur. Accenduntur in conuiuijs odores suauissimi & vbique fragrant spirantes suauitatem suam mirificam: qui motus fierent in auditorum animis tantorum ornamentorum spectata magnitudine? succedunt alij alijs, noui recentesque cibi in conuiuijs: diuersitate luminum clarissimorum splenderet magis ac magis processus orationis mirabilis & exquisitus. Certat in conuiuijs abundantia cum magnificentia, magnitudo cum varietate, apparatus cum splendore, copia cum ornatu sen-

tu: sententiæ cum verborum nitore, laudes aliæ atque aliæ cùm diuersis ornamentis & laudibus suis decertarent in oratione. Administri afferunt sæpè decus conuiuijs & splendorem: quot & quanta tuis laudibus Rhetorum studia sese offerent acerrima semper de te te commendando contentione decertantium? qui plausus, quæ postremò cunctorum auditorum acclamatio? Semper Principum in hoc gymnasium ingredientium nomen celebratum fuit, & ornatum omni laude: tui quoque similium & tuo splendore florentium & dignitate decoratorum, esset laudibus honorificis sublatum in cœlum. Quòd quidem in tantas angustias quemadmodum facere debebamus, hodierno die facere prohibemur, erit dies aliqua clarior, & illa illucesceret aliquando ad tui mentionem faciendam illustrior diuini muneris beneficio præstitura, cùm concelebrabimus magnificè splendideque conuiuium aliquod tuis ornamentis instructum immortali memoria dignissimum. Interim tu, Comes clarissime, gaude tanti beneficij in hanc Rempublicã litterarium collati bono & quam epularum magnificentiam ostentare non potuimus, gratorum animorum voluntate compensabimus: & te tuasque præstantes virtutes, præsentis diei memoriam, prima quaque temporis opportunitate celebraturos nos esse speramus. Quòd, vt dicimus, tibi pollicemur, & eorum, qui præsentes sunt nomine, tanti beneficij magnitudine constricti deferimus.

Amplificatio ex Descriptione ad Similitudinis modum tractata.

Incidit etiam Descriptio in similitudinem, ad cuius rationem tractatur, præposita Descriptione, quæ opponitur, & exemplis illustratur. Multa huiusce generis afferentur exempla ex Christi Iesu vitæ præcipuis mysteriis, vt cum Rhetoricæ exercitatione pietatem & religionem Christiani Rhetores imbibant.

Ablutio

Ablutio pedum.

COmplectere quæso animo Assertorem generis humani, suis vestibus exutum, linteo præcinctum albenti, infundentem aquam in peluim, agitantem & inouentem eam suis manibus sanctissimis, & in genua procumbentem, abiectum ad discipulorum pedes, sumentem in manus eosdem pedes singulorum, & abluentem, & extergentem illos linteo. Mirari discipuli, mirari præcipuè Petrus magnitudinem tantæ demissionis, contrahere humeros, continere pedes, negare denique constanter manu Præceptoris abluendos, donec ab Assertore Iesu verbum audiuit, plenissimum terroris ac minarum, futurum scilicet, vt nihil secum Petro futurum esset, non illum in sua futurum esse societate, non illum diuinas præcepturum esse voluptates, si præceptori morem gerere recusaret, nisi domini dicto hac in re protinus audiens esset. Cùm Christum Iesum pedes abluentem singulorum discipulorum contemplatus fueris, non omissum Iudam aspicies, & plus fortasse temporis contemplabere impertientem Iesum discipulo teterrimo, & oculos sæpè tollentem in Iudam, si flectere posset & mollire durum & ferreum discipuli proditionem molientis animum, tantæ mansuetudinis & demissionis facto præstantissimo. Quod demissionis exemplum ex præceptore tanto petere poterimus? quod animi mansueti signum? quæ documenta pietatis & lenitatis infinitæ? quibus ille discipulos suos, præceptores virtutum cunctarum futuros, & magistros absolutæ sanctitatis instructos & ornatos relinquere voluit in cruciatuum suorum pelagus immensum & infinitum ingressurus. Crudelis Iudas & impius, qui tantæ mansuetudinis exemplo leniri non vult, & ad pietatem & cultum suo præceptori debita Religione præstandum reuocari. En iacet ad pedes sceleratissimi Iudæ Christus Iesus incredibili lenitate mansuetudineque; Iudas ferreo ac duro animo perstat in cogitatione proditionis execrandæ: Christus lenire vult cor Iudæ nefarij dirum ac planè ferinum; Iudas magis obdurescit tygride ditior & immanior: Iesus mitissimus ac lenissimus appellare Iudam, deposcere pedes abluendos cernitur; Iudas nihil verborum faciens confirmare se ipsum ad proditionem, facinoris immanitatem, & simulationis inuolucris velle tegere: Christus Iesus tollit oculos in

los in Iudam benignitatis & pietatis pleniſſimos; Iudas Chriſti illis oculis aſpicere perſtat, quibus ſolent ſceleratí, cum aliquid ſceleris ſecum taciti moliuntur: Chriſtus immoratus de induſtria pergit magis ac magis pedes abluere, ſi poſſit à proditionis ſcelere Iudæ cogitationem auertere; Iudas nihil magis cogitare viſus eſt, quam poſt factum Chriſti Ieſu pulcherrimum properare ſtatim ad principes ſacerdotum prodendi, vendendiq́ue ſui præceptoris cauſa: Chriſtus ſecum tacitè cogitare non deſinit, quibus officijs, qua manſuetudinis teſtificatione mentem Iudæ deprauatam flecteret ad pietatem; Iudas nullam aliam cogitationem ſuſcipere viſus eſt, niſi de proditione, niſi de pretio, niſi de Præceptore prodendo tradendoq́ue nequiter. Quid agat Petrus? videt Iudas, quòd cæteri Comites intuentur: videt ac notat admirationes Petri, audit Petri ſermones cum Chriſto Ieſu viciſſim collatos, & illam tandem morigeram, & Chriſto Ieſu mancipatam omnino Petri voluntatem. Diſcipulus demiſſo vultu, collacrymantibus oculis, vix ſui compos videbatur præ admiratione, præ ſtupore maximo. Cum ad ſuos pedes iacentem Chriſtum Ieſum aſpiceret Petrus, quid putaris illorum verborum facturum eſſe? Tu (Petrus inquit) tu meos Chriſte Ieſu mitiſſime lauas pedes? nonne tu Filius Patris Æterni? pulchritudo cœleſtis aulæ? non ſummus opifex & architectus cœlorum? non paradiſus diuinarum mentium? non effigies & ſplendor æterni Patris? non fons perennis & inexhauſtus diuinæ ſapientiæ? Tu Deus infinitæ maieſtatis, & gloriæ ſempiternæ facies huiuſmodi officium adeò tantæ celſitatis magnitudine indignum? tu qui terram hanc ſua formatam ac ſtabilitã grauitate, tanta pulchritudine terrarum & varietate diſtinxiſti, qui fabricam & molem tantæ vniuerſitatis elegantiſſimam manus diuinæ robore conſtrictam compreſſamq́ue tenes: qui efficis cœlorum conuerſiones, moderaris terram, coercesmaria, fuiſque contines finibus, temporum viciſſitudinem partiris, cœtus diuinorum ſpirituum gloria cœleſti cumulas, ducis, diuigis & gubernas homines, & rerum omnium, quæ infra ſupraque Lunam ſunt, multitudinem infinitam regis & adminiſtras, meos ſumes pedes abluendos? tu mihi, mihi tu lauabis pedes? tuis inquam manibus diuini atq; cœleſtibus? mihi quam homuncioni, mortali conditione nato, ex limo & argilla facto, puluere ac cinere, tot miſerijs & ærumnis oppreſſo & quod deterius eſt, tantis peccatorum ſordibus inquinato? tu,

tu Chri-

tu Christe Iesu, summe præpotensque Domine? mihi infimo contemptissimoque seruo, tu celsissimus Rex? celsitas tuæ maiestatis infinitæ, & humilitas & indignitas mea, maculæ ac sordes meæ cogunt me & compellunt ne patiar, ne feram: non patiar, non feram, non sinam. Omitte igitur hoc facere: mitte seruorum proprium & commune ministerium. Omitte tam humile tamque contemptum officium. Vide Præceptor sanctissime, ne cœlum ipsum, ne naturam rerum vniuersam, ne filiam denique Sion non pudeat te ipsum ad hominum infimorum pedes abiectum & prostratum aspicere. Cum cœlum tuæ ditioni, potestatique subiectum, & in tuas ab Æterno Patre manus traditum, infra terram sepositum conqueratur, manus tuas cœlestes atque diuinas infra piscatorum pedes positas aspiciens; cùm moles hæc & vniuersitatis admiranda fabrica quoscunque præter tuos sanctissimos cœlestesque pedes fugiat; cùm ipsa filia Sionis te videns & intuens linteo præcinctum istiusmodi repudiet, & abdicet sponsum, neque te velit eadem Deum suum & ducem immortalem. Hæc Petrus: qui quanquam ignarus mysterij, quod in tanto demissionis facto lateret abditum, tamen qui præ admiratione submissionis aspectæ vix animum ad facti pulcherrimi præstantiam cogitandam instituere potuisset. Omnes diuini spiritus de suis celsissimis sedibus spectaculum tantæ demissionis admirarentur, & obstupescerent sanè, cùm opificem & Architectum cœli ad Apostolorum pedes prouolutum intuerentur. Quem hominum natura, nostræ conditionis contemptissimo crassissimoque e vestitu amictum mirandum in modum admirati fuerunt suorum celebritate Natalitiorum, non hominis hunc, sed serui, neque serui tantum, sed contemptissimi mancipij officio fungentem magis obstupescerent. Vos ipsi iudicate, & ex persona Regis alicuius terræque potentissimi Principis Iudicium facite, quem cum imitatorem Christi Iesu, & inopum abluentem pedes detracto diademate, Regijsque insignibus depositis, astantibus Imperij sui magnatibus, & vsitatis aulicorum cæremonijs ministrantibus aspiceretis, præ admiratione lacrymas continere non possetis: Et quisquam erit tam inhumana, tam insolenti, tam intoleranda superbia præditus, qui sese non demittat tam admirandi facti virtute perspecta? Quisquam erit, qui se audeat efferre deinceps & spiritus Luciferi ostentare superbissimos? Qui verbis, qui factis, qui cogitatione non fugiat elationem &

iactationem superborum insolentem? ideone Christus Iesus se comparat ad cruciatus pro genere mortalium subeundos demissionis virtute clarissima, vt nos animis & cogitationibus turres inanissimæ iactationis architectemur? Ideone Iesus se prosternit ad Apostolorum pedes, vt nos efferamus animos, & extollamus per superbiam & insolentiam maximam? Ideone Iesus abluit pedes discipulorum, vt nos obruti rerum humanarum strepitu, tumultuque superbissimo, appetamus honores & dignitates sæculi huiusce peritur.s? Ideone Christus Iesus iecit fundamenta passionis suæ facto demissionis pulcherrimo, vt nos cognitiones inanis gloriæ suscipientes ad diuinæ pietat.s & virtutis præcelsa fastigia necessarios aditus & ianuam præcludamus? Ideone Christus Iesus personam humilem & contemptam, non seruorum solum, sed mancipiorum suscepit, vt nos opulentissimorum hominum, dominatu potentissimo præcellentium statum & amplitudinem appetamus? Ideone ad infimorum hominum pedes Christus Iesus se abiecit, vt nos præferri generi cuicunque mortalium exoptemus, infimos autem & humili fortuna præditos contemnamus & pedibus iterum atque iterum proteramus? ideone denique Iesus Iudæ nequissimi pedes abluet, & exte genuos linteo sumet in manus, vt nos superbè & insolenter elati nostris inimicis insultemus, & illorum vitam & sanguinem sitiamus in Imperij præsertim aliqua magna potestate constituti? A semel, & vno superbiæ genere peccamus? non ita quidem, non ita facimus. Cogitamus animis nostris nouos quotidie modos, & rationes efferendi nominis, & posterorum immortalitati sempiternæ commendandi artes & inuenta noua: nostris ingenijs comparatæ fraudes prodeunt in publicum cum pernicie Reipub. maxima, & apud Regem gratia & auctoritate illorum existimationem imminuere, vt primum in aula Regia gradum obtineamus, sæpè ac sæpius solemus. Nonne iactamus nobilitatem generis? non ementimur sæpè clarissimarum, & nobilissimarum familiarum stirpem? nonne fastidio & arrogantia minimè ferenda Regum iam more potentissimorum, & ceremonijs adiri visi fuimus Principum saltem clarissimorum? nonne spectante populo per vias, per plateas, per loca celebriora, quacunque contendimus, inanes efflamus ventos, & Regiæ quasi maiestatis speciem & iactationem superbissimam ostendamus? O summam Christi demissionem! O factum omni laude prædicandum! vnde gradus est

factus

factus, & aditus illustris ad reliquos cruciatus acerbissimos, quos pro genere mortalium tantus iste Dominus fortiter & libenter perpessurus erat. Per demissionem tanti Domini maximam, per lenitatem, & mansuetudinem summam, per exemplar admirandum non discipulis solum, sed Christianæ Religionis cultoribus propositum in perpetuum res præclaras in posterum agamus, & actiones virtutis suscipiamus, à demissione semper præclara primordia capientes.

Oratio Domini in horto, ex eisdem locis.

QVid agis, amice mi? quid cogitas? non hoc profectò tempus capiundi somni; veni mecum & contende in hortum Gethsemani, & auribus & oculis perspicies occulta prorsus & recondita cœlestis aulæ mysteria. Cernes mœrere lætitiam, tremere fortitudinem, deficere virtutem, occumbere maiestatem, contrahi magnitudinem, obscurari gloriam diuinam. Christus enim Iesus cœna cum discipulis concelebrata, in oliuarum montem iuit oratum Patrem Æternum, antequam suæ passionis certamen & prælium grauissimum iniret, Petro, Ioanne Iacoboque tribus duntaxat carioribus discipulis comitatus: quo cum peruenisset, non multo interuallo à discipulis disiunctus in genua procumbit, & tensis manibus, sublatis oculis in cœlum, magna vi & contentione preces æterno Patri adhibet, & à tanti numinis maiestate precatur, vt calicem cruciatuum & suppliciorum omnium, quem pro genere hominum in pristinam dignitatem vindicando hausturus erat, si collibitum sibi fuerit, à Filio pius & benignus auertat. Id temporis Assertor generis humani tremere toto corpore, sudare plurimum, & sanguine manare à vertice ad pedes vsque. Adesse protinus Angelus; erigere Christum Iesum ad prælium ineundum, & ad Calicis acerbitatem hauriendam confirmare. Non recusare Christus Iesus, gerere morem æterno Patri, & ab illo discedere deinde loco, erecto prorsus & confirmato animo, & ipsis occurrere satellitibus accelerantibus & festinantibus ad agnum comprehendendum. Sed ante comprehensionem, & à satellitibus iniectas manus assertori Iesu, animis cernite Christum Iesum orantem & precantem vehementer, & illos tres carissimos Comites & socios, quos potissimum ad gloriam diuinæ maiestatis aspiciendam in vertice ac summo iugo montis Thabor de-

legerat, nunc dormientes, & somno grauissimo consopitos. Quid istud, auditores, somni, tantam vim & contentionem adhibente præceptore Iesu? Consederunt in mente Christi Iesu cruciatus acerbissimi, quos pro libertate generis humani recuperanda toleraturus erat, & hominum infinita millia, qui tantorum supplicionum fructus nullos capturi essent, sed per summum scelus atque perfidiam partim oblituri, partim abiecturi cæci & amentes in suum exitium, & perniciem voluntariam ruentes. En Christus discedit ad precandum Patrem Æternum; tu quo mentem & animum effrenatæ libidines præcipitem agunt, nefarius ac furens excedis: Christus sola cogitatione suorum cruciatuum sanguinis vim & copiam maximam profundit; tu sceleribus tuis & flagitijs de tradendo Assertore Iesu in satellitum irruentium manus cogitas & agis: Christus voluntatem explere Patris Æterni tanto sui ipsius exitio non recusat dæmonis ab animo tuo propulsandi causa; tu dæmoni nequissimo nefarijsque inferorum legionibus te totum addicis, & in seruitutem perpetuam vinciendum constringendumque tradis; Christus Iesus hac precatione magnitudinem multitudinemque suorum cruciatuum & tuorum immensitatem grauitatemque flagitiorum, ad mentem à sceleribus reuocandam in memoriam tuam vult reducere; tu cruciatus non modo obliuiscris grauissimos & acerbissimos assertoris tui, verum etiam Domini benignitate & cruciatibus tantis ad scelera sceleribus & flagitia flagitijs cumulanda turpiter ac nefariè abuteris: Christus Iesus vt teipsum à somno peccatorum excitet, iterum ac tertio discipulos excitatum iuit; tu grauissimo flagitiorum somno vehementer oppressus tot annos teter ac nefarius à furore & mentis insania non resipisces aliquando? Christus post preces adhibitas & perspectam Patris Æterni voluntatem occurrit & obuiam procedit Iudæorum iamiam ad comprehendendum accelerantium inciatæ multitudini; tu neque mentem excitabis ad motus vehementes & sensus internos animi perspiciendos, quibus mitissimus Agnus mentem afficit, ac percellit, vt viam flagitiorum omittas, & veniam suppliciter ac demissè postules? Scilicet generatim Christo Iesu obuersata fuit multitudo magnitudoque flagitiosorum generis humani; non id temporis tui ipsius tantæ maiestati venit in mentem? non occurrerunt priuatim tuæ libidines? non effrænatæ cupiditates? non iracundia? non vlciscendi libido? speciatim omnia tua scelera ac peccata in

Christi

Christi Iesu animo versata fuerunt, insederunt in mente cuiuscunque hominis priuati crimina & facinora sigillatim. Neque hæc reprehendendi causa dico, non oratorio more loquor, consentiunt vna mente Doctores omnes Theologi, neque dubitandi cuiquam locum relinquit publicis litteris consignata hac de re communi cunctorum auctoritate confirmata sententia. Quòd si tua peccator flagitia Iesum in tantas angustias adduxerunt, si memoria solùm & recordatione sanguinem expresserunt, cur obliuiscéris maximorum in te Christi Iesu meritorum? Cur augebis & accumulabis peccata quotidie grauiora? cur magnitudinem & grauitatem criminum tuorum, dolorem & acerbitatem suppliciorum, quæ pro tua libertate Christus patienter pertulit, non animaduertes? Cur non statues modum tuis sceleribus & flagitijs effrænatis? An expectas iram diuini numinis & iustitiam tantæ maiestatis, quæ districto gladio mucronem in viscera infigat acerrimum, & detrudat præcipitem in inferorum sedes obscurissimas? O diuinam Christi Iesu bonitatem! O mansuetudinem infinitam! O pietatem omni laude, & prædicatione decorandam! Primum Pater Æternus ad misericordiam te inuitat peccator, qui tui tantam & tam insignem memoriam habuit, vt deprecantem Filium suppliciorum acerbitatem fluctibus obiecerit cruciatuum acerbissimorum, & cœlestem spiritum, eiusdem Domini confirmandi causa de cœlorum sedibus miserit. Ipse etiam cœlestis Paranymphus cum calice in Assertoris Iesu conspectum veniens, & æterni Patris mandata deferens vinculis acerrimis animum astringit tuum, & denuò obligat & deuincit obsidibus amoris diuini datis ad relictum virtutis iter omni studio contentioneque repetendum. Quid dicam de Assertore Iesu, quem vides magno nunc & confirmato animo obuiam procedere festinanti sudæorum furiæ, vt se vinciendum constringendumque dedat pro veteri tua dignitate recuperanda? Quid agis? quid expectas? an verò tam liberalissimus fuerit Christus Iesus ad se tradendum in hostium teterrimorum manus, tu promptus & paratus non eris ad iugum perennis hominum inimici, dæmonis crudelissimi deiiciendum? Per preces Assertoris Iesu æterno Patri adhibitas, per humilem atque supplicem tanti Domini obsecrationem, per victimam corporis & capitis sui sanctissimi Patri æterno liberalissimè deuotam consecratamque, per sanguinem pro totius humani generis peccatorum memoria recordatione ue

vniuersè

vniuersè & speciatim expressum, per sudorem, per guttas sanguinis à capite in pedes vsque, profluentis, relinque peccator viam scelerum & flagitiorum tuorum, obliuiscere diuitiarum, & honorum huiusce sæculi, recordare iniuriam ac supplicio rum Christi Iesu grauissimorum: luge tuorum scelerum prauitatem ac nequitiam quamcunque, si vis particeps esse Christi Iesu meritorum in genus humanum maximorum.

Comprehensio Domini, ex eisdem locis.

MAgna vis est orationis, multum valet obsecratio supplex ad reportandum id quod postulaueris, cultor Christianæ Religionis. Cerne Christum Iesum ex horto Gethsemani descendentem magno satis & confirmato animo, accelerantem ad cruciatus acerbissimos, & procedentem obuiam satellitibus, & ipsi Iudæ iam præeunti, cohortemque satellitum & administrorum crudelitatis nefariorum incitantem & inflammantem facibus verborum flagrantibus, dantemque signum eisdem ad internoscendum præceptorem, vinciendumque acerrimè. Cùm in illorum conspectum Christus Iesus venisset, quàm erecto excelsoque statim animo incipit amici nomine Iudam appellare, & satellites causam aduentus sui rogare? Quanta vis diuini verbi, qui vno verbo solùm facto multitudinem satellitum armatorum horrendo crepitu ac fragore prostrauit resupinos in terram? Iacent miseri, porrectis cruribus, & resupini omnes vasta illa suorum mole membrorum omnium, nequeunt commouere sese tergis in terram adhærentibus, & quasi defixis, tantum abest, vt habeant facultatem liberam solutamque surgendi, quoad facta potestate per Christum Iesum nefarij homines surgere potuerunt. Quo statim cæci & amentes à fronte, à tergo, à lateribus odoriri mitissimum Agnum quàm tumultuosissimè audent, comprehẽdere Dominum ex omni parte, acerrimè funem collo, vincula manibus sanctissimis iniicere, & impellendo, propellendoq; vehementer, & ictus infligendo grauissimos, verbis & modis omnibus iniquissimis tractando, incitato gradu, celeritate præcipiti, dissonis & horrẽdis clamoribus per vias publicas deferebant, tanquam pernicio sum & tur-

& turbulentum hominem, perturbatorrm populorum, occisorem hominum. Excitari visus fuit Populus id temporis, multitudo effundere sese, viri & mulieres de fenestris, de locis omnibus spectare, commendare plurimi non desistebant Iesum, sanctitatem ponere extra culpam omnem, conferro causam comprehensionis in Principum & Phariſæorum inuidiam. Ita sudantem & anhelantem Iesum, inflammato vultu, sine modo, sine ratione tractantes ad Iudicum & Pontificum ædes rapida, incitataque celeritate deferunt. Christus verò Iesus inter tantam vim & multitudinem iniuriarum, nullum verbum facere visus est, sed auctoritatem illam cœlestem atque diuinam nulla nec minima mutatione vultus, nec impatientiæ vel minima significatione data seruare. Quid istud conuersionis ac repentinæ mutationis, vt Innocentem comprehendant nocentes, lupi crudelissimi mitissimum Agnum, improbi, ac scelerati, virtutem ipsam, & sanctitatem, serui Dominum & præpotentem terræ, cælique dominatorem? Quem paucis ante diebus tantis honoribus extulerunt, nunc omnibus dedecoris & ignominiæ maculis afficiunt: quem Regem festa, secundaque acclamatione appellauerant, modò tanquam latronem grassatoremque viarum, ex cæde & ex sanguine viuentem horrificis clamoribus ad indices & Præsides deferant: quem ingredientem in vrbem & equitantem palmarum honore virentium in triumphantis modum atque similitudinem exceperunt, modò vinculis constrictum, & indignissimis tractatum modis occidendum curant: quem vestibus ramisque stratis viis omnibus, filium Dauidis appellantes exceperunt, modò armorum strepitu ac tumultu nefariorum nominibus & iniurijs decorantes de medio tollendum crucifigendumque tradunt: quem denique Regem creare voluerunt, & tanto cum plausu & acclamatione suum Vindicem & Assertorem appellarunt, modò turpi cum probro ac dedecore, omni crudelitate, diritateque, neque dignum lucis istius vsura putant atque proclamant. Quæ est ista tam impudens, tam immoderata, tamque inhumana crudelitas, vt contra leges omnes, contra ius hominum ac diuinum, contra naturam ipsam, nulla causa, nullis testibus, per summum duntaxat scelus & inuidiam Christum Iesum comprehendatis, comprehensum tam iniquis modis omni acerbitate crudelitateque tractetis? vt scelerati, nefariique homines, quem paucis ante diebus, tot miracula publicè edentem, morbos lethales, cœlesti

virtu-

virtute sanantem, atque mortuos excitantem vidistis, hoc tempore vinculis omnibus deuinctum constrictumque deferatis in Iudicium? Illudne corpus tanta conformatione lineamentorum mirificè compositum fune constringetis? illasne manus quibus tot & tanta in vestrum genus, & gentem Iudæorum vniuersam beneficia collata sunt, vinculis comprimetis? illam tantam auctoritatem & maiestatem cœlestem ac diuinam, tanta ignominia & dedecore turpiter afficietis? Illud os, illam faciem diuinitatis splendore fulgentem, colaphis vestris deformabitis atque adeò in caput, in capillos, in barbam sanctissimam inuolabitis? Quam causam affertis vestræ prauitatis, vestræ iniquitiæ, vestræ crudelitatis? At Iudas discipulus istius Domini eum in vestras sacrilegas & furentes manus tradidit? quid deinde? An continuò vos inuadetis in innocentem, si per summam perfidiam nequam ille Iudas suum præceptorem prodiderit? quam ille causam attulit proditionis? nullam equidem: sed pretio vobiscum egit, conuenit etiam, & tandem triginta numm is addictum suum præceptorem pacis simulatione tradidit. Nihil nunc dico de pretio, nihil de proditione nefaria: luet ille, & luet quidem suæ proditionis pœnas in ferorum supplicijs sempiternis. Ex vobis scelerat issimi Iudæi percontor, quæ est ista tanta, tam ferina crudelitas, vt quem Assertorem generis humani expectabatis, quem habuistis dono ac munere diuino Messiam datum, quem diuinis ac cælestibus miraculis florentem aspexistis, quem Regem denique propter suam summam virtutem & sanctimoniam lætantes & exultantes excepistis, nunc tanquam nequam & hominem omnibus sceleribus coopertum tractetis, & ad supplicium & ad cædem comprehendatis? nihil ne vos vita illius sanctissima, nihil miracula toties edita, nihil beneficia collata, nihil illius integritas innocentiaque, nihil tot virtutum maximarum spectacula commouere potuerunt? At si hæc obliti fuistis, cernite præsentia miracula tam præclara, tam eximia diuinæ virtutis magnitudine palam vobis inspectantibus edita. Cernite mansuetudinem illam diuinam, qua venientem ad se & accedentem Iudam detestrimum, & osculi simulatione prodentem præceptorem suum amici nomine compellauit. Hæc si non animaduertere volueritis, si tantæ mansuetudinis rationem habere nolueritis, quæ in vestris oculis, in vestro conspectu edita fuerunt miracula recognoscite. Nonne vos vno verbo,

vno

vno verbo facto duntaxat prostrauit resupinos in terram? non admisit diuinæ? Vsque eò autem iacuistis, quoad ille surgendi fecit vobis omnibus potestatem. Accedit etiam illud, quod vos etiam vidistis, quod Malchus testatur, cui abscissam aurem gladio Christus ipse Iesus sua cælesti virtute restituit. Non hæc commouere vos debuissent, si superiora, quæ commemorauimus apud vos non valuerunt? O crudelitatem immanem! ô furorem & amentiam incredibilem! O belluas omni diritate teteriores! Quia à Deo derelicti sunt, quid non sceleris & flagitij suscipient? quo non cæci & amentes in suum exitium & perniciem vltimam irruent? surgitis & omni furore & amentia præcipites in Agnum inuaditis, quo prædixi modo, qua crudelitate in mansuetissimum Dominum inuasistis? Si virum aliquem honoratum & splendidum, auctoritate magna præditum, multis egregijs virtutibus præstantem, notum omnibus propter illius in Rempubl. egregia merita comprehensum à satellitibus, per vias publicas, fune de collo deiecto & vinctis à tergo manibus, multitudinis concursu, strepitu ac tumultu maximo, armorum crepitu ac fragore terrifico, militum armatorum clamoribus horrificis, vexatum, iactatum, & omnibus iniurijs affectum deferri viderent homines, quo sensu precor afficerentur omnes? quo dolore conflictarentur in tanto, tam horribili, miserandoque spectaculo? Tollite statim mentis oculos, Auditores, in Christum Iesum, & animis complectimini Dominum cœlesti maiestate præditum, qui tot & tam admiranda paucos dies ante, & per omnem vitæ suæ cursum in vrbe Solymorum ediderat miracula; ad quem omnes varijs morborum generibus conflictati adibant; quem precabantur & obsecrabant suppliciter; quem omne genus hominum venerabatur, & in suis miserijs & ærumnis diuinum huiusce Domini numen deposcebant. Intuemini modo raptim ac turbulenter à belluis immanissimis per vias publicas, & loca celebriora deferri, dedecore multo, & ignominia magna, incitato gradu, non illo, quem auctoritas, & maiestas tanti Domini postulabat, sed ad satellitum libidinem, & furiis illis ac pestibus humani generis incitantibus & accelerantibus magis ac magis rapidum

ac

ac præcipitem gradum, vt rabiem & sitim principum ac Pharisæorum insatiabilem explerent, qui prædam sitientes appetebant & Creatoris nostri sanguinem ardentes sitiebant. Intuemini Dominum hunc procedentem ac progredientem ad satellitum libidinem nefariorum, derelictum iam à discipulis, carnificum improbissimorum multitudine stipatum, citato gradu, ducto frequenter anhelitu, colore mutato, & ore iam rubenti ex omni parte, incitata celeritate progrediendi, & in tantis iniurijs, in tantis probris & contumelijs tantam in ore modestiam, tantam in oculis grauitatem, & illam diuinam faciem, illum splendorem cœlestem in medijs alijs fluctibus ac procellis, diuina semper claritate fulgentem. Deinde altius ascendite, & in mentibus complectemini huiusce Domini dignitatem, verbum scilicet Patris æterni, sapientiam Dei sempiternam, virtutem infinitam, bonitatem summam, gloriam Beatorum, decus immortale cælorum, speculum pulchritudinis. Considerate etiam homines, nostri generis causa virtutem astringi, comprehendi innocentiam, deludi sapientiam, honorem vituperari, cruciari gloriam, & deformari modis indignissimis splendorem pulchritudinis eximiæ. Cùm Heli audiuisset captam arcam Domini, & in hostiles manus venisse, magnitudine doloris oppressus repentè mortuus fracta ceruice cecidit. Cùm Dauid templum Domini captum & direptum videret ab hostibus omni auro diuitijsque suis spoliatum, & ab inimicorum teterrima gente pollutum, quem dolorem Regem hunc accepisse quamque magnum existimabimus? Nos arcam veram & diuitijs omnibus refertam, & thesauris abundantem cælestibus captam, & à belluis immanissimis crudeliter tractatam cum aspexerimus, quem dolorem accipiemus? quas lacrymas effundemus, spectaculi præsentis recordatione luctuosi? Obsecro Pater Æterne non simus ex illorum numero, qui vincula diuinis Filij tui manibus, nostris sceleribus ac flagitijs iniiciamus, per mansuetudinem tuam, per funem collo iniectum cœlesti, per manus vinculis acerrime constrictas, per comprehensionem, per iniurias nostræ libertatis & dignitatis recuperandæ causa cælesti virtute toleratas, nos à scelerum, & flagitiorum prauitate liberos fac & solutos.

Virgæ

Virgæ Christi Iesu, ex eisdem locis.

INgredere mecum homo in Pilati Præsidis palatium, & defer tecum comparatas etiam lachrymas. Quis enim illas tenere possit, cum videat Christum Iesum nudatum & spoliatum vestibus, alligatum ad columnam marmoream, acerrimis constrictum vinculis, & à dextra, & à sinistra valentissimos carnifices, qui virgis pulsant, & cædunt crudelissimè Christum Iesum horrendo crepitu & fragore maximo, quanta vi possunt & contentione brachiorum? Primum videbimus deformari terga Christi Iesu mansuetissimi vibicibus, deinde disrumpi cutem & auelli à tergo, prorumpere postea sanguinem & flumine multo profluere in terram vsque, discerpi, dilaniarique carnes, plagas plagis, vulnera vulneribus cumulari & adaugeri, vt iamiam parum abesse videatur, quin ossa pateant & cernantur. Et mirum quidem non confectum fuisse mitissimum Agnum, & conficeretur planè, nisi Patris Æterni prouidentia summa ad reliquos maximos & acerbissimos cruciatus reseruaretur: sic plaga in medio tergo facta latissimè patebat, & disruptis dilaceratisque carnibus sanguinis flumine manabat. Fessis defatigatisque carnificibus, noui recentioresque succedebant. Columna tota cruore conspersa plurimo madebat, cuius extremitatem palus circundabat latissima, quæ toto Pilati quidem atrio diffundebat sese fluctuans. Natabant pauimenta sanguine, madebant parietes, neque carnifices finem Agni cædendi faciebant. Cum homines omni diritate tetriores amplius millia quinque verberum in terga sanctissima deiecissent Iesu mansuetissimi, ille inter tantum virgarum crepitum & carnificinam factam, muti similis nullum verbum proloqui, neque minimum se commouere visus est, quin paratissimus erat ad ictus plures & virgarum multitudinem quamcumque perferendam pro libidinibus hominum persoluendis. Quod spectaculum si mentis oculis attentissimè cernerent libidinosi, modum statuerent intemperantissimis carnis spurcissimæ voluptatibus. Carnifices alligant Christum Iesum; libidinosi vincula quidem ac rima tanto Domino iniiciunt. Carnifices Virgis cædunt vehementissimè; libidinosi suis turpissimis voluptatibus vehementius verberant atque tundunt. Carnifices sanguinem exprimunt; libidinosi ipsos incitant & inflammant, ad vim & copiam

sanguinis profundendam. Carnifices ad vim omnem brachiorum in Christi Iesu terga conferendam, atque adeo ad sanguinis fluuium exprimendum incitati plagas plagis, & vulnera vulnetibus cumulant; libidinosi facibus libidinum flagrantibus accensi has omnes efficiunt plagas & mediam in tergo luculentissimam. Carnificibus succedunt alij noui recentesque; libidinosi suis libidinibus alias & alias impuritates addentes, nouos & viribus integros ac valentes carnifices in Christi Iesu Corpus immittunt. Quoties enim, quoties libidinosi nefarias suscipitis cogitationes, & obscœnas libidinum impuritates, quoties verba turpia & impura facitis, quoties postremò vos effunditis in omnem carnis intemperantiam, & in effrænatos obscœnitatum appetitus, toties, toties inquam alligatis Christum Iesum ad columnam marmoream, toties eundem Dominum acerrimis vinculis astringitis, toties diritate virgarum per omne scelus, & impietatem excarnificatis, toties sanguinem elicitis, & plagis ac vulneribus grauissimis sua terga sanctissima discerpitis. At vna duntaxat vos libidinum genere turpiter inquinatis: semel duntaxat has impuritates turpes & obscœnas suscipitis: Nonne cogitationes omnes turpissimas in animum admittitis? nonne passim turpia verba facitis & obscœna? nonne committitis stupra, incesta, adulteria turpitudinum vestrarum cogitationibus impurissimis? quam Virginem, quam nuptam, quam viduam, cuius formam mulieris non appetiistis ad aspectum oculorum, ad vestrum appetitum pulchram, & venustam? Quas vis non peragratis? quas domos non obsidetis meretricum profligatarum? quibus attrectationibus obscœnis appetitus carnis non excitatis intemperanter? Nulla equidem libido ab oculis, nulla à manibus vnquam abfuit vestris: id quod spectaculum præsens flagellati Iesu ante vestros oculos propositum ostendit. Nihil ne vos, vt abstineatis à libidinibus, vt dometis cupiditates effrænatas, vt voluptates tandem aliquando coerceatis, columna præsens, nihil iniecta vincula Christo Iesu, nihil multitudo flagellorum in corpus immissa, nihil fluuius sanguinis corpore toto perfluens, nihil plagæ plagis additæ, & vulnerum deformitas, nihil in medio tergo facta plaga luculentissima, nihil postremò illius carnes diruptæ, tergaque dilacerata commouere potuerunt? patere propè iam ossa non videtis, aut parum abesse, quin oculis cernantur ipsis patefacta

da diritate virgarum? vbi sitis dies noctesque, quas admittatis libidines, quo cœno impuritatum tanquam sues spurcissimæ volutemini, has omnes in Christi Iesu terga recidere & ipsi vestras non animaduertitis lucere libidines? O feram & immanem belluam libidinem! ô voluptates effrænatas & indomitas! ô perniciosam & exitialem mortalibus carnem! in quas Assertorem Iesum angustias adduciis? supplicium fuit istud antiquis temporibus eruorum, & omni sæculorum memoria apud omnes gentes atque nationes infima fortuna præditorum hominum. Supplicium istud adeo turpe fuit & ignominiosum generi Romanorum, vt satis esset, quemquam ciuem Romanum esse, & in vrbe Roma natum & educatum & Romanorum stirpe ac sobole procreatum, vt quibuscunque flagitijs coopertus adduceretur, virgis pulsari minimè potuisser. Iam verò cum lege Iudæorum cædi quenquam virgis fas esset illis de causis, quas scimus, & ex veteris legis annalibus accepimus, quadraginta tamen flagris cædi non poterat Iudæorum nemo: Atque hanc causam legislator addidit, ne frater ad pedes tuos iacear virgarum diritate concisus. O bone, benigneque Iesu! ô mitissime mansuetissime Agne, omnes leges, omnia iura in te vno violantur, qui non modò Romanorum prærogatiuis & immunitatibus non frueris, sed Solymorum generi modum præfinitum, & tanto ampliorem & maiorem infinito numero perfers. Quis vnquam hoc putaret? quis adduci posset, vt crederet in Christi terga Assertoris nostri virgas flagraque redundare? horum omnium auctor & princeps est libidinosus. Et quisquam non fugiet, & execrabitur libidinem? Obsecro sanctissime Iesu, per columnam, ad quam alligatus fuisti, per virgas tanta patientiæ magnitudine toleratas, per sanguinis fluuium corpore tuo profluentem, per plagas, per vulnera, per discerptas, dilaniatasque carnes seda libidinem meam, coerce carnis appetitum, & omnem ardorem extingue cogitatione tuarum virgarum, & magnitudine tanti supplicij in animo inhærente meo, vt fructus columnæ, & vtilitatem virgarum, corporis & animi integritatem seruans percipiam in omnem sæculorum æternitatem.

Lacrymæ Beati Petri, ex eisdem locis.

MOuent me quidem lacrymæ B. Petri, quem foras exeun-

tem videre videor ad deplorandum scelus in suum præceptorem admissum. Eo enim, inquit, Petrus, petra & cautes durissima & omni saxo durior, & immani Tygride dirior ac tetrior, qui tantum scelus admiserim & à præceptore per summam perfidiam defecerim, sceleratus, nequam, perfidus, & execrandus. Tunc Petrus Princeps sociorum? tunc Dux ille, & inuictissimus Imperator, qui multos ignauos ac timidos ad prælium ineundum excitare debebas fortiter ac magnanimiter præeundo? siccine defecisti? siccine cecideristi animo, vt vnus ex perfidis & sceleratis hominibus? tune ille? ille inquam amicissimus & familiarissimus Christo Iesu? tunc vnus ex sociis delectis ad aspiciendam in monte Thabor gloriam diuinitatis cœlestem & immortalem? tunc Petrus summo Ecclesiæ principatu decoratus, & primus omnium, nec semel, sed iterum ac tertio socium esse te Christi Iesu negauisti, simul & tanti præceptoris discipulum? neque tibi notum illum vnquam fuisse dixeris, dixeris etiam nunquam te cum illo versatum, neque colloquutum fuisse? atque tertio, & cum iusiurando falso? tam citò, vno verbo ancillulæ victus, qui te peristiturum esse confirmabas antea Præceptori tuo, dum parato te dicebas animo esse, nimiumque confirmato ad mortem pro præceptore subeundam? Millies dicebas te mortem oppetiturum esse priusquam defecturum à Christo Iesu præceptore tuo? En magnum virum promissis & pollicitationibus, verbo magnum, re nullum & omnium deterrimum. Abdam me, inquit Petrus, in locum occultissimum remotissimumque, ac ne lucem videre possim, etiam obscurissimum, vbi lachrymis & dolorem conficiam. Tam erat Iesus sceleratus, tam ille erat improbus iudicio tuo Petre, vt illum nosse te puderet etiam? tam erat indignus, vt neque cum illo te colloquutum fuisse testareris? O senem deterrimum, & omni petra duriorem! Vide quantam inter te, & inter Assertorem Iesum interfit. Aspexit me, inquit, Christus Iesus illis oculis diuinæ misericordiæ, quibus in viam redirem, & suorum in me beneficiorum recordarer. Quem Galli cantus à somno, quo consopitus eram, excitare non potuerat, excitarunt oculi Christi Iesu in me ouem perditam & sauciatam coniecti, qui suorum oblitus cruciatuum, oblitus suorum dolorum, & acerbitatum maximarum, me misericors ac benignus aspexit, vt me ipsum respicerem, & perfidiæ crimen lachrymarum largo flumine eluerem. Tu oblitus fuisti, Petre, præceptoris

tui

tui; ille tui recordatus, discipuli præcipuè: tu deficis à Domino tuo nefariè; ille animi tui benignissime misertus; tu abiecisti gratiam tanti Domini; ille te in suam reducere amicitiam voluit statim: tu dolores & cruciatus non attendisti suos; ille te in mediis suppliciorum suorum acerbitatibus, in mediis probris, & conuitijs tui potissimum memoriam habuit: tu labascis vno verbo ancillulæ victus; ille grauissimis ignominijs & supplicijs affectus, tui non potest memoriam abiicere: tu deficis à præceptore suorum oblitus in te meritorum; ille te non vult è sua societate Petrum excludere, teipsum in memoria discipulum habens: tu neque nosse præceptorem tuum cum iureiurando confirmas; ille discipulum vult & agnoscit, & in consilij sui celsissimam restituere dignitatem auet: tu tot beneficijs affectus à Magistro Dominoque tuo ingratus & impius tot donorum magnitudinem & præstantiam negas; ille te respexit, vt pluribus donis ac muneribus cumularet & augeret: tu principatu Ecclesiæ præcellentissimo celsissimoque decoratus tantæ dignitatis sedi glorioßissimæ nuntium remiseras; ille vult in gradum tantæ dignitatis amplissimum reducere. Quid vis amplius? ille Deus summus ac præpotens; tu homo non admodum spectata fortuna: ille auctor & princeps sanctitatis; tu perfidiæ maculis inustus, & alijs infinitis miseriis & ærumnis oppressus: ille fons perennis & inexhaustus misericordiæ; tu ferreus, durus & petræ similis. Quid plura? mouent me tuæ lachrymæ, vt mouerunt miseriæ defectionis tuæ mitissimum Agnum Christum Iesum ad misericordiam. Quam perfidiam negare non possum in te multo teteriorem, quàm in alijs & magis execrandam fuisse, qui tot beneficijs à Christo Iesu affectus, tot honoribus & ornamentis decoratus particeps tantopere diuinorum Christi Iesu consiliorum, & in tantam sedem dignitatis euectus, ad principatum Ecclesiæ celsissimum elatus, dux & anteßignanus reliquorum Christi Iesu sociorum eosdem confirmare debueras robore ac magnitudine animi tui. Nam si cadat animo dux, si frangatur ac debilitetur metu Imperator, si fugiat hostis aspectum, si reformidet congressum, si non tueatur dignitatem Imperatoriam fortiter & magnanimiter, quid agent reliqui milites? quid exercitus vniuersus? scilicet magna sunt consilia diuini numinis, recondita nimium & abstrusa, & à communi hominum intelligentia remotissima. Futurus eras Petre caput Ecclesiæ, Princeps & Dux militiæ Christianæ, Vicarius huiusce Do-

mini summus ac præpotens, ac propterea sciens debebas esse nostræ conditionis, non ignarus imbecillitatis humanæ, vt nostrum omnium misereri scires, & in ruinis nostris & ærumnis opem & diuinum auxilium ferre, denique vt patefaceres aditum diuinæ misericordiæ redeuntibus in viam, & immortalis Dei opem implorantibus. Quid quod exemplo tuo testatum nobis Christus Iesus voluit relinquere, quid post susceptum aliquod flagitium, post defectionis ac perfidiæ maculam facturi essemus, vt locum, vt personas, quæ peccandi causam attulerunt, fugeremus, & ad lugendum crimen, ad veniam sceleris ac flagitij suscepti petendam nos animo ac voluntate conuerteremus? Discessisti, excessisti ex illo loco Petre continuo, atque te aspexit Dominus ac præceptor tuus. Ad te redisti, contulisti te in remotum sanè locum, procul ab hominum celebritate disiunctum: ibi te confecisti lachrymis ac dolore maximo, per omne vitæ tuæ tempus, licet peccati veniam tibi datam fuisse non ignorabas. Id quod Dauid sanctissimus quanquam in Regia dignitate positus, & tot Regnorum suorum negotijs maximis grauissimisque distractus facere non desistebat, neque prandere, neque bibere consueuit vnquam, nisi cibum potumque lacrymarum largo flumine commiscens. Implorabat Rex sanctissimus opem diuini numinis, efflagitabat misericordiæ magnitudinem, multitudinemque monumentorum tantæ virtutis obsecratione frequenti repetebat. Quid hic Magdalenam afferam? quæ conuiuis inspectantibus non erubuit demisso vultu, oculis in terram defixis, luctu ac mœrore prope confecta palatium intrare, in quo Christo Iesu conuiuium celebrabatur, atque à tergo abiciens se ac prosternens ad tanti Domini pedes lacrymis pedes spargere, osculari iterum ac sæpissime, & suorum veniam petens delictorum, capillis auri fulgore clariotibus abstergere, & adhærere ad pedes Domini, os, oculos, & vultum cum plantis sui Assertoris Christi Iesu coniungere, & osculandi finem facere nunquam destitit, lacrymas semper effundens, & flens acerbissime, neque excedere voluit, quoad veniæ datæ verbum ex ore Assertoris Iesu audiuit. Vos etiam obliuisci non potestis hæc & alia exempla plenissima benignitatis, pietatisque diuinæ. Cur ergo Mortales adeò scelerati eritis? Cur in vestris inueterabitis & conenescetis flagitijs? Quousque per Deum immortalem peccare desinetis, & in Deum summum ac præpoten-

potentem flagitia suscipere? quæ est ista nonnullorum elatio superbissima? quæ aliorum ardens & insatiabilis argenti auriq́ue cupiditas? quæ rerum huiusce sæculi & honorum præcipuè inanissimorum auiditas infinita? cur congerendis cumulandisque opibus fluxis ac perituris tantopere miseri & infœlices inhiant? quæ tam indomitæ & effrænatæ libidines placent? Ira elati fines humanitatis transilire videmini, leuibus de causis succensentes, & inimicis vestris nunquam iniurias acceptas condonantes. Nota est inuidia, nota ventris ingluuies, nota desidia, & obliuio virtutis & gloriæ cœlorum comparandæ, noti postremò mores corrupti ac deprauati ferè multorum, qui sic viuunt, ac si nullam Deo vitæ suæ rationem reddituri essent. At expectabunt multi senectutis tempus, vt reconcilient se Creatori suo & vitam vitiorum relinquant. Hæcne vox hominis ratione præditi? hocne responsum cultoris Christianæ Religionis? quibus si certum esset & exploratum se ad senectutem peruenturos esse, tamen suæ vtilitatis, & meritorum, quibus cumulati è viuis excederent, atque adeo diuinæ bonitatis & beneficentiæ recordari deberent. Quid quod mortis recordari debent, quæ singulis horis atque momentis tanquam saxum Tantalo imminet, & senes non solum, sed viros, & adolescentes & pueros de medio tollit, claros & illustres, humiles & abiectos, viribus valentes, infirmos & imbecilles, nobili genere & obscuris parentibus natos, & doctos, & litteratos, inscios & ignaros litterarum, Principes huiusce sæculi, Reges potentissimos cum infima plebe & vulgi fece commixtos conficit & aufert è vita. Mouere nos debet B. Petri exemplum, quem peccasse fateor & iniquè quidem egisse: At simul atque mitissimus Agnus suæ benignitatis oculos in illum coniecit, pœnitere confestim cœpit illum perfidiæ suæ, nec punctum temporis moratus foras exiit ad sceleris sui prauitatem lugendam acerbissime. O præclarum Petri exemplum! O singularem petendæ veniæ formam! Quam si sequerentur qui imbecillitate carnis humanæ, qui nequitia prauitateque sua, qui modis alijs peruersis deprauatisque in Deum scelera commiserunt, citò ad se redirent, & melius cum illis, melius postremo cum animis ageretur. Obsecro vos, Auditores, imitamini B. Petrum mecum in hunc modũ, veniam petite scelerum in Dei maiestatem admissorum. Tu sanctissime Iesu, Agne

mitissime, qui non vis peccatoris interitum, sed vt ad se redeat & veniam petat flagitiorum, humiliter atque demissè ad tuam infinitam misericordiam confugiens, qui veniam dedisti latroni pendenti tecum in cruce, qui Matthæum è telonio ad Apostoli dignitatem vocasti, qui Magdalenæ preces & lacrymas resp existi, qui postremo Petrum oculis aspexisti tuæ diuinæ misericordiæ; nos omnes quotquot præsentes sumus, per tuam immensam misericordiam, per cruciatus omnes, per mortem acerbissimam, per omnia diuinæ tuæ misericordiæ monumenta, quæ extant & extabunt in perpetuum infinita, oculis tuæ benignitatis ac pietatis infinitæ in omne tempus respicere non desinas, vt scelerum omnium sentinam execrantes tibi summo præpotentique domino per omne vitæ curriculum egregiè semper & fideliter seruiamus.

Spinea Corona, ex eisdem locis.

PRocedite Filiæ Syon in publicum, & suspicite Regem Salomonem ornatum diademate, quo mater illum in læta ac iucundâ suarum nuptiarum celebritate decorauit. Anime mi quid agis? mens mea quid cogitas? cur os meum non mutum es & elingue modò? cuius animus non frangetur ac diuelletur dolore? cuius inhumanitas non flectetur ad misericordiam? Quorum oculi lacrymas continere poterunt cum intueantur hoc tam triste ac luctuosum spectaculum? intueor mitissime Iesu caput tuum spineâ coronâ transfixum, & ex omni parte spinarum aculeis perfossum, effundens sanguinis riuos à vertice in pedes vsque, qui copiosè profluentes os sanctissimum, & lumen oculorum obscurant, barbam & corpus, & ob eam causam vestes madefaciunt & imbuunt. Dexterâ sceptrum tenes arundineum, in corpore geris purpuram vetustam, & attritam admodum, sedes in saxo, aut in humili contemptissimoque loco, satellites non defessi vigilijs transactæ noctis probris, & iniurijs, contumelijs & ignominijs omnibus illatis, velo faciem cœlestem ac diuinam tegunt, & caput arundine percutientes, vt manum percussoris diuines, instant & vrgent, non illudentes solum, sed ictus infligentes inhumaniter & crudeliter. Quid istud diadematis? quid coronæ eminentis in capite? quid sceptri genus? quid purpuræ squalor ac sordes? Accepi ex antiquissimis annalibus multiplicia ac varia coronarum genera, & Regium potissimum & excelsum diadema,

diadema, ex auro puriſſimo factum, gemmis vndique fulgentibus illuminatum; ex auro humiliter factum Regale ſceptrum. Purpuræ verò nitor quantus & quàm illuſtris? Omnia eiuſmodi fuerunt ornamenta, quæ fulgore ſuo perſtringerent oculorum aciem. Atque omnia non ad Principum ſolum, & Regum potentiſſimorum maieſtatem clariſſimam & celſiſſimam oſtentandam, ſed ad honorem clarum & illuſtrem eiſdem ſummo obſequio & veneratione tribuendum. Diadema ex ſpinis factum, ſceptrum ex arundine in manum impoſitum, purpura vilis & contempta, hæc omnia, quo ſpectant, & pertinent? vt deludant & irrideant teipſum Chriſte Ieſu, vt omnibus dedecoris & ignominiæ maculis afficiant, vt nouis, & inauditis ante hoc tempus ſupplicijs excrucient, cùm ſis ſummus præpotenſque Rex, cùm potentiſſimus cœli terræque Dominus, cum tu deferas ad voluntatem tuam Regnorum gubernacula ſummorum, & eadem, cum collibitum fuerit æquiſſimè ſanctiſſimeque detrahas. Vbi diadema clariſſimum? vbi ſceptrum ex auro puriſſimo factum? vbi purpura fulgens? vbi ſolium Regale? vbi dignitas & maieſtas excelſa? vbi honos adminiſtrorum, cunctorumque Regni Magnatum in tuis oculis, in ore Regio humiliter ac demiſſe aſtantium? vbi ritus & cæremoniæ aulæ Regiæ? vbi poſtremo plauſus, & acclamatio, & pendentes ex ore Regum oculi & ora miniſtrorum? non hæc inſignia, quæ geris in capite, quæque in manu, ſummam dignitatem, ſed deformitatem, non honorem, ſed ignominiam, non obſequium, & obſeruantiam, ſed contemptum, & deriſionem, non poteſtatem, ſed humilitatem, & indignitatem, non plauſum & acclamationem, ſed dedecus & infamiam, non poſtremò ſummum imperium & principatum, ſed inopiam & ſpoliationem præſeferunt, & ante oculos ſtatuunt ſpectatorum. Cum mihi venit in mentem ſanctiſſime Ieſu illius tuæ pulchritudinis eximiæ & maieſtatis excelſæ, virtutum maximarum præſtantiæ, & ſpectaculi præſentis imago lugubris ac miſeranda meis oculis obuerſatur, recordor magnitudinem diuinæ pulchritudinis, modeſtiam oculorum, leporem ac ſuauitatem verborum, auctoritatem cœleſtem, manſuetudinem admirandam, tranquillitatem frontis, & faciem omni cultu religioneque digniſſimam. Recordor demiſsionem in diſcipulos, affabilitatem & comitatem in inimicos, magnanimitatem in ſuperbos, miſericordiam in omne genus hominum. Contemplor magnitudinem infinitæ patientiæ, pelagus im-

mensum, & inexhaustum sapientiæ, tuam in iudicando æquitatem & benignitatem commemorandam, aditus ad pietatem, & ad mansuetudinem tuam faciles, & semper patentes, liberalitatem, & largitatem ad ignoscendum: Atque cùm tam absolutam, & omnibus numeris perfectam imaginem contemplor, stupore penè opprimor, cum doloris plenissimum spectaculum oculis obiectum intueor. Intueor enim caput, ante cuius celsitatem contremiscunt cœlestes spiritus, spinarum aculeis crudelissimè transfixum; Intueor faciem cœlestem ac diuinam sputis & colaphis deformatam, lucem frontis clarissimam flumine sanguinis obscuratam; Intueor riuos sanguinis diuini ex omni parte decidentes, & os cœleste præterfluentes, & claritatem obscurantes diuinæ pulchritudinis. Quid obsecro sanctissime Iesu? quid inquam rei Agne mitissime? non satis erat te tot accepisse iniurias, tot contumelias & ignominias pertulisse? Non satis erat te ad columnam astrictum fuisse vinculis acerrimis? flagris cæsum ad carnificum satietatem? tot plagis ac vulneribus discerptum & excarnificatum? At noua inuenta, noua probra quærebas amoris tui ostendendi causa. Age bone Iesu proximâ, quæ præterierat, & exierat nocte, quantis probris & contumelijs oneratus? quantis conuitijs, nouis & inauditis post hominum memoriam lacessitus fuisti? noctem totam, quæ ad quiescendum: & ad corpus fessum & defatigatum ex diurno labore reficiendum datur generi mortalium, in te modis iniquissimis tractando, in vexando cruciandoque corpore tuo sanctissimo Iudæi teterrimi consumpserunt. Aures, oculi, sensus omnes, vocibus execrandis, sacrilegorum hominum factis immanissimis, & iniurijs intolerandis violati fuerunt, & crudelissimè cruciati. Iam verò mors quæ te manebat crucis acerbissimæ, quantum ponderis ac momenti habebat ad Patrem Æternum suis meritis & cœlesti virtute placandum? sed quid mortem profero, cum vna gutta sanguinis tui sufficeret ad pœnas pro nostris sceleribus ac flagitijs, absolutè satis & cumulatè persoluendas. Miror equidem, ac vehementer miror Agni mitissimi pietatem, & amorem incredibilem, atque miror nostram peruersitatem & nequitiam maximam inuentricem tantorum supplicioru̇m, & maximè superbiam, & elationem filiorum Adami, ad quam comprimendam, cum coronam tanquam galeam, purpuram tanquam loricam, arundinem tanquam scutum, aut hastam acerrimam sumpseris, adeo sint homines insolen-

insolentes, vt elata verba, superba responsa, facta pleniſſima arrogantiæ fugere modis omnibus non ſtudeant, animis autem ipſis inaniſſimas elationis turres architectentur, inceſſum omnem, ſtatum, ſeſſionem, motus omnes & actiones cum faſtidio & arrogantiâ ſemper intoleranda non exercentur, quotidie nouas illi veſtes, nouum cultum, & ornatum corporis excogitent, induant, & ſingulis propè diebus adiactationem oſtentationemque ſuperbiſſimam mutent, domos pretioſis aulæis, multâ & lautâ ſupellectili, abacis auro, & argento ornatis, omni ſuperbiſſimo ornatu decorent, apparatuque magnificentiſſimo ijdem exhauriant rem familiarem, conſumant pecunias, obliguriant patrimonia, effundantque reditus omnes ad ſumptus ſuperuacaneos & inanes, ad equos, ad lecticas, ad numerum & gregem alendum ſuſtentandumque ſeruorum: ne quis ornatu apparatuque locupletiſſimo præeat & quoſcunque in dignitate poſitos antecellant, ſui generis ac fortunæ opulentiſſimæ viris ſplendidiſſimis præſtent. Quis hos exeuntes domo, luſtranteſque vias, & loca celebriora ciuitatis in equis ac lecticis tanto præeuntium, conſequentiumque grege famulorum ſtipatos, tanto ſtrepitu ac tumultu procedentes æquiſſimis oculis intuetur? Quos verò honores & dignitates iſti homines fortunatiſsimi non appetunt? quos gradus celſiſſimos non contendunt? vbi eos conſequuti fuerunt, quibus vitijs & flagitijs dedecorant, rebus publicis exitium & perniciem vltimam afferentes? & vt illos retineant, quas artes adhibent, quæ tetra ſcelera deteſtandaque flagitia moliuntur? Mittimus cætera ſuperioribus contentiſſimi: & hos ſpineâ coronâ caput Chriſti Ieſu traijcere, hos tempora tanti Domini ſpinarum acutis pertetebrare, hos ſanguinē è ſummo vertice, cœleſtique cerebro exprimere, hos in manum arundinē imponere, hos purpurâ contemptiſsimâ Agni manſuetiſſimi corpus induere, hos denique vultum & faciem Solis ſplendore clariorem obſcurare, & illam cœleſtem pulchritudinis dignitatem deformare magis ac magis certum eſt, quàm vt à me pro ſcelerum indignitate explicari poſſint oratione. ſuſcipite igitur ſuperbiſſimi homines Chriſtum Ieſum, & quem Pilatus ſpineâ coronâ traiectum purpurâ indutum, arundinem pro ſceptro gerentem, adeo deformatum, & vexatum generi Iudæorum oſtendit, ſi cupiditatem reliqui ſanguinis exhauriendi, vitæq; adimendæ ſitim infinitam ſtiare poſſit. Vobis Pater æternus Filium hac forma, figuraque luctuoſa viſendum ſpectandumque

dumque proponit. Intuemini coronam aculeis spinarum horrentem: intuemini spinas ad cerebrum vsque adactas; intuemini sanguinem, os & barbam deformantem; intuemini arundinem illam in dexterâ, qua cœlorum domicilia, terrarum loca omnia sustentantur, venti, tempestatesque sedantur, maria coercentur, omnis machina continetur istius vniuersitatis, pro sceptro traditam, & ab illâ tantâ numinis sempiterni maiestate libenter acceptam. Intuemini purpura indutum, qui floribus agros, cœlorum facies syderibus distinguit, & ornat tantâ venustate specieque visendâ. Intuemini pulchritudinem diuinorum spirituum, speculum Mariæ, delicias & suauitatem Virginis, gloriam & decus Beatorum, splendorem & imaginem Patris Christum Iesum, superbiæ comprimendæ causa tantis probris & contumelijs, atque adeo supplicijs acerbissimis affectum. Horum omnium auctores fuerunt superbi & arrogantes homines. Vestes variæ, cultus magnificus, elata verba, honores appetiti, magistratus cum elatione gesti, spinas, arundinem, purpuram, & hanc tantam deformitatem Christo Iesu attulerunt. Vos, ne crudeliores nequissimâ Iudæorum gente, quos non aspectus Christi, non illius forma lugubris & tantopere deformata facies commouit, me præeuntem, quantâ potueritis voce contendentes, sequimini. Precamur te, O Pater Æterne, vt superbam belluam, tetram & immanem, spiritus omnes elationis & superbiæ, spinis hisce & aculeis acriter caput filij tui pungentibus, per spinas Christi Iesu, per arundinem in manum impositam, per purpuram contemptissimam, per sanguinem ex summo vertice diffluentem sedes & comprimas: vt humilitatis ac demissionis ornamentis decorati res humanas fluxas & caducas contemnamus, cœlestes ac diuinas, & in omnem sæculorum æternitatem permansuras sicienter appetamus.

Christus Iesus Crucem suis humeris portans, ex superiorum exercitationum loco ostenditur.

COmitantibus Assertorem Iesum, Crucem, tanquam molem & machinam ad euertendas teterrimi dæmonis opes in verticem vsque & excelsa iuga montis Caluariæ suis humeris comportantem, factum occurrit Isaaci pulcherrimum,

qui

quí fuit ſpecies & adumbratio Chriſti Ieſu mirifica nimium & ſingularis. Cum Abrahamus mandatum aceepiſſet à diuinâ maieſtate, vnius filij mactandi & ſibi chariſſimi, & in tantis habiti delicijs Iſaaci, profectus è patrijs ſedibus, in montem, quem ſacræ litteræ tradiderunt, ignem ille, gladiumque portauit, Iſaacus faſciculum lignorum ad ſacrificium, & ad victimam neceſſarium. Quo cùm peruenisſet pater & filius, Iſaacus à Patre conſtringi ſeipſum, manus pedeſque ligari paſſus eſt, & iam iam Abrahamus gladium intenderat, & in Iſaaci iugulum infigendum pararat; cùm ecce Angelus viſus eſt, qui brachium intentum & paratum Abrahami ad ictum retraxit, nuntians Deum Immortalem, promptiſſimâ illius voluntate paratiſſimoque animo contentum eſſe, neque quidquam amplius id temporis exigere. Simulachrum eſt iſtud facinus egregium Chriſti Ieſu Filij Patris Æterni, crucem ſuis humeris ad mortem pro genere humano ſubeundam, egregiâ admodum, præſtantiſſimaque voluntate comportantis, quem tanquam alterum Iſaac animis quæſo veſtris complectimini ab ædibus Pilati proficiſcentem, & loca celebriora Solymorum purpurâ indutum, ſpinarum terrificâ coronâ transfixum, & fune de collo pendente Corpus aſtringente ſanctiſſimum, portantem lignum Crucis horrificum ſuis humeris & ſanguinis flumine toto corpore profluente irrigantem vias & loca omnia, quacunque deferebatur, terrifico ſuis interuallis tubæ clangore perſonante, cunctorumque horrendum in modum aures horribili ſono percellente. Interea militum armatorum gladijs fulgentibus, teliſque micantibus longo interuallo perſtringebatur acies oculorum, percrepabant armorum terrifico fragore loca omnia, per quæ deferebatur mitiſſimus Agnus, tanto ſtrepitu, voce præconis tam intentâ ſupplicium prædicandis & cauſam eodem præconio affingentis, vt ſpeciem aliquam execranda Pilati ſententia iuſtæ damnationis habere videretur. Quod ſcilicet commouiſſet populum, concitaſſet ſeditiones, tanquam ſeditioſus ac turbulentus homo. Id temporis effundere ſeſe multitudo omnis generis hominum ad ſpectaculum poſt hominum memoriam inauditum, concurrere viri mulieresque præſertim naturâ miſericordes, lamentis & eiulatibus omnia complere, clamara multi, prædicare virum bonum & ſumma ſanctimoniâ præditum, multitudine miraculorum ac præſtantâ florentem, denique traditum per ſummam inuidiam à Principibus & ſacerdoti-

cerdotibus ipsius legis, Iudice Pilato mortis damnatum, & cruci crudeliter addictum. Hac specie & luctuosa formâ Christus Iesus in montis vsque Caluariæ præcelsa fastigia tanto dedecore affectus & ignominiâ tandem fessus & anhelans, sudans & multo sanguine profluens peruenit. Quam habeat Isaacus speciem & similitudinem Christi Iesu adumbratam aspiciamus, & imaginem Veri Isaaci Iesu Christi conferamus cum Isaaci simulachro proposito. Nonne aspicere videmini Isaacum Abrahamo Patri suo morigerum & obsequentem, & æterni Patris dictis omnibus, vti antea per omne vitæ suæ curriculum, nunc in extremo discessu obedientem Christum Iesum? Isaacus defert lignum ad victimam & sacrificium; Christus Iesus lignum Crucis horrificum suis humeris comportat: Isaacus quasi mutus & elinguis, nullum verbum faciens, se vinciendum constringendumque patri Abrahamo tradit; Christus vinculis omnibus, & acerrimo fune constringi se patitur ab administris crudelitatis intolerandæ: Isaacus a loco vsque sacrificij lignum defert, mandata exequens; Christus in excelsum vsque montis Caluariæ verticem accessit: denique gladium non exhorruit Isaacus, neque manum patris iam in ceruicem intentam; Christus pondus & grauitatem oneris summâ voluntate libentique animo fortis, & inuictus subiuit: Isaacus se obtulit, & caput deuouit patris constanti deliberatæque voluntati; Christus caput ipsum tradidit & corpus satellitum crudelitati tollendum in crucem. Quid addi potest ad præsentis facti virtutem absolutam maius & illustrius? Omnia, quæ sunt in Isaaci facto præstantissimo, non modo in Christo Iesu videbitis inesse, sed multo clarius & illustrius, præstantiaque multò sublimiore, vt Isaacus filius Abrahami cedere debeat longo interuallo Christo Iesu: quemadmodum id, quod fictum & simulatum est, vero solidis ac viuis coloribus ex omni parte mirabiliter expresso. Nam Isaacus quid humeris comportabat, nisi fasciculum leuem admodum? Christus pondus maximum, sua grauitate planè intolerandum ligni crassissimi longissimique: Isaacus integer ac valens onus humeris impositum facilè perferebat; Christus tot iam supplicijs affectus, virgis cæsus, & spinarum aculeis tran fixus sudans & anhelans crucem corpore suo comportabat: Isaacus ignarus fortasse facti, quod pater transacturus erat, ad locum vsque sacrificij pergebat, Christus ab ipsis cunabulis a præsepio ad necis vsque

dedecus

dedecus & ignominiam subeundam se comparauit. Isaacus tandem nullo dedecore, & ignominiâ, & insolitudine procul ab hominum multitudine mortem, si quam oppeteret, subiturus erat; Christus probris omnibus & conuitijs, omni dedecore & infamia affectus, & vrbis locis celebrioribus peragratis, voce intentâ præconis ignominiosâ nece prædicatâ in mõtis summo vertice fuit sublatus in crucem. Quid quod Isaacus non modo ignominiâ, sed morte liberatus saluus & incolumis redijt in patrias sedes Christus verò tanto cum probro & ignominia inter duos interiectus latrones extremum Æterno Patri spiritum exhalauit: O commemorandam Christi Iesu pietatem! O misericordiam inauditam! O benignitatem omni laude prædicationeque decorandam! Desideratis testes locupletissimos quos refutare nemo audeat? quos neque mendacij, neque malitiæ alicuius aut perfidiæ arguere quisquam valeat? Vt omittam mulieres, quæ ad omnem pietatem animi, lenitatemque propensæ feruntur, quas prosequentes à tergo Christum Iesum lamentantes lugentesque mentis oculis cernere potestis, cernite mentibus ipsis, quando oculis non potestis Ioannem Euangelistam, qui simul atque vexillum crucis horrificum aspexit, & Christum Iesum mortis damnatum audiuit, nullâ morâ interpositâ, celeritate maximâ concitato gradu properat ad Virginem, nuntium spectaculi præsentis miserum & luctuosum delaturus. In cuius conspectum cum venisset, sine cunctatione & ambagibus, quas angustiæ spectaculi luctuosi præcidebant, sic Euangelistam loquutum fuisse cogitate, & quidem summâ demissione, ingenti religione prostratum & abiectum ad Virginis pedes sanctissimos. Virgo sanctissima, decus Angelorum, Regina cœlestis aulæ, ianua paradisi, salus iustorum, lętitia sanctorum, simulachrum cunctarum virtutum, speculum castitatis, exemplar patientiæ, effigies absolutæ sanctimoniæ: væ mihi discipulo tui Iesu, vt non conficiar statim dolore! non concidam rerum, quas vidi meis oculis spectaculo miserabili! Quid plura? Reliqui filium tuum & præceptorem meum Iesum in manus potestatemque Iudæorum traditum, & quidem post virgas, post spinas, post cruciatus alios, iniuriat contumeliasque innumerabiles, molem iam & machinam crucis, in quam agendus est, suis humeris comportantem: veni statim, ni confectum & mortuum videre vis. Quis enim aliud loquar? Hoc graui luctuosoq; nuntio perculsa Maria

quid

quid ageret? mortuam id temporis non repentè concidisse mirabile fuit: & spiritum exhalaret proculdubio, nisi consilio Patris Æterni ad reliquam passionis Christi tragœdiam reseruaretur. Continuo igitur properate Virgo, & quas animi dolor acerbitate suâ vires adimere posset, diuinus amor facibus planè ardentibus addebat. Audire longo interuallo Virgo sanctissima sonitum armorum concrepantium, strepitum & tumultum satellitum erudelissimorum, clamores multitudinis dissonos & horrendos, & vocem præconis mortem Christi Iesu prædicantis acerbissimam. Videre etiam eadem Virgo sanctissima paulò post fulgorem gladiorum & telorum micantium. Videre etiam vias sanguine multo filij sui perfusas, vestigijs sanctissimi cruoris notata loca, quæ satis essent, vt Matrem ad Filium nullo alio viarum indice deducerent. Accedere, magis ac magis appropinquare ad carum, & valdè dilectum sibi filium, conijcere statim oculos obscuratos multitudine lacrymarum & acerbitate doloris ingenti, si fortasse posset a picere, quem in præcordijs & intimis in medullis infixum & inhærentem habebat. O metus & amor Mariæ! videre equidem cupiebat vehementer, fugiebat tamen ac reformidabat spectare formam adeo luctuosam ac deformatam. Tandem accedens in eum locum vnde videre potuit. Aspiciunt se vicissim illa duo lumina cœlestis aulæ clarissima, atque ipsis oculis & aspectu mutuo cruciantur mirandum in modũ ambo, torquenturque dolore grauissimo. Quoniã ve ò mutuò alloqui seipsos non poterant; cogitate vos, quos animis ipsis conferrent sermones, plenos doloris & acerbitatis maximæ. Filius orare matrem non desineret, vt inde discederet, & suam in domum reuerteretur, atque eam verbis amantissimis columbæ, & matris carissimæ nominans, vt reuerteretur inquam, & in cubiculum abderet sese, dum nimbus hic transiret, & tempestas concitata sedaretur. Non illius diceret candorem & virginis integritatem, non innocentiam, & pudorem integerrimum decere societatem latronum & homicidarum: Reuertere, reuertere, repeteret Filius ex intimis animi penetralibus, repeteret & ingeminaret sæpe, columba mea, dilecta mihi, caraque admodum, reuertere Mater amantissima, dum procellæ turbineque isti, & fluctus vehementissimè commoti, desæuiant, atque sedentur, in ædem, in cubiculum, conclusa vacabis vsitatæ contemplationi, & à corporis sensibus ad cœlestes domos abstracta, vt poteris dolorem hunc grauissimum perfe-

perferes. Hæc Matri Filius: Mater verò quid Filio responderet mente cogitationeque tacitâ? Cur me iubes hinc discedere, fili mi? cur domum repetere Matrem iubes, & è conspectu me tuo amouere procul? scis optime summe præpotensque Domine, nullum aliud mihi sacratium, nullum allium contemplationi locum, nec videri necesse parenti tuæ, quàm ibi, vbi tu es. Nam quomodo à te abstrahar, nisi diuellar protinus à me ipsâ, confecta doloris magnitudine? nihil aliud cogitare, nihil agere, nihil meditari possum, nisi te meum Iesum virgis cæsum, nisi te spinis coronatum; nisi te portantem humeris crucem hanc, nisi deniq; tollendum in crucem. Tu intra mea viscera per nouem menses sedem & domicilium habuisti, cur ergo triduũ hoc non in tuum cœleste pectus includar? non me in tua viscera recipies? non denique pectus & viscera tua tabernaculum & domum parenti tuæ patefacies? si me in tua viscera sanctissima accipias & abdas, tecum cruci affixo subibo crucem; tecum sepulto sepeliar, & in tuum inferar sepulchrum Maria; tecum felle permixtum acetum bibam; tecum adibo pœnam omnem, tecum in cruce denique spirante, extremum efflabo spiritum. Hæc secum tacite loqueretur Maria ad montis vsque Caluariæ fastigium. Non opus est plura testimonia proferre, satis locupletes sunt, & omni fide dignissimi Ioannes & Maria, satis ipse Christus Iesus: Cuius in re suâ propter suam summam sanctimoniam valere debet præclarum hoc & cœleste testimonium, quo conuersus ad mulieres, iussit eas lugere factum, quod manebat filios suos ac nepotes, vt vltimam Hierosolymorum vastitatem. Non illa vera sunt? non euentu consummata vidimus? non captæ Hierosolymæ? non ferro dirutæ? non fame vastatæ? non habitatores partim occisi, partim in seruitutem adducti? non reliqui suis eiecti sedibus vagantur, & errant, per tot annos & sæcula, & errabunt & vagabuntur in omnem sæculorum memoriam? quandiu genus hominum fuerit, & orbis terræ machina steterit, inopes & egentes, nullam sedem, nullum certum domicilium habebunt, miserijs omnibus & ærumnis oppressi, tributis & vectigalibus vexati, in perpetuo dedecore & infamia viuent? Quis exemplo præsenti, quis calamitate Indæorum miserrima, quis postremo tanti Domini cruce non commouebitur, vt crucem Christi Iesu suis humeris portet ad Regnum in sæculorum æternitatem infinitam cum summo Imperio maiestateque consequendam? O cæcas hominum mentes! O temerarias hominum c[illegible]nes!

O prauitatem peruersitatemque filiorum Adami! Quid agitis? quid cogitatis? siccine perstatis sæculo vos inseruire? siccine mundo nequissimo vos mancipare? siccine dæmoni teterrimo vos dedere nequiter & voluptatibus corporis intemperanter? sic pertæbitis, pro congerendis pecunijs, pro auro coaceruando, pro dignitatibus & honoribus peritturis, tot suscipere labores, tot absorbere molestias, iugum tam intolerabile perferre vestris humeris, vt duram in hoc sæculo, post huius vitæ discessum, duriorem seruitutem perferatis in perpetuum? Qui Christi iugum deiecerit ab humeris suis & crucem non sustinuerit, & perferendam non decreuerit ad extremum vitæ spiritum, valere iubet Christi Iesu diuitias, valere Beatorum opes, valere gloriam cœlorum, valere denique thesauros omnes, honores dignitatesque sanctorum. Quod quoniam eos, qui sana mente fuerint, facturos mihi non persuadeo, desinant sectatores sæculi iactare voces illas, quas iactant in vulgus, desinant iactare sermones, quos habent in conuenticulis, quos secum taciti conferunt animis ipsis atque cogitationibus, graue iugum esse Christi Iesu, graue nimis & intolerandum; Difficile esse pueris & adolescentibus in hac tenera ætate, in flore istiusmodi iuuentutis, vti iubentur, vim sibi ipsis inferre, remittere nunc um voluptatibus. Ita enim Christus Iesus viam hanc frondibus ac virgultis intercluſam, suis cruciatibus reddidit facilem & expeditam. At obijcit mundus nequissimus honores; caro blanda conciliatricula voluptatum illecebras omnes, & lenocinia voluptatum excitat; dæmon insidias parat & intendit laqueos ad perdendum delendumque genus hominum. Non nego: Sed fuge occasiones, comprime motus libidinis, inter bellum Domini Cruce Iesu Christi, meritis suæ passionis, suis cruciatibus acerbissimis, muni mentem his omnibus præsidijs & animum, & omnes fluctus concitatos diuina virtute sedabis. Quod vt facias per Iesu Christi sanguinem profusum, per ignominias & iniurias tanto Regi cœlorum illatas, per crucem denique suis humeris comportatam, iterum atque iterum obiecro. Sic particeps meritorum Christi Iesu, & crucis inuicto robore munitus superatis hostibus, spolijs ac manubijs gloriosis onustus è viuis excedens, in cœlestis aulæ sedes & domicilia sempiterna exultans & triumphans ingredieris.

* * *

De Christo Iesu cruci affixo, ex eisdem locis.

PEruenimus tandem, anime mi, ad excelsum montis Caluariæ verticem, & accessimus ad summum salutis & instaurationis humanæ fastigium. Quod vt altius mente cogitationeque perpendas, complectere precor mente Christum Iesum, nudatum iterum & spoliatum suis vestibus, atque ita nudum, frigori expositum, & reliquis illius temporis procellis & tempestatibus maximis, tribus traiectum clauis, manus pedesque transfixum crudelitate Iudæorum hostili, sublatum iam in crucem, interiectum inter duos latrones, totum obductum vulneribus, & mille plagis concisum, sine decore veteri, sine forma pulcherrima pallidum & exhaustum iam, & à tergo, & à fronte multo sanguine in terram vsque profluente, à suis derelictum discipulis, & in Ioannis oculis, & in matris conspectu, quæ dolorem & cruciatus magis auget & amplificat. Latro pendens in cruce deridebat eum, deridebant Iudæi, & multis probris & conuicijs vexabant, vt & se & latrones, qui cum illo cruci fuerant affixi, sua virtute, quâ multos alios incolumes reddiderat, supplicio mortis eriperet. Mouere capita multi, deludere, deridere teterrimi, & intentis clamoribus appellare, vt suam & latronum vitam conseruaret, descenderet de cruce, eriperet seipsum ac liberaret, qui multis alijs vitam & incolumitatem dedisset. Ille verò perpeti libenter ac patienter iniurias omnes, probra, contumelias, exhibitum sitienti acetum felle permistum non recusare, latroni probra iacenti nihil respondere, alteri misericordiam suam imploranti polliceri cœlestis aulæ gloriam sempiternam. Orare etiam Patrem Æternum, vt satellitibus, & administris tantæ crudelitatis tanquam inscijs & ignaris sceleris, quo se astringerent, veniam daret: Matrem Ioanni, Ioannem Matri commendare, ac tandem spiritu Æterno Patri commendato animam efflare. Quid aliud expectatis homines? quid maius nostræ libertatis & dignitatis recuperandæ causa Christus Iesus facere potuit, quam in hunc montem deduci velle Caluariæ, quàm in crucem tolli, quàm mortem subire tam crudelem & ignominiosam? Magnum fuit factum misericordiæ, Christum dedere se comprehendendum, vinciendumque inimicis; maius perpeti tot indignissimis

modis, probris & iniurijs omnibus se vexari, maximum virgis velle cædi & spinis transfigi caput suum cœleste: quid dicam in Crucem tolli, vt te hominem ingratum, & immemorem beneficiorum in pristinum amissæ gratiæ statum vindicaret? Intuere homo aculeis spinarum cerebrum Christi Iesu perterebratum, fenestras in circuitu patefactas, & ex illis riuos sanguinis vndique manentes: obrutos oculos, pallidam ac deformatam faciem, genas depressas, liuida labia, sublatum pectus, plagas ac vulnera corporis, pedes manusque transfixas, brachia ad vtramque crucis extremitatem extenta, laxata membra, & suis prope sedibus ossa diuulsa, caput demissum, aperta brachia, latus lanceæ diritate patens. Te tanquam bonus pastor sibilis alijs & alijs in suos amplexus inuitat & prouocat: hæc supplicia ostendit Christus Iesus ad tuæ dignitatis recuperationem se pertulisse, & paratus est, mortem iterum ac sæpius, si fuisset opus, tuæ salutis causa crudelissimam perpeti. Quid vis amplius? Quem in crucis ligno pendere vides, confidera Filium esse Patris Æterni; Deum summum ac præpotentem opificem & architectum cœlorum, celsitatem aulæ cœlestis, speculum absolutæ sanctimoniæ, maiestatem diuinæ celsitatis, auctorem & principem bonorum omnium. Cum in præsepio vagientem ac plorantem puerum & infantem tenerum ac delicatum inter duo animalia interiectum, spiritus diuini viderunt toto corpore trementem, perferentem frigus & hyemales tempestates hominis forma ac figura præditum, illi cœlestes continuò spiritus delapsi de cœli sedibus altissimis, & in porticum ingressi ruinosam ac malè materiatam, cœlesti concentu totum aera compleuerunt. Quid in hoc præsentitamque luctuoso facerent spectaculo, non hominis solum forma, sed latronis & damnati horrorem aspicientes? cum non in præsepio sed in ligno crucis, non in humili porticu, sed in monte Caluariæ, non plorantem ac vagientem, sed ab omnibus atque adeo ab æterno Patre quasi derelictum, non blanditijs & delicijs Mariæ recreatum, sed conuitijs & probris nefariorum hominum vexatum, non inter duo interiectum animalia, sed inter duos cæde & sanguine mortalium saturatos latrones intuerentur? Ita iacebat in præsepio, vt Mater Filio suauitates verborum, & vsitatas blanditias diceret; ita verò pendebat in cruce, vt nihil nisi clamores, nisi probra in se conjecta Christus audire. Ita in cunis cubabat, vt brachijs & sinu matris nonnunquam demulceretur; ita autem pendebat

in cruce

in cruce, vt sitienti Christo omni diritate tetriores homines acetum felle permistum præberent. Ita denique in cunis iacebat, vt pastores per Angelum, Reges per stellã fulgentem ad honores puero tanquam immortali Deo tribuendos, euocarentur; Ita vero pendens aspiciebatur in cruce, vt multi à Deo desertum putarent, & suæ virtutis, suæ diuinitatis, miraculorum, quæ toties cœlesti virtute ediderat in vita maximorum, vim & præstantiam latro sceleratus ad se ex tanti supplicij acerbitate liberandum audacter obiecerit. Vsque eo progressa fuit in nostri generis salute recuperanda tanti Assertoris infinita misericordia. Cuius si quæras, vbi illa pulchritudo vetus? vbi effigies & splendor æterni Patris? vbi diuinæ claritatis magnitudo? vbi in monte Thabor diuinitatis gloria prolata foras, & inspectantibus tribus discipulis illustrior Solis splendore facies aspecta? vbi postremo suæ pulchritudinis & admirandæ potentiæ, maiestatis, & fortitudinis magnitudo? Omnia hæc vnius hominis ex dæmonis faucibus eripienda causa latere voluit, & quasi in tenebris & caligine iacere summus præpotensque cœlorum Dominus. O summum in genus hominum amorem! O charitatem infinitam! O pelagus bonitatis immensum! Quo magis deprimere velle visus es gloriæ tuæ magnitudinem, & inuolucris quasi quibusdam, & tugumentis obducere, eo magis emersit & splenduit hoc ipso mortis oppetitæ luctuosæ tempore. Ecce enim velum templi discissum est, terra horrifico motu contremuit, petræ collisæ crepitu fragoreque terrifico, patefacta mortuorum sepulchra, & à mortuis excitati plurimi, Sol ipse è terris ablatus nunquam antea visa tam horribili defectione, cœlum tenebris obductum, & atra caligine circumfusum est. Omnia tandem elementa suum Creatorem Dominumque potentissimum recognoscere, testari maiestatem sui numinis excelsam, lugere mortis atrocitatem, & crudelitatis & impietatis ferinæ genus ludæorum deterrimum, arguere visa sunt. Quos non iniuriæ factæ toto cruciatuum grauissimorum decursu, non virgarum ictus infixi, non numeras flagellorum inauditus, non hæc carnificina tanta, non sanguis ad columnam profusus, non spinarum Corona capiti crudeliter imposita, non ad cerebrum adacti spinarum aculei, non tot fenestræ patefactæ aculeorum infixorum diritate, non ex cerebro sentibus impressis fontes cruoris largè copioseque manantes, non purpuræ squalor & sordes, non arundo pro sceptri honore tradita,

non ictus inflicti eadem arundine, non tot colaphi, tot spuo-
tot iniuriarum inaudita, nunquamque post hominum memo-
riam crudelitatis genera cogitata satiare potuerunt: quin Cru-
cem in humeris imposuerint, impositam tanto interuallo in
Caluariæ vsque montis verticem comportare coegerint, &
in illam tanquam improbum & sceleratum impiè nefarieque
sustulerint inter duos latrones interiectum. Quæ ille facta ne-
faria, quæ furta, quæ latrocinia, quas cædes fecerat? qui vos
omnibus bonorum copijs locupletauerat, & in deserta solitu-
dine quadraginta annos esca cœlesti aluerat; qui ex Pharao-
nis dura seruitute eripuerat; qui per mare rubrum fluctibus
instar maris ex vtraque parte consistentibus, saluos & inco-
lumes traduxerat, & introduxerat in terram summis delicijs
abundantem, lacte ac plurimo melle manantem; qui cum
Deus esset immortalis, naturam humanam vestris in sedibus,
in Virginis visceribus integerrimis mira sibi societate copula-
uerat. Quem dum vidistis, dum vobiscū versatus fuit, ille sem-
per integerrime, sanctissimeque vixerat, & suæ diuinitatis aper-
ta documenta dederat, & signa clarissima: quòd vos præ reli-
quis hominibus florentes, quòd viribus inuictis præditos, quod
signis cœlestibus illustratos, quòd multis victorijs claros, quòd
gentibus ad internecionem exigua sæpe manu deletis, vires
vestras nationes plurimæ timuerunt, omnia hæc beneficia
fuerunt in vos, maioresque vestros tanti Domini liberalita-
te collata: omnia suæ cœlestis diuinæque virtutis ad posteri-
tatis memoriam immortalem monumenta magnificentissima.
An hæc ignota vobis? non testata virtute tanti Regis fue-
runt? Illa latuit naturæ humanæ tegumentis inuoluta diui-
na virtus? Crudeles, inhumani, belluis & feris immanibus te-
triores, non expectatis Messiam? non ex vestrorum Annalium
monumentis Assertorem humani generis venturum acceperatis? Non vates vestri tot ante sæculis prædixerunt? non illud
tempus apertis & testatis admodum signis adesse iam & præ-
sens esse videtis? nullus est ignorantiæ locus: nulla negandi
causa. Refonsis diuinorum vatum, & testimoniis luce clario-
ribus, virtute eiusdem Domini, & præsentia tanti numinis,
atque in ipsa comprehensione miraculis palam editis constri-
cti, deuinctique tenemini, ne possitis inficias ire, sed cogami-
ni confiteri palam inuiti reluctantesque. Atque illa mansue-
tudo ipsius Agni, tanta benignitas, & misericordia, tam in-
victa patientiæ magnitudo, tam plane cœlestis ac diuina
virtus,

virtus, conuictos vos crudelitatis, inhumanitatis, perfidiæ, & impietatis execrandæ testatur. In exitu verò tragœdiæ luctuosissimæ, in vltimo iam actu pleno mœroris ac tristitiæ, quid lapidum & saxorum crepitus? quid velum in duas diuisum partes? quid sepulchra mortuorum patefacta? quid in media diei claritate repentina Solis defectio, & orbi terrarum vniuerso offusæ tenebræ testatæ fuerunt, nisi vestrorum scelerum immanitatem, & tanti Messiæ dignitatem excelsam & diuinitatis cœlestem, & omni cultu religioneque venerandam maiestatem? sed hæc de Iudæorum prauitate pro breuitate temporis. Quid verò dicemus de nefarijs & sceleratis aliquot Christianis, qui sic viuunt ac si Christum non haberent auctorem principemque suæ salutis? ac si Fidem illius sanctissimam, mandataque diuina non tenerent? quis suis sceleribus & flagitijs in crucem quotidie tollunt Assertorem tantum, atque illius manus pedesque diuinos traijciunt millies diritate clauorum? qui in sanctissimum latus hastam omni vi contentioneque brachiorum conijciunt & intorquent? siccine homines isti prandia faciant lautissima, concelebrent conuiuia magnificentissima, cibis omnibus se inferciant, & vina veterrima suauissimaque bibant, cùm tibi Christe Iesu sitienti, in tantis angustijs & cruciatibus mortis acerbissimis felle permistum acetum præbuerint Iudæi? Oblectent ijdem sese lepore & suauitate verborum conditis sermonibus parasitorum, detrahant de honore bonorum & splendidorum hominum, immuniant famam & opinionem aliorum partam, periuria vsurpent, probra & maledicta conijciant in omnes, verbis sese efferant, & omni iactatione superbissima, cum Iudæi crebro motu corporis frequenti iactatione capitis, omni speculatione deformi vexent & insectentur verbis petulantissimis Assertorem generis hominum? siccine lectos sternu faciant molissimos, vestitum & cultum corporis pretiosum, domum amplam & ornatam, lauta magnificaque supellectilia quærant, cum Christus in cruce pendeat nudus & spoliatus vestibus, frigori sæuienti ventisque flantibus expositus multò sæuioribus? siccine illi appetant honores, sitiant dignitates huiusce sæculi, cum Iesus ipse tanto cum probro ac dedecore sublatus in crucem aspiciatur? O crux sanctissima, domus Dei Immortalis, ianua cœli, terra omnibus bonorum copijs affluens, perfugium salutis & receptaculum tutissimum!

Tu es arbor illa vitæ fructuosa ac fœcunda, fructibus vberrimis ac præstantissimis æternæ vitæ onusta: tu scala illa Iacob terram cum Empyrea sede coniungens, per quam diuini spiritus in terrarum sedes descendunt, homines in cœlorum domicilia conscendunt: tu es illa petra, quæ Virga Moysis percussa vim ingentem aquarum profudit ad multitudinis sitim explendam. Tu es illa petra Patriarchæ Iacob, oleo perfusa, & in celsiorem sublata locum, pignus & memoria fœderis & amicitiæ initæ sempiterna: tu denique botrus à terra melle lacteque fluenti delatus, calcatus & expressus in torculari Crucis ad salutem hominum & fœlicitatem consequendam. Cur cultores Christianæ Religionis ad te non confugiunt? Cur in suis miserijs & ærumnis tuam opem non implorant? In te, in te Christi Iesu oculos conijciant, te medicum suum & pastorem, te Regem & Dominum præpotentem, te suum vindicem & assertorem pendentem de crucè cùm videant, te quærant, te obsecrent & imitentur, te velint & vnicè diligant, nihil præter Crucem, præter Christum Cruci affixum verum ac solidum intelligentes. Per Crucem tuam sanctissimam, per manus & pedes clauorum diritate transfixos, per latus hasta terrifica traiectum, per mortem denique tanta cum alacritate pro genere hominum oppetitam, fac vt Crucifixi Iesu virtutis ac donorum participes in cœlestem Beatorum aulam veris ac sempiternis bonis in perpetuum redundaturi conscendant.

De lamentatione Virginis prope Crucem, ex superioris Exercitationis præceptionibus.

CVm Virgo Maria Corpus Christi Iesu sanctissimum iam ablatum de Cruce sumpsisset in brachia, & in sinu gremioque suo collocasset, pro puluino brachium capiti diuino subijciens sinistrum, quantum doloris acceperit, quantum lacrymarum profuderit, dicto profecto est incredibile: nam primum oculos illos collacrymantes in os & corpus Filij sui conijcere, defixis & stupentibus oculis intueri, respicere, contemplari, mox faciem suam in os vultumque filij amantissimi dejcere, & filij sanguine os cruentare suum, lachrymis faciem spargere Christi Iesu cruentatam, & inter spinas illas, & aculeos acriter vulnerantes faciem versare suam, osculari sæpè, ac sæpius, nec auelli posse magnitudine doloris infiniti ab ore vultuque

vultuque filij sui amantissimi videbatur. Cum verò paululum sustulit caput, & os suum, & oculos in faciem filij diuinam coniecit, cum caput illud spinarum aculeis, tot ex omni parte patentibus fenestris perterebratum, deformatam faciem, & sputis respersam plurimis, labia leporis & suauitatis plenissima, fœdata adeo, liuentiaque, manus illas clauis traiectas, pectus patens & apertum, pedes perfossos, totum corpus mille plagis ac vulneribus concisum aspiceret, & proloqui non posset, præ dolore, præsensu maximo acerbissimoque, quid verborum illam tacito secum animo fecisse coniicimus? cælestes ac diuini spiritus flete cum Virgine sanctissima, flete sedes cælorum celsissimæ, flete orbes globique cœlestes, quæque toto Mundi ambitu continemini, fletum & lacrymas Mariæ comitamini. Complectitur Mater corpus filij discerptum ac dilaniatum, acriter vehementerque constrictum pectori suo admouet, & loqui secum incipit animo menteque cælesti. Estne hic filius ille Nazarenus, filius meus amantissimus Iesus, quem interuentu spiritus diuini concepi, quem tanto gaudio & voluptate edidi in hanc lucem, cuius natalitia cælestes spiritus diuinis cantibus concelebrarũt? Vbi speculum pulchritudinis eximiæ? vbi splendor oculorum? vbi claritas oris diuini? vbi suauitas & dulcedo sermonis? vbi conformatio corporis tanta lineamentorum compositione decorata? nihil voces meæ, nihil taciti clamores valent? mutusne & elinguis es? oculi lucem amiserunt iucundissimam? non modò vetus dignitas non est, sed summa apparet deformitas, vita extincta, lux obscurata, pulchritudo deformata cernitur. Quæ illæ manus, quæ tantopere faciem & os cæleste deformarunt? quam manibus meis coronam capiti spinarum impositam attrecto? quod intueor vulnus in tuo latere sanctissimo factum? O summum Dei sacerdotem! quæ meis oculis in tuo corpore intueor impressa insignia? quis maculis aspersit & notauit fœdissimis speculum, & pulchritudinem cæli clarissimam? hinc sunt oculi Solis splendore clariores? hæne manus, quibus à mortuis excitabantur homines? hocne os illud cœleste, vnde quatuor flumina paradisi profluebant? fili mi, dulcedo mea, ex me nate, caro & sanguis Mariæ, vnde hæc tanta tamque vehemens concitata tempestas? qui fluctus ac procellæ, vim in te suam incitatam contulerunt? fili mi, Christe Iesu, quid mihi fiet in posterum, quid Matri Mariæ sine te? quonam deinceps ibo? Quis opem & auxilium feret? cum viri, cum Mulieres Mariam adeant, vt à Filio

suo opem & auxi ium in suis miserijs & periculis impetrent, vt tua virtute cœci lucem oculorum, claudi incessum, muti sermonem, & alijs membris quibuscunque capti liberam solutamque functionem recuperent, quodnam illis responsum largiar? mortuum iam, & inimicorum crudelitate peremptum, parentem generis hominum, perfugium & anchoram tutissimam, solatium & leuamentum afflictorum vnicum respondebo? Fili mi, Iesu mitissime, requies antea, suauitas & iucunditas Mariæ, modò gladius acerrimus, & telum doloris maximum, quidnam obsecro mali fecisti? quidnam sceleris admisisti, cur Iudæi te sustulerint in crucem ignominiosam? quænam causa mortis tam crudeliter allatæ? hæcne merces, hoc præmium virtuti persoluitur? sic homines grati sunt ac memores beneficiorum acceptorum? vsque eò procedere potuit peruersitas & nequitia Mortalium? vsque eo bonitas etiam progredi, misericordiaque Dei immortalis infinita? tantopere maiestas diuini numinis peccati prauitatem odit & execratur? tanta est seueritas, tam grauis ac vehemens vindicta diuinæ Iustitiæ? tanti denique Deus immortalis salutem hominum & vitam immortalem facit? O suauissime iucundissimeque Iesu, te filium, te patrem, te sponsum, te Magistrum, te socium & comitem, te meum solatium, meum leuamentum, dulcedinem, suauitatem, ac requiem habebam: modo patre, sponso, præceptore, socio, iucunditate, suauitate, delicijs meis, requie, & bonis omnibus orbata sum, te mihi sublato Iesu sanctissimo, mitissimoque. Non iam videbo Iesum meum ingredientem domum meam, fessum, & defatigatum ex itineribus: non amplius abstergam faciem tuam vultumque diuinum, sudore manantem plurimo, non ardorem Solis patientem: non perferentem molestias itinerum & asperitates maximas reficiam ac recreabo: non te discumbentem mensæ cum Maria, & cibum manibus tuis sanctissimis capientem, & reficientem animum meum præsentia tui numinis aspiciam. Extincta iam est Mariæ gloria, iucunditas & lætitia Mariæ sublata abijt & excessit: hinc mœror, hinc luctus, hinc solitudo, hinc lamenta Mariæ incipiunt. Non loqueris verbum vllum mi Iesu? nullum verbum parenti tuæ facis, Agne mitissime O diuinum os ac cœleste, cuius suauitate tot hominum millia à mœrore ad lætitiam traducta fuerunt! Cuius virtute tot muti & elingues loquuti sunt, cur ita siles & obmutescis, neque matri tuæ vno saltem verbo responsum largiris? cur vel legatum

aliquod

aliquod ad animi mei consolationem, & ad tanti saltem doloris leuamentum non relinquis? tua venia facultateque concessa capiam legatum istiusmodi: coronam hanc crudelissimis sentibus in circuitu refertissimam, hanc hastam sanguine tuo stillantem iure hæreditario accipiam, has gemmas & margaritas pretiosas in animo reconditas & abstrusas seruabo: in visceribus meis inhærebunt claui tam acuti, in medullis & præcordijs hærebunt infixi spinarum acriter pungentes aculei, tuæ virgæ, tua crux sanctissima. Hanc ego hæreditatem opimam & præclaram, hanc bonorum partem præcipuam, quæ hæres sum, quæ iure ac legibus in filij mei bona debeo succedere deligam, & per omne vitæ meæ tempus conseruabo. Quàm breues sunt voluptates & gaudia huiusce sæculi! quam grauis & acerba doloris magnitudo! quem dolorem affert post secundam fortunam flatus aduersus! O Bethleem & Hierosolymæ, quàm longè alij fuerunt & dissimiles admodum dies, quos in vtraque sede, mœstos ac lætos, tristes & iucundos egi! illa nox Natalitiorum filij mei, quàm plena iucunditatis ac lætitiæ! dies hæc quantum mœroris & acerbissimi luctus affert? quantis illa nocte suauitatibus & iucunditatibus cœli, quantis opibus ac diuitijs cœlestibus abundaui! in quanto nunc mœrore ac dolore sum! quibus anxietatibus, & angustijs conflictata! quàm inops & rerum omnium egens! O paranymphe cœlestis! O diuine Gabriel, vbi salutationis antiquæ laudes amplissimæ? vbi cumulus ornamentorum? vbi tantus honos, & immortalis gloria tributa? Non immeritò aspexisti turbari Mariam, & expectare quorsum euaderet tantæ legationis glorioſa celebritas, & diuina prædicatio. Laudes enim & præconia tanta consequi debebat doloris magnitudo & crux acerbissima. Non afficit sui studiosos, & cultores sui nominis maximos suis donis ac muneribus maximis Deus immortalis, nisi expectans mutuam cœlestis gratiæ virtutisque impertitæ, vicissitudinem plurimam: nunquam honorem oneris expertem, neque principatum difficultatibus vacare maximis, neque gratiam labore liberam ac solutam esse Maiestas diuina voluit: id temporis me gratia cælesti plenam appellasti, modo doloris acerbitate magnitudineque premor. id temporis fœlicem ac beatam præ reliquis dixisti mulieribus; modo præ cunctis anxiam afflictamque vides: id temporis Deum ipsum nunciasti cum Maria esse, mecumque commorari sede ac domicilio ab infinita sæculorum æternitate

nitate delecto ſuæ maieſtatis, modò mecum præſens eſt, & adeſt, ſed mortuus, & vtaſpicio, crudeliſſima morte peremptus. O maxime generis humani vindex & Aſſertor benigniſſime, commeruine iſtud mali, quod tantum edito te ſuſceptoque in hanc lucem gaudium & voluptatem accepi? in culpane fuit illa lætitia incredibilis, qui tibi lac ſugenti, & vberibus maternis inhianti mammas in os diuinum inferebam? Errauine fortaſſe, cum in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquieiebam, neque à facie cœlesti oculos deiiciebam vnquam? cum te præſentem viderem? cum tuum ſermonem audirem? cum tota ex ore tuo cœleſti diuinoque penderem, neque poſſem tantæ ſuauitatis, tantæ iucunditatis magnitudine meum vnquam explere ſatis animum? Peccauine, & contra tuam diuinam voluntatem veni, quæ carum adeò, quæ tam eximium ſemper, quæ te meam voluptatem, quæ meas maximas delicias & amores habuerim, duxerimque ſemper? O Pater Æterne! O pie miſericorsque Deus valde humani generis amans, & grauis ac vehemens in Filium! Tu noſti optimè fluctus & tempeſtates animi mei vehementiſſimas, tu teſtari potes toties Mariam mortem oppetijſſe crudeliſſimam, quoties filius Chriſtus Ieſus virgas, quoties vulnera plagasque grauiſſimas ſuo corpore excepit. Sed adhuc præ cunctis mulieribus vexata conflictaque grauiſſime, pro tanto dolore, pro tantis acerbitatibus, & pro cruciatibus huiuſmodi gratias tibi immortales ago. Id mihi ſatis eſt, te velle ſempiterne Deus, vt ego velim & appetam, & deposcam, dummodo tibi collibitum fuerit mucronem in viſcera libens ac lætans infigam, proque beneficijs & pro doloribus, pro rebus ſecundis & aduerſis laudem & honorem maieſtati tuæ cœleſti tribuam. Cœleſtes ſpiritus numen tuum eximijs laudibus efferant; his lacrymis meis maieſtatem tuam extollam. Sed obſecro te Pater Æterne, ſi tuæ bonitati collibitum fuerit tres & triginta continuos annos laborum & acerbitatum mearum pleniſſimos recorderis: his contentus eſſe velis, quum totos annos doloribus & cruciatibus acerbiſſimis nunquam vacuam me quidem egiſſe, tu teſtis es optimus. Ab illo puncto temporis cum calicem harum acerbitatum Simeon mihi prædixit in templo medijs meis lætitijs ac iucunditatibus, ſemper interuenit huiuſce diei memoria, ſemper illius recordatio abſtulit gaudium, & crebris incurſionibus viſcera Mariæ perculit in præcordijs inhærens acerrimè. Certò ſcio prouidentia ſingulari, maximoque tui nominis conſilio conſtitutum

ſtitutum iſtud ac deliberatum, vt particeps eſſem & conſcia tanti myſterij, quamque filius ab illo puncto temporis cum conceptus fuit in vtero meo, cogitatione complexus fuit, & ante oculos crucem habuit, vt mater etiam animo ſuo complecteretur, & in præcordijs fixam habere nunquam deſineret: ſed ſi diuinæ tuæ maieſtati collibitum fuerit, ſtatue iam tandem modum hiſce laboribus & cruciatibus & acerbitatibus meis, vt cum filio meo moriar mater & ſepeliar, nec ab illo diuellar in morte, quem viuens in oculis & in animo geſſi ſemper, atque adeo in præcordijs infixum & inhærentem nunquam habere deſij. O mors cur adeo crudelis, vt ab illo me abſtrahas, in cuius vita conſiſtebat mea? Interdum crudelior videris in conſeruanda, quam in auferenda vita. Quam benigna, ac miſericors eſſes, ſi de medio vtrumque abſtuliſſes? nunc crudelis es in auferendo filio, crudelis etiam in matris incolumitate ſeruanda. Hæc ſecum tacite Virgo loqueretur, à cuius luctu & lacrymis Ioannes & Magdalena non abſtinerent. Ioannes ſic loqueretur complexus corpus præceptoris ſui. O præceptor optime, & ſumme præpotenſque Domine, quis me diſciplina cœleſti, & arcanis diuinis imbuet? ad quem dubitationes meas & quæſtiones deferam in poſterum? in cuius brachijs complexuque acquieſcam? quis me participem diuinarum rerum faciet? quæ hæc tam ſubita repentinaque conuerſio? Nocte cœnæ cœleſtis cum diſcipulis concelebratæ recondita & abſtruſa cœli myſteria diſcebam, in complexu tuo ſuauiſſimum ſomnum capiens, & in brachijs tanquam in puluinis molliſſimis acquieſcens, modo gratiam referre videor te ipſum in meis mortuum, & acerbiſſima morte confectum ſuſtinens. Hæccine facies illa diuina, quam in monte Thabor immortalis gloriæ ſplendore circumfuſam aſpexi? hæccine facies Solis ſplendore clarior & illuſtrior? hoccine corpus, quod radijs omni luce clarioribus & illuſtrioribus in montis illius ſummo vertice micabat, & ſplendebat diuinitatis claritate cœleſti? lugebat etiam & flebat acerbiſſimè Magdalena, & pedes amplectens & conſtringens Aſſertoris Ieſu clamabat. O lumen oculorum meorum! O remedium vnicum, & medicina ſalutis meæ! ſi me pondere peccatorum oppreſſam, ſi grauitate ſcelerum ac flagitiorum conflictatam meorum me aſpexero, quem adibo? cuius opem & auxilium implorabo? quis vulnera, quis plagas meas ſua virtute ſanabit? quis opitulabitur mihi Magdalenæ? quis meas aget partes, & ex Phariſæi ore ac ſermone

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0415
DFG

mone defendet? quos ego pedes aspexi, quos splendere ac nitere vidi, cùm ad plantas prouoluta supplex & lachrymans veniam petebam scelerum meorum, cùm rigabam, cùm perfundebam lachrymis, cum capillis meis extergebam pedes tuos sanctissimos, cùm illis acquiescebam, cùm osculabar, cùm debita demissione colebam, cùm in illis medicinam & leuamentum inueni, quos & quam longè alios, atque modo clauis transfixos, adeo deformatos, & sanguine manantes video! O lux ac vita mea animi! Egone te dicar amare? te vita mea cariorem habere? quum videam te mortuum non disrumpar, diuellarque dolore? In hunc modum flebat & lamentabatur omnis ille cœtus, & corona sanctissima lachrymarum largo flumine spargens corpus Christi Iesu sanctissimum, quod syndone inuolutum, & in feretrum impositum, in sepulchrum, in quod antea nemo fuerat illatus, efferunt omnes, & honore sepulchri recentis afficiunt. Hic sepulchrum saxo fuit obductum, sed cor Virginis obscura mœroris caligine.

De solitudine Virginis Mariæ, ex locis superiorum exercitationum.

FErreus equidem erit ille & omni diritate ferior, qui solitudinem Virginis non sentiat, & dolere non studeat totum hoc triduum sanctissimæ Matris orbitatem, quam videre videor conclusam in cubiculo, & in remotiore quodam angulo latentem & abditam, fenestris ac foribus occlusis in luctu ac mœrore iacentem, nec quidquam esse quod illam consolari queat, mortuo & è viuis crudeliter ablato Christo Iesu carissimo suo filio. Quid enim agat illa nisi flere, nisi gemere, nisi lamentari, quæ tantum boni amiserat, quæ tantum ac tam inclytum filium, nulla sua culpa, nullo scelere ac peccato, sed bonitate potius, & incredibili virtute, omnique sanctitatis laude cumulatum, ipsum auctorem virtutis, & principem innocentiæ, tam crudeliter tractatum, tam indignissimis modis vexatum, omni diritate confectum & vita spoliatum videat. Repetebat memoria pulchritudinem filij veterem, dignitatem oris & lineamentorum omnium conformationem, illam antiquam grauitatem tanta comitate coniunctã, tantum in ore leporem, tantam in sermone suauitatem, omni melle dulciorem, virtutem & sanctitatem absolutam, magnitudinem & præstantiam miraculorum, & illam diuinitatem cum natura humana

tam

tam admirabili societate coniunctam. Redigebat in memoriam legationem Gabrielis & nuntium ab æterno sibi Patre missum, tot & tam innumerabiles laudes, tantum cumulum virtutum maximarum, fœlicitatem & diuinitus adiunctam fortunam Filij Dei immortalis in vtero concepti interuentu spiritus diuini, nulla filiæ Virginis labe, nec accepta offensione minima. Recordabatur natalitia Christi Iesu; veniebant in mentem cantus diuinorum spirituum; cultum & adorationem tanta cum demissione tributam ab pastoribus, & illum ex remotissimis orbis terræ partibus aduentum Regum Magorum, cum nominis immortali gloria sibi comparatat deinque præstantiam in genus Iudæorum, quæ mens cogitare posset, perpendebat & contemplabatur: singula Virgo meditabatur, & conferebat superiora cum præsentibus, natalitia cum morte filij, honorem cum ignominia, laudes & honores cum probris & contumelijs, dignitatem cœlestem Christi Iesu cum indignitate crudelitateque Iudæorum, beneficia cum maleficijs hostilibus, tantam pulchritudinem cum tanti insigni deformitate, veterem formam & spectatam figuram, cum deformata, fœdataque corporis & oris præstantia, denique mansuetudinem tanti Agni, cùm impietate feritateque Solymorum, robur & magnitudinem patientiæ cum comprehensione, cum virgis, cum probris omnibus & allata morte crudelissima. Hæc omnia quoniam proloqui non posset, præ sensu, præ dolore maximo secum sic agitaret, versaretque animo, vt se ipsam modo, sæpe filium, inimicos aliquando, interdum Patrem Æternum alloqueretur; Obtestaretur cælum, imploraret diuinos spiritus, & hanc vniuersam molem & machinam in suos luctus & lacrymas adduceret. Cur illa tuorum natalitiorum gaudia in mœrorem essent luctumque conuersa? cur cantus diuinorum spirituum in dolorem & lacrymas mutati? vbi, iceret, laudes Gabrielis? vbi lætitia nuncij allati? vbi fœlicitas fructus cœlestis? siccine Dominus mecum est, quem non viuum, sed mortuum & sepulturæ mandatum video? me præ cunctis mulieribus fœlicem ac fortunatam Gabriel prædicauit, quam nunc mœstam adeo & in luctu lachrymisque iacere necessarium est, magis vexatam, magis conflictatam quàm omnes, quotquot casibus & ærumnis acerbissimis in orbe terrarum vniuerso premuntur conflictanturque miseræ calamitosæque mulieres. Quid commeruisti fili, qui sanctitas es & innocentia, virtus absoluta, perfectaque gloria Beatorum,

torum, lætitia diuinorum spirituum, exemplar consummatæ perfectionis, speculum pulchritudinis immensæ, fons perennis & inexhaustus sapientiæ, effigies & splendor Patris Æterni, Deus summus & immortalis, opifex & architectus cœlorum, potentissimus Regum & Imperatorum huius sæculi maximorum Dominus? itane sanctitas supplicijs nequitiæ, innocentia pœnis facinorosorum afficitur? Virtus æque atque vitium & scelus mulctabitur? gloria pro dedecore & ignominia ducetur? lætitia in mœrore & luctu, in sordibus & squalore iacebit? exemplar virtutis absolutæ feret latronis & heluonis, & scelerati dedecus & ignominiam? speculum pulchritudinis maculis & notis omnibus turpitudinis aspergetur? sapientia feret pretium stultitiæ, imago diuini numinis maculabitur, speculum pulchritudinis notabitur labe detestandæ fœditatis? Deus ipse virgis cædetur, & spinis coronabitur, atque adeo vim & potentiam sui numinis occultabit, vt infirmitas habeatur, & imbecillitas summa? quas ego virgarum notas in tergo sanctissimo, quas plagas & vulnera grauissima vidi? Quam præcipue in medio tergo plagam luculentam disruptis discerptisque omnino carnibus tuis integerrimis? Cum crucem humeris comportabas, non fune de collo pendente constricto corpore procedebas spinarum aculeis acerrime transfixus? Quæ illa Regis præpotentis insignia? non auro gemmisque micantibus diadema fulgebat in capite, sed sentes & spinæ terrificæ eminebant: non torquis collum circumdabat pretiosa, sed funis asperrimus crassissimusque: non nitor corporis & ornatus Regiam præferabat maiestatem, sed deformis & contempta purpura fœdabat, dedecorabatque corpus tuum: non fasces Regiæ Imperatoriæque maiestatis præferebantur, sed damnati & ad mortem ignominiosam deducti: non pompa & apparatus Regius ornabat suam celsitatem, sed tumultus & strepitus satellitum mortem & ignominiam prædicantium: non ad arcem, non ad solium, sed ad mortem, ad patibulum deducebaris: non vlla misericordia, non benignitate, quæ damnatorum pœnam aliqua ex parte leuare videtur, sed inaudita crudelitate, ferinaque immanitate sudans & anhelans, cum pondere Crucis grauissimo, & voce præconis ignominiæ dedecorisque plenissima. Cum verò in crucem sublatus fuisti, quam inimici non exercuerunt crudelitatem? quod impietatis genus non exprompserunt? cum impetu magno, terrifico-
que fragore, crucem, cui iam affixus eras in foramen deiece-
runt

sunt imum hostes immanissimi. Atque id temporis contremefieri membra totius corporis sanctissima, partes discerpi dilacerarique magis necessarium erat. Mitto felle mistum acetum, quod ad sitim explendam satellites crudelitatis porrexerunt. An oculos illos obrutos, pallidam faciem, os deformatum, sublatum pectus, corpus nudatum, expositum frigori flatibusque ventorum sine summo dolore recordari possumus? Nunc in meum latus extorqueri visa est, & pectus traiicere ac vulnerare cor Virginis hasta vi summa contentioneque immissa brachiorum. Nunc mortuus & sepulturæ mandatus in meis hæres præcordijs ac visceribus Iesu sanctissime, tuas virgas, tuas spinas, tuam Crucem, tuam mortem perpetior: nec quid agam scio, dum delicias meas, & amores, vitam & suauitatem, tantam virtutem & sanctimoniam, tantam pulchritudinem & splendorem, sapientiam Patris, & gloriam cœlestis aulæ Christum Iesum à me ipsa video abstractum crudelissimeque diuulsum, atque adeo vita per tantam impietatem orbatum. Si parentes, quæ filios aliqua virtute præditos amiserunt, quamquam cum honore sepultos videant, seipsas continere non possunt, quin lacrymas effundant acerbissimas, & in mœrore & sordibus iaceant multos dies luctu ac lacrymis propè confectæ: quæ filium interuentu Spiritus diuini conceptum & nulla labecula virginitatis editum in hanc lucem, filium Patris Æterni, Deum ipsum & opificem cœlorum amisi, quo sensu, quo dolore afficiar? Vos petræ saxaque dirissima, horrendo discissa fragore è vestris omnino fuistis euulsa sedibus: vos sepulchra mortuorum testamini, quæ patefacta è sinu complexuque vestro multorum corpora emisistis in hanc auram vitalem: tu denique testare fulgentissima diei lampas Sol splendidissime, qui tantam facinoris immanitatem execrans offudisti tenebras orbi terrarum vniuerso, ablata de medio diei luce clarissima: & non mœroris caligine ac tenebris obscurissimis obducetur animus Mariæ, cum mutæ res, lapides ipsi expertes rationis, cuncta quæ creata sunt, lugeant & fleant, quo modo & qua ratione possunt creatorem suum? Quantum lacrymarum effuderit Ioannes Euangelista aspectu præceptoris mortui, qui memoria repetere potuerit arcana cœlestia in sinu complexuque præceptoris accepta, quot diuinitatis Christi Iesu in genus hominum merita commemorarit ad augendum amplificandumque suum dolorem, vos ipsi, Auditores, cogitate. Non obliuiscamini Magdalenæ in Christum Iesum

amorem ardentem & inflammatum, in hunc Dominum charitatem accensam & flagrantem, quam non modo ad Domini pedes iacentem & collacrymantem, petentem veniam peccatorum in suam gratiam Christus Iesus accepit, sed pastu diuinæ meditationis delicijs & iucunditatibus Beatorum mitificè recreauit, atque ad eam, quam ex sacris litteris accepimus, absolutæ sanctitatis amplitudinem euexit. In quanto illa mœrore ac luctu iacuerit, monumenta Patrum grauissimorum testatum posteritati reliquerunt. Cuius si dolor inconsolabilis videbatur, si mœrebat & angebatur incredibiliter Ioannes Euangelista, si visus fuit elementorum sensus apertè cunctorum, & Solis repentina defectione mors Domini generi mortalium denunciata fuit vniuerso, si parentes filiorum mortem ita dolent & lamentantur optimorum, quæ vaicè diligebat, Christum Iesum, quæ conscia totmysteriorum, conscia diuinitatis, conscia virtutis diuinæ, quæ præ cunctis mulieribus tantis donis ac muneribus diuinis affecta fuerat, quæ tantam scientiam & notitiam habuerat, & omnium fuerat mansuetissima, mitissimaque mulierum secundum filium suum omnes virtute sanctitateque excellebat, ab Æterno Patre in Matris filij sui dignitatem ab infinita sæculorum æternitate delecta, & filium & parentem, & sponsum, & fontem bonorum omnium Christum Iesum recognouerit, quo mœrore, quo dolore, quo postremo sensu acerbissimo ob filij tanti mortem crudelissimam afficeretur? O belluam efferam! O feram immanem! O monstrum dirum & execrabile peccatum! In quas angustias duo hæc lumina cœlorum matrem & filium adduxisti? Tu peccator post plagas, post vulnera Christo IESV facta, post tot iniurias & contumelias tanto Domino impositas, post virgarum diritatem, post spineam coronam, post crucem & mortem filio Mariæ allatam, Mariam Virginem sanctissimam & Matrem Christi Iesu dignissimam in tantum mœrorem & luctum attulisti: tu flagris, tu spinarum aculeis cor & viscera Mariæ sauciasti: tu hasta cor eiusdem Virginis traiecisti: tu postremo morte crudelissima Virginem confecisses, nisi ad humani generis salutem, ad Ecclesiæ nascentis vtilitatem dono ac munere diuino Pater Æternus sua cœlesti prouidentia conseruasset. Si te non mouerunt adhuc vulnera filij sui, si non commouerunt cruciatus & acerbissima supplicia, si virgæ, si spinæ nihil adhuc apud te valuerunt, si mors oppetita pro salute sua

re tua cor ferreum & ex adamante factum non flexit ad pietatem, vt tui ipsius, vt animi tui miserearis, ne tuas cæcus ac præceps in exitium tuum, nec te præcipitem agas in inferorum regiones, obsecro, matrem hanc intuere, respice mœrorem & luctum, respice lacrymas illius acerbissimas, respice præcordia Virginis Mariæ doloris magnitudine perfossa, respice Reginam cœlorum, ianuam paradisi, imperatricem diuinorum spirituum, tui causa, tuis sceleribus in filium admissis in tanto luctu ac mœrore iacentem. Per luctum Virginis, per cruciatus acerbissimos, per lacrymas, per solitudinem tantæ Reginæ peccare desine in posterum: & cum illa luge mortuum & sepultum Christum Iesum. Ille qui pius est & benignus precibus tantæ Virginis animum durum ac ferreum cera ipsa molliorem ac leniorem reddet.

In eum qui alapam inflixit in Annæ Pontificis æde, ex superiorum Exercitationum Locis.

ARdet animus, nec se continere potest, Audacissime homo, quin facinoris tui audaciam ostendam paucissimis saltem verbis. Et quanquam audaciæ magnitudinem intolerandam dignè satis non ostendero, factum tamen audax & sceleratissimum proferam. Cerno enim mentis oculis Christum Iesum in Annæ domo luporum immanissimorum multitudine circumuentum: Dominum tantum accusant hostes, & arguunt seditionis, quæ ab auctore innocentiæ procul abest, & constrictum vinculis acerrimis tenent Agnum mitissimum, Annæ percontationem audientem & ad vestram accusationem iniquam & sceleratam nihil verbi facientem, respondentem duntaxat ad eam, vt de sermone, de verbis, qui præsentes fuerant, percontarentur. Ostendebat autem se nihil occultè, palam autem omnia & in templo colloquutum fuisse, quo multitudo Iudæorum omnis ad illum audiendum magno sæpè concursu confluxerat. Vix verbum hoc ex ore Christi Iesu exierat, cum proiecta & effrænata audacia minister vnus ex sacrilegorum hominum turba brachium intendens, manum apertam sustulit, & quanta vi potuit (vt fragore multo personaret palatium) Assertoris Iesu colaphum impegit, quinque digitos in illa cœlesti diuinaque facie relinquens expressos. Rubere statim os Assertoris, videri

notæ signaque ictus vehementer infixi, notata facies quinque digitorum numero insigniter inusta rosas spirate flagrantes, neque Agnus mitissimus se commouere. Cùm minister argueret illum inurbanitatis, & obiiceret honorem & dignitatem Pontificis suo responto violatam, nullum aliud Iesus proloqui verbum visus est, sed iubere quærere de ministro duntaxat, quinam crimen & culpam testaretur, proferret in publicum: si nihil meruisset, cur ita cæderet? istud est primordium luctuosæ Christi Iesu tragædiæ: ab hoc audacissimo sceleratissimoque ministro factum initium inuadendi in os & in faciem Assertoris Iesu. En faciem illam omni venustate pulchriorem deformatam inflicti colaphi crudelitate, imaginem pulchritudinis ictus vehementissimi contentione perturbatam, splendorem Solis radijs illustriorem digitis audacissimi hominis turpiter obscuratum, exemplar Patris Æterni manus istius audacissimæ turpitudine fœdatum. En speculum Mariæ crystallino fulgore clarius, fœditate spurcissimæ dextræ inquinatum. Non hic rubor ille naturalis, omni rubore clarior & illustrior, rosarum pulchritudinem obscurans, non forma cœlesti ruboreque diuino splendens, sed prauitate mortalium notis inustis ad dedecus & ignominiam maximam. Quòd si repetere memoria volueris tanti Domini pulchritudinem, & eximiam illustremque dignitatem, formam figuramque spectatam, vincentem omnium pulchritudinem, & splendorem obscurantem virorum; considera fontem esse pulchritudinis eximiæ, speculum cœlestis diuinæque claritatis, interuentu spiritus diuini in vtero Virginis Mariæ conceptum, & illius decor illustris, dignitas insignis, conformatio miranda, denique cœlestis claritas & splendor, dotes omnes & lumina confestim apparebunt. Interim quomodo mortales ex rerum pulcherrimarum aspectu consequi possunt huiusce Domini pulchritudinis diuinæ particulam aliquam. Complectamur illum mentis oculis illa tranquillitate frontis, splendore oculorum, dignitate oris, suauitate sermonis, compositione corporis, conformatione lineamentorum & incessu, in statu, in motu, singulari grauitate, auctoritate cœlesti, dignitate diuina, vt nihil oculis hominum neque cogitatione possit obseruari ex omni parte præfectius, neque quidquam magis absolutum reperiatur vnquam in aula cœlesti, cuius pulchritudo venustatem & aspectum cœli, terræ, omnis generis mortalium obscurat, at sacer lege minister, homo nefarie, violatus est & ictu colaphi

phi percussus. Age quem percusseris non animaduertisti? in quem irrueris audacia tam effrenata non vidisti? cedo causam, quam afferes impudentiæ tuæ, & furoris rationem? Tu imprimis vnus ex præsentibus, primus ex tanto sceleratorum grege, tu princeps & auctor inuadendi: à te cæteri, qui postea violarunt IESVM, qui in caput illius, qui in capillos, qui in faciem irruerunt, occasionem ad suscipiendum tam immane facinus arripuerunt. Te præeuntem quasi Antesignanum sceleris, Principem tantæ audaciæ consequuti fuerunt. Quod in Caiphæ ædibus, tot postea ictibus percussos idem Dominus, quod tot colaphis nefariè cæsus, quod impetus in illum toties factus, quod facies diuina tegumento veli obducta, quod alia in tam mansuetum & mitem Agnum in eadem domo commissa scelera fuerunt, tu princeps & auctor fuisse visus es, primum manus inijciens ori diuino, & in faciem cœlestem ictu tam vehementi furenter inuadens. At quomodo irruisti? quem ictum inflixisti? quanta vi, contentioneque manus potuisti? intendisti brachium, sustulisti manum, aperuisti palmam sacrilegam, & porrectis & intentis digitis omnibus, audacter in faciem Assertoris inuasisti. O bellua, O fera immanis! Tunc illam inuadere faciem, tu in os irruere IESV Christi? tunc manibus sacrilegis genam appetere? Tunc alapam impingere? tunc signatum os relinquere ictus vehementissimi robore diceris? cuius os nemo vnquam aspicere, nisi summa religione, nemo videre, nisi venerabundus, & ad tantam maiestatem prouolutus intueri audebat? Oza, quod arcam Domini tetigerit, & animo retinendi, ne præceps rueret in terram, repentina morte confectus humi concidit: multi quod templum Domino consecratum audacia proiecta, cæcoque furore violare ausi fuerunt, pœnas graues audaciæ suæ dementiæque dederunt: tu arcam veram, viuum templum Christum Iesum, Deum immortalem aggredieris, violabis, & Iesum vehementissime cædes? En manum tuam indicem sceleris, en digitos auctores tanti flagitij & notas & vestigia audaciæ, execrandique facinoris in ore Domini expressa ad amentiæ tuæ testimonium, memoriamque detestabilem: tui sunt illi digiti, tuæ manus & digitorum est illa effigies imagoque nefaria. Quid habes quod respondeas audacissime sceleratissimeque homo? non Agni modestiam, non oris dignitatem, non in tanta facinoris audacia demissionem, admirandamque mansuetudinem animaduertis? non patientiæ magnitudinem, non al-

teram genam offerendam, præbendamque tuæ sacrilegæ manui promptissimam paratissimamque voluntatem intueris? Quam affers causam audaciæ, quam facinoris excusationem? Age, purga teipsum de tanto facinore præsentibus. Quod audacter, quod intemperanter, inquis, Iesus responderat Pontifici. Quod mitius dari responsum, quod leuius fieri verbum potuit? Quod magis ad Pontificis explendum animum, & ad rei, quam ab illo perconctatus est Pontifex idem, veritatem testandam magis appositum esset? Pontifex testimonium quærit, testes efflagitat: quos vult ille, producit Iudæos ipsos inimicos Christi IESV? Christus Iesus omne genus hominum, viros omnes, qui in templum ad illum audiendum confluxerant, qui se Iesum in conuentu maximo frequentiaque verba tanta facientem audierant, omnes adhibet, nullum recusat, teipsum non excipit testem sceleratissime nequissimeque homo. Non Ioannem, non Petrum, non aliquem ex discipulis, ex socijs & comitibus suis profert neminem. An quidquam Domino huic magis infestum, an quidquam eidem IESV magis perniciosum? Accusa Iesum si quid audisti contrarium legibus vestris fecisse: si quid infestum illum diuinis præceptis præstitisse. Non populum concitauit, non abduxit multitudinem, non à cultu religioneque Dei immortalis abstraxit. Obiurgauit vitia, increpauit superbiam, reprehendit scelera, in crimina publicè commissa fuit inuectus, & viam ille cœlestis aulæ patefecit, & ad illam omne genus hominum excitauit. Ita concionatus fuit, vt conciones robore diuini spiritus muniuerit. Ita verba fecit, vt omnes illum loquentem verbaque facientem admirati fuerint. Ita vobiscum versatus fuit, vt illius verbis vita sanctissima integerrimaque consentanea fuerit. Hanc diuinis operibus, stupendis miraculis, omni virtute cœlesti confirmauit. In templo, in templo inquam concionatus fuit, non in remotis siue concursu, desertisque locis, in magno hominum concursu celebritateque, non in conuenticulis, nocturnisque conciliabulis, in media lucis claritate, non in tenebris & caligine, Pontificibus ipsis & Pharisæis præsentibus, cùm his non colloquutus solùm, sed acerrimè disputauit, eisdem non respondit duntaxat, sed satisfecit cumulatè atque conuicit sæpissimè, magnificeque superans, mutos & elingues reddidit. Ad hos non verba solum fecit, sed eos insçios & ignaros sacrarum litterarum docuit, & præceptis diuinis imbuendos, informandosque curauit. At seruus tu Pontificis, minister

ster Annæ, illius pane vesceris, sumptibus & expensis aleris: seruus Annæ debes illius honori inseruire, respicere dignitatem, & auctoritatem Heri in Pontificia sede collocati. Esto seruieris, aut ministraris eidem. Demus hoc impudentiæ tuæ, demus audaciæ, concedamus furori: sed Annæ quæstus? iniuriam illam duxit? ded tibi partes vlciscendi? minimè innuit, vt inuaderes, neque id quidem visus est significare. Cur ergo id facis? tuum illud scelus, audacia tua fuit, cæcus ac præceps furor: à te factum est initium violandi Christi Iesu. Fueris minister, id est seruus, infima fortuna, conditione contemptissima, obscuro genere, nullo honore, nulla æstimatione, scelere, perfidia, audacia, impudentiaque notatissimus; scilicet in brachia, in corpus, in collum inuasisti, in aliquam non tam præcipuam corporis partem diffæuisti, propulisti Dominum, aut minitatus obiecisti solum os tuum impudens, & sacrilegum, oculos ardentes, inflammatum vultum? O furia! O pestis! O labes, ac pernicies! in faciem, in faciem inquam, in celsiorem Domini partem, in os diuinum inuasisti. Quod spiritus diuini contemplantur assiduè, & illius aspectu reficiuntur mirandum in modum, quod est claritate cœlesti circunfusum, atque adeò cœlorum pulchritudine, Solis splendore, omni re quacunque speciosissima clarius & illustrius. Quod cùm vidisset Petrus in monte Thabor immortalis gloriæ claritate splendidissimum, illius splendoris magnitudinem admiratus ad tria tabernacula facienda Christum inuitauit. Quid dicam de B. Maria, de Matre Virgine integerrima? Quæ Christi IESV faciem, delicias suas, quam voluptatem dicebat suam? ea se oblectabat, illius pulchritudine se reficiebat, pascebat animum, demulcebat sensus omnes, & de tantæ pulchritudinis magnitudine dies noctesque cogitabat. Iesum absentem mente complectebatur, neque demittebat cogitationem illius vnquam: in præsentis ore vultuque acquiescebat, nec à tanta pulchritudine deiiciebat oculos, suauitatem suam, suam iucunditatem & voluptatem cœlestem ducens, & habens omni vitæ suæ tempore. Hanc tu igitur faciem appetes? hanc lædes? hanc violabis iniquissimè dementissimeque minister? Quod non simul atque brachium sustulisti, & intentasti manum illam, illa cohorruerit antequam furenter in Domini faciem immisisses; quod non tu mortuus concideris morte repentina, antequam scelus tam immane susciperes, mirum fuit & stupendum

planè. Minoribus quidem flagitijs inquinati vitam amiserunt in ipsa sceleris suscipiendi cogitatione, cum nondum conata perfecissent. Sed abieris tu scelerate, euaseris impunè, abi, concita alios ad similes in Caiphæ ædibus ictus infigendos, ad similes impingendas alapas. Non hoc contentus erit vno deterrimo facinore, qui tantam semel & tam furenter perfidiam susceperit. Vos verò Auditores, obsecro à maleficijs abstinere manus: ne bonis alienis iniiciatis manus: ne violetis manuum vestrarum ictu splendidum, nec minimum aliquem hominem, nec cuiquam iniuriam faciatis: ne dedecoris & ignominiæ maculam inuratis, per faciem hanc cœlestem ac diuinam, per alapam, per ictum tanta magnitudine patientiæ toleratum; per ruborem exortum statim, atque colaphus fuit infictus, per animum, per voluntatem Christi Iesu ad plures humani generis causa colaphos & ictus perferendos alacrem & erectam, sic expertes huiusce reliquorumque flagitiorum culpa vacui pœnas ministri istius audaciæ furorique debitas, nullo vnquam tempore formidabitis.

In Pilatum qui Christum Iesum mortis damnauerat, exercitatio ex superioribus locis constans.

TAndem aliquando ad Pontium Pilatum iudicem iniquissimum veniamus, & illius sententiam ex scelere & mendacio latam in humani generis Assertorem excutiamus, & quantum peruersitatis quantum prauitatis & nequitiæ fuerit in illo, perspiciamus. Non enim contentus fuit supplicijs grauissimis in Agnum mitissimum constitutis, nisi tandem in exitu huius tragediæ luctuosæ auctorem innocentiæ mortis condemnaret crudelissime. In qua re primum cernite mentis oculis quanto strepitu ac tumultu, quo fragore militum armatorum, quibus & quàm horrendis clamoribus in Pilati palatium Christus introducatur. Ille autem amota turba, procul à multitudinis concursu, remotis arbitris deducere secum Christum Iesum, conuenire, alloqui, quod fieri solet in lite intenta, & in iudicio grauissimo seueriss imoque excutere, tanquam reum Christum Iesum rogare multa, obiicere, quæ in illum accusatores conferebant, considerare primò rem attentissimè, nihil mali in Christo reperire, culpa potius vacuum, & omni

omni criminis suspicione liberum aspicere, denique diligenter attendere Principum & Pharisæorum inuidiam, & hanc causam ad scelerati Christi Iesu, & per summum scelus accusati. Itaque multo post interuallo, aut cum aliquid spatij intercessisset ad consilium capiundum, & ad internoscendam causam redire visus est Pilatus ad multitudinem & auctores accusationis. Principes multitudinis alloqui, & quidem humaniter & comiter satis, vt ad lenitatem aliquam eorum animos traduceret, & ab exitio Christi Iesu, de cuius pernicie cogitabant, mentes abduceret. Non desijt dicere, confirmareque constanter, extra omnem culpam esse Christum Iesum, nec vllam se hominis innocentis, & omni culpa vacui damnandi causam inuenire: sed si mos esset, & illorum inueterata consuetudo hominis alicuius dimittendi, se dimissurum esse lætis his & celebrioribus Agni diebus Christum Iesum, tradituruum autem insignem & valde celebrem latronem Barrabam, seditiosum, & turbulentum hominem, & propter cædem factam in vincula coniectum. Quid hic existimatis respondisse Principes? Quid Pharisæos? quid denique cæteros consortes tantæ comprehensionis satellites & administros? O consilia summi præpotentisque Domini! O cœlestia diuini numinis arcana! O cogitationes sempiternæ maiestatis reconditas & abstrusas, & tam ab humanis mentibus longe disiunctas! omnes vnà vociferationibus & clamoribus horrendis dimittendum Barrabam, Cruci affigiendum Christum Iesum deposcunt. Quid agere Pilatus, quid contendere visus est? primum voluit obsistere populi clamoribus, deinde flagris cæsum, & spinis coronatum tradere Christum tollendum in crucem. O sententiam execrandam! O Iudicium nefarium! O Iudicem sceleratum & impium! Attende Pilate confessionem: sis apud te, sis ad veritatem, obsecro. nonne excussisti causam? non Iesum extra culpam posuisti? non id dixisti, confirmastique constantissime? non innocentiam testatus, & virtutem Christi Iesu maximam? non tu adhibuisti locum, tempus, consilium? Qua igitur de causa mortis damnas, & tollendum in crucem Christum Iesum sententiæ tuæ auctoritate decernis? Quis vnquam Iudex id fecit? quis statuit, ac decreuit palam & manifesto, nullis probationibus, nullis instrumentis, nullis testibus, nullius criminis conuicto reo. Adeone excors es, & amens? vt repugnantia & longe disiuncta inter se non animaduertas? Rerum omni scelere vacare, & extra culpam esse testaris. & nullius malefici conui-

ctum, per summum scelus & nequitiam damnas? si innocens est, & integer pœnas afficiendum decernes? Atque non quæro, quàm iniquè egerint Annas, quàm nefariè Caiphas, quam temerariè Herodes, qui quanquam omni supplicio pœnaque digni fuerint, quod in vnius ædibus alapa cæsus fuerit Christus Iesus, in Caiphæ per totam noctem pro ridiculo ac delectamento militum habitus, delusus & vexatus omnibus iniurijs, omnibus contumelijs & probris laceratus, & colaphis plurimis cæsus, quod etiam Herodes albente veste indutum, tanquam insanum & amentem, & omni iudicio spoliatum demiserit ad te Pilate? quanquam hæc sunt maiestate Assertoris indigna, quanquam impiè & nefariè commissa, quanquam intolerabilia planè; tamen si conferantur cum sententia a te allata, cum supplicijs mandato tuo exercitis, cum supplicio mortis acerbissimo, quid habent indignitatis & acerbitatis? O crudelis, O ferox! ludexne tu Pilate? tune ad dirimendas quæstiones, ad contentiones componendas, ad odia placanda, ad seditiones & turbas sedendas, ad ius omni æquabilitate constituendum sedes ad Reipublicæ gubernacula, vt contra ius fasque omne sententiam feras atrociſſimam? Scilicet placare volens multitudinem, spoliatum vestibus, & alligatum ad columnam virgis innumerabilibus discerpsisti, plagis infinitis concissum ac dilaceratum cum corona spinea, & arundine in manu, vetustissima contemptissimaque purpura amictum multitudini visendum spectandumque proposuisti, si fortasse rabiem Principum & Pharisæorum, insatiabilemque sanguinis Christi Iesu exhauriendi sitim explere potuisses. O spectaculum terræ cœloque luctuosum, ipsis hominibus nunquam visum, Deo immortali diuinisque mentibus vindicandum! siccine te seruare leges, siccine te obire partes iustitiæ, siccine Iudicis officio fungi, siccine sedare temerè concitatum populum, ad scelus, ad flagitium sententiæ viribus incitando, atque adeo imperij tibi traditi gubernaculis, & potestatis Pontificiæ fascibus horrendis Rempublicam conturbare, innocentiam opprimere, & vita priuare crudelissime omni culpa vacuum Christum Iesum aspiciamus? Quid illa confessio? quid responsum Principibus & Pharisæis datum? Quid testata toties & confirmata tuo testimonio innocentia deposcebat? An vero manus abluendo sordes elui conscientiæ putas, & inusitas animo maculas morte condemnati Christi Iesu? Quid te impe-

impedit, ne liberes, ne absoluas hominem innocentem? voces populi, clamores Principum synagogæ, contentio tantorum hominum & adhibita vis, oppositæ minæ, terrores iactati, intenta pericula? Hæc plus apud te valere debent, quam æquitatis vis, & ratio veritatis, quam iura omnia humana ac diuina, quàm ipsa conscientia, quæ id temporis morsus efficeret acerrimos, stimularet ac vexaret animum, neque dies, noctesque sine summo angore cruciatuque respirare sineret? Atque eodem tempore vxor, quum ad te nuncios misit, quanta vi, quantaque tecum contentione egit, ne Iesum insontem damnares, vt solueres illum, ne traderes in Iudæorum manus, admonens iterum atque iterum, & narrans imaginem, qua in somnis deterrita, tædas quasi ardentes videre videbatur, & pestem vltimam tibi tuisque fortunis inuehendam? Hæc si sana mente, si integro iudicio fuisses, si partem vllam haberes humanitatis, non teipsum à scelere tanto, tantoque crimine abducere debuissent? non vt tecum ageres prius, admonebant? quis ille, quis reus in tuum iudicium adductus? qui accusatores? qui testes? quod crimen, vt deliberares, an mortis sententiam ferres, an omni pœna solutum demitteres? Dices præuidisse te hæc omnia: neque dubitasse vnquam de Christi Iesu virtute, de summa tanti Domini innocentia, simul & perfidiam Principum & peruersitatem Pharisæorum agnouisse: quemadmodum Christum Iesum per summam inuidiam tradiderint in manus tuas, & damnandum, morteque crudelissima mulctandum contenderint. Audio quod dicis: quod verum est, quod tu ipse testatus es. Quid ergo? mortis es damnaturus? sis apud te, non potes aliud facere? quamobrem? quia premunt & vrgent Iædæi: quinam? qui principatum tenent, qui religionem colunt. Qui sunt isti cultores Religionis? qui mendacia confingunt? qui Religionem violant? & hos verum credes dicere? minime. Quid ergo? coactus ascendo tribunal, sedeo, inquies, Pontificis auctoritate, fero sententiam contra voluntatem, contra veritatem, contra innocentiam. Opprimes igitur Iustum, mortis innocentiam damnabis, in Principes, in Pontifices, in genus istud hominum sacrilegorum pestis, exitiumque conferetur, & auctorem putas abiturum impunè? nullas te daturum pœnas? te tuamque familiam fatum extremum manet, vnde tantum tamque iniquum iudicium legibus, & Deo prorsus aduersum profluxit & emanauit ad Christi Iesu mortem crudelissimam. Si non supplicia superiora, si pœnæ in Christum

tam

tam acerbæ constitutæ crudelitatem Iudæorum satiare non potuerunt, continuo ne mortis illum condemnabis? Quid iniquius? A mortuo putas illos cohibituros manus? non in cruce pendenti illaturos inaudita mala? sed vt es mente captus, vt rebus humanis obcæcatus, video non te attendere, quæ si animaduertisses paululum, fortasse mitigares leniresque sententiam, non ad mortem, non ad exitum Christi Iesu vltimum progredereris. Quem condemnes, quem supplicio mortis addicas, non aspicis? num hominem duntaxat, an hominem & Deum? an Assertorem generis humani? an Messiam exspectatum, responsis diuinorum vatum prædictum, tot precibus patrum sanctissimorum efflagitatum? O ferox! O dæmon! Hunc morte mulctandum, hunc tollendum in crucem decernes? Nonne ad hoc intelligendum integerrima vita, sanctissimi mores, miracula stupenda te compellere potuerunt? nonne in ipsis medijs fluctibus, & suorum cruciatuum tempestate turbulentissima tanta patientiæ magnitudo, tam immensum bonitatis pelagus, ipsa potius infinita bonitas & mansuetudo, in veram diuinitatis cognitionem adducere debuisset? sed fueris insscius, fueris ignarus tantæ diuinitatis, putans Christum esse hominem solum, humana duntaxat natura præditum: an Crucis mortem subire coges tantum & tam præstantem hominem, tam illustrem & tam insignem, tanta sapientia, virtutumque maximarum opinione florentem, Regia & excelsa sanguinis & nobilitatis stirpe procreatum? sed quid Regiam nobilitatem, quid Christi Iesu claritatem & splendorem, a Regibus Iudææ potentissimis, principibusque clarissimis repetitam ad tantæ innocentiæ defensionem profero? Cum Regem hoc more mactari leges ac iura prohibeant, neque Regem solum, sed Iudæorum Regem, Iudææ Regem, Regem eius imperij, in quo crucis sententia iniquissima fertur, & turpissima, iubeas in crucem tollere? Quis hoc vnquam suis in finibus, in sedibus regni sui imperijque notissimi, nisi demens, & omni diritate tetrior fuisset, facere non dicam, sed vel tentare auderet? Recito testimonium tuum, quod negare non poteris Regem (inquit) vestrum crucifigam? si sententiam aliam verba hæc habeant, ede, profer modo. Recito præterea testimonium aliud litteris Latinis, Græcis & Hebraicis consignatum, tuique imperij auctoritate confirmatum ad posteritatis memoriam sempiternam, quod in cruce omnis generis homines legerunt, insigniter incisum, quod tu ipse minime tollendum dixisti, quod idem postea

ſtea confirmaſti, inſtantibus & vrgentibus aduerſarijs, vt ille titulus de medio tolleretur, ne daretur ſermo populis ac nationibus ad Iudæorum dedecus & ignominiam maximam. Supplicium erat iſtud Regis, an infimi Principis? clariſſimi, an obſcuro loco nati? tanta virtute præditi, an omnibus vitijs inquinati? Regis, an latronis? Cedo cauſam Pilate nequiſſime, tantæ tamque execrandæ ſententiæ. Mitte clamores populi, mitte ſeditiones concitatæ multitudinis, mitte conſpirationem Principum, mitte coniurationem Pontificum & Phariſæorum in Chriſtum Ieſum factam: nulla hæc cauſa defenſionis, atque iſtud eſt officium æqui bonique Iudicis, leges ac iura ſeruantis, nullis precibus, nulla contentione, nulla potentiſſimorum hominum vi, à vero iuſtitiæ tramite deflectere. O nefariam regnandi cupiditatem! O cæcam ac temerariam ſectatorum ſæculi prauitatem! O peruerſam & execrandam diuitiarum & honorum ambitionem! Vt retineas Cæſaris amicitiam Pilate, vt conſerues illius gratiam, ne deijciatis de dignitate tua, ne deturberis de Præſidis gradu, amittes amicitiam Dei, amittes gratiarum immortalis numinis, atque adeo effundes? precludes tibi aditum ad maieſtatem tantum? repudiabis honores & dignitates cœli, nullo vnquam æuo perituras? affiges cruci humanæ diuinæque naturæ participem Chriſtum Ieſum, Filium Patris Æterni, vindicem humanæ libertatis? atque aſciſces tibi peſtem & exitium vltimum in inferorum ſedes præceps agendus in perpetuum? Deus immortalis, auditores, per Chriſti Ieſu mortem acerbiſſimam, per illius crucem ſanctiſſimam, per ignominiam & dedecus in cruce noſtræ libertatis recuperandæ cauſa tam libenter appetitum, nos in illius officio ac fide manere velit in poſterum. Faxit Ieſus clementiſſimus, ne vnquam per ſcelus & flagitium gratiam Dei Optimi ac Maximi effundamus, vt excedentes è vita, humanis opibus ſpoliati, veras & ſempiternas diuitias ſumma cum lætitia conſequamur.

***

De Chriſto

De Christo Iesu à mortuis sua diuina virtute suscitato.

Ab exordio, descriptione, simili, dissimili, exemplis, reprehensione, præoccupatione & obsecratione.

INfinitæ lætitiæ, qua genus hominum, hodierna die Christo Iesu à mortuis sua cœlesti virtute suscitato consecratâ, mirandum in modum afficitur, gaudijs omnibus ac lætitijs instaurandæ, cœlum ipsum, & res omnes terræ cœlique ambitu contentæ, Patres veteris Testamenti, discipuli Assertoris nostri, Magdalena & comites illius, ac Virgo præcipue Maria, causam iustam ac necessariam attulit. Tantam enim lætitiam fabricæ vniuersæ huiusce mundi elegantissimæ, tantam omnis generis mortalium iucunditatem, tantam sanctissimorum Patrum ac Virginis Mariæ voluptatem cœlestem, ac planè diuinam taciti nullo modo præterire possumus: Christo enim Iesu robore suo suæ diuinæ virtutis à mortuis existenti non solum vnius loci, aut celebritatis diem lætum ac iucundum, sed terræ cœlique instaurationem nouis gaudijs & lætitijs omnibus celebrandam, inter nosque recolendam video. Dolebamus ac vehementer omnes antea angebamur, cum videremus aditum hominibus ad cœlorum sedes præclusum, & in mœrore iacebant Patres sanctissimi, vatesque diuini, cum in inferorum sedibus tot annos concluſi tenerentur, discipuli omnes, & Virgo Maria in mœrore ac dolore maximo erant, cum illi viderent Christum Iesum ablatum è viuis & crudelissima morte confectum. Neque temperare lacrymas, neque luctum suum poterant, nisi in hanc lucem humani generis Assertore redeunte. Ergo & mihi, & vobis omnibus huiusce dici celebritatis recolendæ more institutoque Matris Ecclesiæ, & ad lætitiam & veram animorum voluptatem capiendam materiam Christus Iesus huic vitæ restitutus, redditusque attulisse visus est. Quis est enim, aut erit vnquam, tanto Assertore hominum, aut meritis, aut splendoris, aut immortalis gloriæ magnitudine clarior? Nullius tantum est flumen ingenij, nulla tanta dicendi, aut scribendi vis, tantaque copia, quæ non dicam, minimam huiusce Domini gloriam adornare possit, sed neque adumbrare dicendo. Nam cum à mortuis existeret ipse tantus, tamque præpotens Dominus, videre quidem esset illum cœlesti gloria cir-

circumfusum, & immortalitatis suæ splendore, claritateque beatæ gloriæ splendentem adeo, adeoque ex omni parte fulgentem, vt Solis (tum cum ista fulgentissima lampas die tranquillo ac sereno, media diei claritate splendidissima micat, & lucet) suo splendore cœlesti radios obscuraret: corpus ita diuinæ gloriæ radijs cœlestibus illustratum micabat, vt radiaret caput, niteret corpus, vulnera fulgerent sanctissima, pedes ipsi, manusque splenderent clarissimè: maximè autem latus diuino splendore micabat; & ex ore, & ex oculis cœlestis ac diuina claritas diffundebatur. Hæc diuina claritas & splendor immortalis nullis verbis, nulla facultate dicendi explicari potest, sed pars aliqua præsenti similitudine nobis adumbrabitur. Id accidere sæpissime solet, vt nubem aliquam ad Occidentis partem spectemus obscuram & caliginosam, & suis tenebris horridam ac deformem: Cum autem Sol ad occasum properat, atque festinat, & iamiam vult occidere, suum cursum visitata conuersione peragens, dictu est incredibile, quam nitidam & illustrem reddit, & fulgentis auri splendore micantem, suis in illam radijs splendentibus illatis & insertis, vt fulgoribus suis nitidis & clarissimis, Solis ipsius luce splendidissimâ fulgentis, speciem & similitudinem tam eximio multoque fulgore circumfusa referat. Christus Iesus tot supplicijs pro humano genere patienter toleratis, atque crucis ignominiosâ morte libenter oppetitâ, adeo deformatus, & vulneribus grauissimis fœdatus fuit, vt vix hominis formam ac figuram haberet. Corpus virgarum diritate discerptum, caput spinarum aculeis ad cerebrum adactis perfossum, manus & pedes clauis crudelissime transfixi: ipse multis vulneribus concisus transfixis manibus, & sanguine multo ex cerebro, ex corpore, ex pedibus profluente, pallore multo prope sine specie, sine forma, effigie mœstissimâ luctuosissimâque visus. Quem qui aspicerent comites ac discipuli, virgo etiam Mater sanctissima vix internoscere posse videretur præ commutatâ figurâ, & pene prorsus amissâ veteri formâ. Hunc igitur tantis ignominijs appetitum, tantis suppliciorum generibus excarnificatum, adeo fœdatum, ac deformatum multitudine diritateque tormentorum, claritate nouæ lucis illustrem, nouis gloriæ immortalis insignibus, & splendoris diuini luce cœlesti micantem, gloriosum & immortalem à mortuis existentem aspicimus, & gaudijs omnibus ac lætitijs gestientem videmus. Quæ clarior

dies

dies ac fœlicior? quæ gaudendi lætandique maiorum occasionem, & causam magis iustam, magis necessariam fœliciſſima fortunatiſſimaque luce generi mortalium afferet? O diem fauſtum ac fœlicem, O iucundum ac fortunatum! O vere diem Domini nuncupatum! Simul atque anima Christi Ieſu ſanctiſſima in corpus, quod reliquerat in ſepulturâ tantopere deformatum ingreſſa fuit, & intulit ſeſe diuina virtute, nouâ lucis claritate, ſui ſplendoris diuini radijs clarum adeo reddidit & illuſtre, vt tenebras in lucem, caliginem omnem in claritatem, deformitatem in cœleſtem pulchritudinem conuerterit, & ex corpore ſupplicijs omnibus & cruciatibus fœdato deformatoque tantopere, pulcherrimum & ſplendidiſſimum reddiderit. Hac immortalis gloriæ magnitudinæ clarus & illuſtris redijt in hanc lucem Aſſertor generis humani glorioſus & immortalis, effigies & imago Beatorum gloriæ cœleſtis. Vulnera plagæque corporis non deformes ac horridæ videbantur, ſed illuſtres & claræ micabant: foramina pedum ac manuum ſanctiſſimarum non ſanguine ſtillabant, ſed ſplendore cœleſti nitebant: caput ſanctiſſimum non ſpinis coronatum, ſed principis cœlitum diademate fulgenti decoratum cernebantur. Latus non deformitatem neque horrorem præferebat, ſed diuinæ claritatis ſplendorem: Corpus diuinis inſignibus & luminibus Solis fulgore clarioribus diffundebat radios vbique clariſſimos & ſplendidiſſimos in fronte, in oculis, in ore, in corpore, in pedibus ac manibus latiſſime longiſſimeque cœleſtis ac diuina Regis cœlorum claritas emicabat. Nihil Chriſto Ieſu clarius, nihil illuſtrius fingi aut excogitari poteſt. Hic eſt ille Beatus Patriarcha Ioſeph ſolutus iam carcere, cultu & ornatu immortali collucens, potentiſſimo totius Ægypti dominatu florens admodum. Hic eſt ille ſanctiſſimus Moyſes, qui ex maris vndis ac fluctibus crutus, currum Pharaonis obruit atque depreſſit in imas vſque profundi voragines demergens. Hic eſt ille Mardochæus inſignis, ſpoliatus iam ſacco cilicioque horribili, & Regijs inſignibus, & ſtemmatibus illuſtratus, qui hoſte deuicto ſuperatoque magnificentiſſimè populum vniuerſum, & ſui generis homines è morte crudeliſſima liberauit. Hic eſt ille Daniel ſanctitate clarus, qui è leonum ferociſſimorum ore ac faucibus ereptus, nullo accepto detrimento, è lacu, in quem fuerat inclusus, ſaluus & incolumis euaſit. Hic eſt Samſon ille fortiſsimus, qui ſuorum inimicorum multitudine circumuentus, & obſidione oppreſſus vehemen-

hementissimè, media nocte surrexit, & portis omnibus, ac repagulis perfractis conatus hostiles & furentes animos fregit ac debilitauit. Hic denique est Ionas ille, qui in ventrem immanissimæ belluæ vastissimum injici se passus est, vt maris turbulentissima tempestate concitati socios & comites liberaret, & triduo postquam in illius latebris ac penetralibus vastissimis delituit, & continuit sese, datus est foras, & in vrbis Niniue littus eiectus. Quæ gloria illustrior præsentis diei celebritate, & ad Christianorem honorem, & ad Christi Iesu decus immortale? testes fuerunt discipuli, qui tantæ gloriæ semel, iterum, ac sæpe participes fuerunt. Testis est Magdalena, quæ Domini gloriam socijs ac comitibus alacris & læta nunciauit. Testis Virgo sanctissima, cui primum omnium Christus Iesus à mortuis existens & immortalitatis splendore circumfusus se visendum spectandumque præbuit. Testis denique est pignus gloriæ cœlestis, quam Christi Domini illustris & gloriosæ resurrectio generi mortalium ad bene de tanta bonitate sperandum, ad cœlestem illam, & nullo æuo perituram Beatorum gloriam consequendam huiusce diei lætissimâ fortunatissimâque anniuersariâ celebritate præfert. Et quidem miseros & infœlices appellamus, Christi Iesu gloria prorsus indignos, & è Beatorum societate cœtuque procul amandandos homines minimè participes Christi Iesu cruciatuum suppliciorumque acerbissimorum, qui nihil amant nisi lætos ac iucundos dies, nihil nisi ludos & spectacula, nihil nisi gaudia & voluptates huiusce sæculi: nesciunt autem cruciatus, nesciunt dolores, nesciunt acerbitates, & cum accedunt in prouidentiam Domini inuehuntur, ferunt iniquissimis animis, se miseros, & ærumnosos dicunt, afflictos & calamitosos, quibus nihil miserius, nihil calamitosius esse videatur. His certum & exploratum sit Christum Iesum minimè cum hominibus istius generis, suæ resurrectionis gloriam, suijpsius à mortuis excitati glorioſi & immortalis gaudia, & voluptates veras ac solidas communicaturum esse, qui participes cruciatuum suorum, & acerbissimorum suppliciorum esse noluerunt. Calicem ergo, calicem inquam acerbitatum hauriamus, & ad mortem vsque cruciatus omnes fortiter patienterque toleremus, nec ex ore nostro vnquam illa verba exeant satis pœnarum, satis cruciatuum nos pertulisse: licet semel & iterum, aut sæpius in vitâ rebus aduersis conflictaremur, licet quotidie torqueremur, & sauciaremur vulneribus grauissimis & omnibus acer-

rimis telis aduersæ fortunæ vulneraremur. In mortis vsque tempus, ad extremum vsque spiritum Christi Iesu imitatores præstantes & magni, iniurias, probra, carceres, vincula mortis, grauissima quæque supplicia debemus appetere, si Christo à mortuis existente glorioso ac triumphante perfrui voluerimus. Vt enim omittam ortum Christi Iesu, vt lacrymas, vt octauo die sanguinem profusum, vt per omne vitæ suæ tempus generis humani causa toleratas malorum acerbitates, an iniurijs, an contumelijs, an probris innumerabilibus, an virgis, an spinis contentus fuit? crucem, crucem ipsam in montis vsque Caluariæ verticem, ac summa iuga perduxit, & in crucem sublatus extremum spiritum exhalauit. At dicis hanc perfectionem summam esse, absolutamque sanctitatem, propriam Religiosorum hominum, propriam Antonij, Hilarij, & reliquorum summâ sanctimoniâ præditorum Christi Iesu cultorum, & imitatorum maximorum, qui remiserunt nuncium rebus huiusce sæculi, renuerunt nuncium voluptatibus, & honoribus cunctis, diuitijs, & facultatibus maximis, patrimonio à maioribus accipiendo, vt consilia Christi Iesu sanctissima sequerentur. Hoccine est hominum dictum? hæccine verba Christianæ Religionis cultorum? hæccine hominum, de Christianâ fide, de nostrâ Religione cogitantium? Quasi vero labores, & pericula, casus & ærumnas, aduersos fortunæ reflantis euentus non homines huiusce sæculi sæpe in domibus suis, atque adeo in filijs, in vxoribus, in fortunis & in suis corporibus non excipiant, cum iacturam rei familiaris accipiant sæpe ac sæpius, cum classis deprimatur onusta mercibus, & auro argentoque onerata, cum filij maximi natu aut occumbant in iuuentutis flore, vel hostili gladio necentur cum postremo parentes de gradu deijciantur honoris amplissimi, cum spolientur famâ, honore, dignitatibusque maximis? Non sit opus hoc tempore robore ac magnitudine animi? non patientiæ scuto, fideique galeâ fortissimâ? Hunc diem fœlicissimum, hanc inquam relurgentis Christi Iesu faustam, lætamque celebritatem mentis precor oculis complectamur, ad cuius veras & solidas voluptates percipiendas à Christi Iesu laboribus maximis, & cruciatibus acerbissimis, & morte suâ sanctissimâ peruenire debemus. Hunc diem lætis & gestientibus animis, celebremus, quo terra vestitu vario multiplicique florum gestire visa est. aeris circumfusa regio carduelium, luscinarum, & omnis generis auicularum cantibus suauissimis gestit, & mare

paca tis

pacatis & sedatis fluctibus, noua tranquillitate & aura secundissima, cursum facilem ac secundum nauigantibus ostendit. Cœlum omne gestit serena & illustri facie, ac Sol præcipue clarius, quam vnquam antea, insolita splendoris claritate fulgens. Omnia gestiunt elementa, quæ profecto, quemadmodum sui Creatoris mortem acerbissimam luxerunt, nunc eiusdem redeuntis in hanc lucem virtutem diuinam recognoscunt, atque profitentur. Comitemur socios Christi Iesu, B. Magdalenam, Virginem integerrimam, reditum tanti Domini fœliciſſimum, fortunatissimumque solidis gaudijs & cœlestibus lætitijs prosequentem. Sic equidem sperare poterimus, post huiusce vitæ discessum voluptatem nos & lætitiam Beatorum cœlestem & immortalem consequuturos esse.

De Christo Iesu in cœlorum sedes ascendente.

Ab exordio, descriptione, simili, dissimili, exemplis, obsecratione, & commodis, quæ attulit idem Dominus ascendens in cœlum.

Dies hic sacer atque solennis, quo Christus Iesus spolijs & manubijs, quas sibi belli victor effecerat, ornatus, gloriosus & immortalis, & magnificentissimè glorioſissimeque triumphans in cœli sedes altissimas, suo robore ac virtute cœlesti conscendit, nouum & exquisitum orationis genus, nouum ornatum & insignia facultatis oratoriæ, suo merito quidem optimo deposcebat: nam cum eloquentia, quanta semper veteri Romanorum, & nostrorum hominum ætate fuit habita, rebus clarissimorum Principum & Ducum fortissimorum præclare gestis, debita laude commendandis inseruierit; certe quantum in Christianis oratoribus eloquentiæ fuerit, totum id in CHRISTI IESV triumphum gloriosum & immortalem animorum propensa voluntate, si non pro meritis & dignitate, saltem pro humanarum virium imbecillitate celebrandum prædicandumque, conferri debet. CHRISTO enim IESV in cœlestem vrbem ascendente, & à beatis mentibus tanto plausu & acclamatione, magnificentissimaque triumphi gloria decorato, non solum impe-

ratoris tanti merita præcellentissima cohonestantur, sed humanæ naturæ humilitas ad celsissimam dignitatis amplitudinem euecta supra diuinarum mentium sedes amplissimas collocata, cœlestis gloriæ possessionem Christi Iesu ad Patris Æterni dexteram considente capit. Quod si cœlestes spiritus, in ferenda gratia Assertori Iesu, propter sedes improborum Angelorum ruina vacuas ab hodierna die glotiose nimis instaurandas, tam alacres videntur, & gestientes, certe nostram non minus animorum voluntatem, in aliqua tantorum in nos meritorum parte persoluenda, æquum est diligenter & studiose laborare. Quamobrem dum ascendentis Christi Iesu gloriam ante oculos vestros statuo, meam beneuolis & attentis auribus orationem excipite. Atque vt ab hac parte proposita initium dicendi faciam, cum quadraginta iam dies à Resurrectionis sacris & solennibus feriis præterijssent, intuemini, Auditores, Christum Iesum suo robore ac virtute cœlesti paulatim à terra efferentem sese, & altius atque altius ascendentem, donec è conspectu Virginis, & reliquorum comitum ac sociorum ablatus, immortalis gloriæ splendore circumfusus in diuinas sedes & domicilia cœlestis aulæ intulit sese: suspicere Virgo Maria, & omnes discipuli sublatis & intentis oculis in Dominum ac præceptorem suum, lacrymæ oboriri præ magnitudine tanti spectaculi, præ dulcedine gloriæ præsentis, atque adeo præ amore summo in Dominum discendentem & abeuntem à sedibus his terrarum infimis, & à societate sua; sanctorum Patrum, diuinorum vatum, Regum clarissimorum, & reliquæ sanctissimorum Heroum cohortes grauissimæ, qui ex inferorum carcere, potenti virtute Christi Iesu fuerant educti, legiones diuinorum spirituum innumerabiles, nubem, in qua tanquam in curru deaurato ac triumphali procedebat, circunsistere, & comitari triumphantem Christum Iesum magnificentissime; obuiam alij occurrere, infinita multitudo effundere sese, & cohonestare pompam triumphi glorioſissimi, progrediens ordine mirifico, & illustri splendore, pompa splendenti, & vias omnes, plateasque auro nitenti stratas, & loca celebriora cœlestis aulæ lustrare incipit cantibus mirifice concinentibus, & omni suauitate diuinarum vocum. Visebantur arcus triumphales, & artes admirandæ, nunquam visa monumenta, litteris consecrata diuinis, & titulis ornata splendentibus trophæorum, quæ Christus Iesus ex hostibus deterrimis

inuicta

inuicta virtute deportauerat, donec ad sanctissimæ Triados tabernaculum peruentum est, & tanti numinis maiestas filium excepit. Filius Æterno Patri manubias & opima spolia, quæ nefarijs & ferocissimis hostibus detraxerat, & suo cœlesti robore pepererat, obtulit, deuouitque gratissimus. Pater ipse Filium ad dexteram suam collocauit, cœlestis maiestate visendum, quosque secum Heroas inclitos detulit, pro meritis & dignitate cuiusque præstantissima meritis & honoribus sempiternæ gloriæ decorauit. Incipiunt recipere sese diuini spiritus in suas sedes, singuli suas adire stationes, & ad spectacula sese comparare, & ad ludos apparatissimos magnificentissimosque. Cogitate fieri statim ludos, præberi spectacula, certatim contendere beatos ciues, nouis artibus, nouis inuentis, omnis generis ornatu, apparatuque visendo tantum splendorem magnificentiamque triumphi mirandam concelebrare & à minoribus diuinarum mentium ordinibus fieri spectaculorum initium, his & alijs superiorum ordinem cœtus clariores succedere, obire suum munus primi ordinis & proximè consequentium ordinatim. Videretis, hic ardoris & pietatis nominibus claros spiritus, suis locis & temporibus magis visendos spectandosq; celebritatem ornare principatum & potestatem obtinentes amplissimam. Itaque nemo erat, qui non ageret partes suas insigniter, & sese cum suis insignibus & ornatu speciosissimo, tum modis mirificis, & artibus inauditis non iactaret & ostenderet mirabiliter. Quid hic commemorem demissionis insignia, patientiæ laudes, signa mansuetudinis, simulachra virtutum reliquarum? Quid proferam titulos? quid Emblemata? quid specie visenda trophæa, monumentaque triumphi suis præcipuis laudibus & honoribus decorata cœlestibus? An vero clauorum & virgarum insignia ornamenta, spineæ coronæ, scalæ, mallei, trophæa sanctissimæ Crucis, cunctorum cruciatuum laudibus tributos honores, characteres incisos grandiores & illuminatos distinctosque multipliciter & eximie, quisquam commemorare possit? Atque hæc omnia suauitate cœlestis harmoniæ, cantibus mirifice tota aula Beatorum personantibus, & in ore, & in oculis sanctissimæ Triados augustissima celsissimaque præsentia ludos & spectacula cohonestantis celebrantur. Fœlices labores, fœlices virgæ, fœlices spinæ, fœlices cruciatus, fœlix denique mors, quæ tantum honorem & gloriam consequuta fuisti. Fuisti comprehensus Christe Iesu a crudelissimis carnificibus, modo exceptus in aula cœlesti à

diuinis beatisque spiritibus: appetitus fuisti omnibus iniurijs & contumelijs; modo laudibus & honoribus eximijs affectus: spoliatus vestibus, & virgis crudelissime cæsus; modo immortalitatis splendore colluces, & collucebis illustratus in perpetuum: deformabant corpus tuum ictus & vulnera facta crudelissime; modo non solum eadem illud cohonestant, sed solis radijs clariora micant, & illustriora: manabas totus flumine sanguinis largè copioseque ad terram vsque; modò à vertice ad pedes vsque non splendes solum clarissimè, sed splendoris tui radijs totam cœlestem aulam illustras: caput tuum sanctissimum spinea corona fuit transfixum; modo diademate smaragdis illuminato fulgentibus splendet atque collucet. Tenefarij homines probris & contumelijs omnibus afficiebant; modo Beati ciues honorem tuum & gloriam omnibus diuinis cantibus prosequuntur. Transfixus clauis mortem obijsti ignominiosam sublatus in crucem; modo tot insignibus immortalitatis ornatus, sedes ad Patris Æterni dexteram cœlestis Regni maximus florentissimusque Dominus. In cruce pendentem te deridebant, & sibilis insectabantur homines nefarij; modo in tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquiescunt incolæ & habitatores cœlestis aulæ, & te suum decus, suam gloriam, suum cibum, & escam cœlestem ducunt. Te præpotentem Dominum, te patronum suum, fontem bonorum omnium, causam vitæ, salutisque suæ victorem nostrorum hostium, instauratorem Regni cœlorum, Deum suum omni religione colendum prædicant atque testantur. Quod hostiles copiæ superatæ sunt, quod inimicorum vires fractæ, quod furor dæmonis compressus, quod tyrannis peccati subiugata, quod imperium mortis deletum, quod Ecclesiam habemus tot honorum insignibus ornatam, tot præsidijs salutis æternæ redundantem, tot ornamentis gloriæ sempiternæ florentem, tot Confessorum, tot Virginum, tot Martyrum inuictissimorum, tot omnis generis & ordinis cœlitum Heroibus illustrissimis fulgentem, quod denique nouimus & habemus patefactas cœli sedes, & Beatorum gloriæ domicilia celsissima, tot comparata præmia, tot honores & dignitates, tot gradus & sedes amplissimas alumnorum egregie fidelium Christianæ Religionis virtutibus præfinitas, tua laus est immortalis, tuarum rerum præclare gestarum gloria, tua trophæa, tua postremo cœlestia, diuinaque monumenta. Cœli palatia tuis diuinis laudibus Christe Iesu

perso-

personent, & omnibus cœlestis gloriæ honoribus, tuam maiestatem diuini spiritus prosequantur. Sis in æterna gloria, qui tot bonorum & ornamentorum omnium multitudine cultores tui numinis egregios infinita tua virtute cumulasti. Ascendisti bone Iesu, vt nos ad cœlorum gloriam excitares, vt nostræ cogitationes & spes in te vno Patrequetuo Æterno collocarentur, vt natura generis humani eueheretur in sublimem dignitatis gradum, vt abijciamus res humanas & cito perituras, & illas appetamus Beatorum opes, illas dignitates & sedes altissimas, quæ gaudijs æternis & honoribus redundant: vt te denique Ducem habeamus, & Principem nostrarum rerum, te patronum & deprecatorem apud Patrem Æternum, quem precaberis ad tanti Domini dexteram considens, vulnera tui corporis, manus & pedes clauis transfixos, latus hastæ diritate traiectum ostendens. Descendisti in hanc iusimam terram, vt tuæ doctrinæ luce mentes nostras illustrares. Versatus fuisti nobiscum, vt nos tuæ sanctitatis exemplo ac diuinis verbis ad omne pietatis & veritatis studium excitares. Obijsti mortem in cruce, vt nos ex ore Dæmonis ac faucibus eriperes. Corpus fuit sepulturæ mandatum, vt à nobis pestem mortis tererrimam depelleres. Descendisti in inferorum sedes obscuras, vt diriperes & spoliares Regnum & patriam miserorum. Excitatus fuisti à mortuis tua diuina virtute ad futuræ vitæ spem in nostris animis excitandam. Denique ascendisti glorioſus & immortalis ad cœleste Regnum, hodierna die triumphum agens glorioſissimum, vt viam cœli nostrorum defectione patentum occlusam patefaceres. O iterum atque iterum imperio Beatorum sempiterno potire! fruere gloria cœlesti Regis æterni in omnem sæculorum æternitatem. Sit ascensus tuus in cœlorum sedes ad decus æternum, ad requiem immortalem, & ad fructus laborum virtutis, cruciatuum, mortis tuæ sanctissimæ percipiendos in omne æuum sempiternum, & ad illos communicandos cum omni proborum genere mortalium in posterum, qui tuorum meritorum, qui virtutis, qui cruciatuum, & gloriæ immortalis participes erunt in perpetuum. Ascende tuo robore ac virtute diuina, ascende cœlestis arca Domini, nullis fluctibus, neque tempestatibus submersa. Ingressus fuit Abacuc in vrbem Babylonem spiritu quodam diuino duce: Elias in mediam, & à terra tanto interuallo distantem aeris regionem igneo curru sublatus fuit: Aues efferuntur in sublime suarum præsidio pennarum:

nubes in eandem regionem excitatis terræ vaporibus sua leuitate supera petentes efferuntur: Christus Iesus sua virtute cœlesti, nullius rei ope, nullo auxilio. Veteres Romani suos Imperatores deuictis hostibus & nationibus ad suum imperium & ditionem adiunctis patentibus portis, & locis celebrioribus ciuitatis peragratis, triumphum agentes quadrigis vectos tanto pompa tantoque apparatu vijs omnibus herbis ac floribus stratis, parietibus peristromatis & aulæis pretiosissimis conuestitis, erectis aris, & odorum suauitate fragrantibus, arcubus varia, multiplicique artis factis plurimis vbique statutis monumentis trophæisque virtutis Imperatoriæ, laudibus & titulis passim rerum gestarum incisis, & tibiarum modulatè sonantium vicissimque vocum modulatione iucundissima, prælatis spolijs, & prædijs ex hoste deletis, tot imaginibus, tot simulachris vrbium, populorum & prouinciarum, effigie multiplici Ducum & Regum bello subiugatorum, atque hostibus vinctis, & ante currum tractis, tot militibus, tot Centurionibus, tot Ducibus, socijs & comitibus præliorum pompam triumphi comitantibus in Capitolium vsque deducebant. Senatus Populusque Romanus, Magistratus omnes, & Consules suis insignibus ornati in illam Capitolij vsque partem triumphantem Imperatorem cohonestabant. Sed videte nunc pompam huiusce diei, tantum splendorem, tantam gloriam, Christi Iesu, ingredientis cœleste regnum. Quid splendoris habet illa pompa Romanorum, cum triumphi cœlestis gloria? Quid vrbs Romana cum cœlesti Regno? quid ciues? quid Senatus? quid equites, cum cœtu diuinorum spirituum, cum tot ordinibus cœlestis aulæ gloriosissimis, cum cœtibus principatu potestateque præcellenti fulgentibus? Quid dignitas Consulum, quid Magistratuum cum Magnatibus Beatorum aulæ, Principibusque clarissimis? quid præda, quid spolia plaustris comportata plenissimis, cum Patribus antiquissimis, cum potentissimis Regibus, cum vatibus diuinis? Quid illa Senatus auctoritas cum augustissima celsissimaque sanctissimæ Triados maiestate? Quid apparatus omnis & ornatus, cum spectaculis, cum ludis diuinarum Mentium apparatissimis? Quid Imperatores Romani cum Imperatore inuictissimo Christo Iesu? Quid vestes Romanorum albentes, cum splendore gloriæ immortalis, qua Christus Iesus circunfusus totum cœleste Regnum illustrabat? quid Imperator Romanus præter vrbem, præter prouinciam, præter Ducem aut Regem bello

deuictum

deuictum præferebat? Christus autem Iesus dæmonem ipsum, tyrannidem peccati, carnem indomitam & effrænatam belluam, mortem & vitiorum omnium agmina suis prælijs maximis secundissimisque superauerat. O glorioſum Christi Iesu in cœlorum sedes, ascensum! O gloriam triumphi commemorandam! O decus immortali gloria prædicandum! Quis ascendentis Domini gloriam, vnde tot in genus hominum commoda redundarunt non omni laude & honore prosequatur? Quò nos ascensus tanti Domini vocat, quò excitat & inflammat, quò postremo nostræ fœlicitatis, nostræ dignitatis caput & auctor Christus Iesus ascendit, nos omni studio, præclaris virtutibus, moribus integerrimis ascendere studeamus. Per beneficia tanti Domini in genus humanum collata, per gloriam hodiernæ fœlicitatis cœlestem, per possessionem à Christo Iesu Regni cœlorum captam, in ascendentem Christum Iesum, in imperium & potestatem ab æterno Patre traditam animos & mentes intendamus; in cœlestis Regni sedem, in diuina domicilia omni festinatione properemus. Huic Christo Iesu, Principi bonorum omnium, auctori nostræ salutis, recuperatori libertatis dignitatisque nostræ maximo grati modis omnibus esse nunquam desinamus. Ad Patris Æterni dexteram considet summus viuorum mortuorumque Iudex constitutus, insignis generis humani patronus precatorque maximus, ille suos clauos, ille latus apertum, ille postremò plagas pro genere morralium æterno Patri libens ostendit, atque profert. Spem in illo habeamus certam, & exploratam, si fuerimus, qui debemus esse diuinæ virtutis cultores, & imitatores maximi, nos meritis Christi Iesu sempiternam esse Beatorum gloriam adepturos.

De Aduentu spiritus Diuini.

Ex eisdem locis exercitatio petita.

TAndem ad Pentecostes, quemadmodum alij appellant diem solennem, vt alij ad spiritus diuini aduentum decorandum oratione nostrâ, Mater Ecclesia, vtroque nomine cohonestati accessimus. Rem vobis proponam & mysterium cœleste, vos illud vtriusque nominis pondere penditote. Beneficium ipsum priùs spiritus diuini venientis cognoscite Auditores: deinde procul dubiò satis clarè cognoscetis,

cetis, vtroque nomine nuncupandum diem hunc sacrum solennemque. Nego in Christianâ Religione tam locuplete, tam veteri, tot populis, tot vrbibus, tot prouincijs, tot Regnis florente vllum factum virtutis pulcherrimum, vllum Religionis opus egregium, vllam hominis ad nostram fidem traductionem fuisse: nego vllam gemmam honestatis, aut margaritam caritatis fuisse: aut quidquam ab Apostolis sanctissimis, & reliquis egregiè fidelibus diuinæ Fidei præconibus ex ore verbum exijsse sanctissimum ad animorum commodum & vtilitatem factum, ex tot miraculis & stupendis diuinæ virtutis spectaculis, signum editum fuisse, nisi diuini Spiritus virtute cœlesti. Nego etiam aduentum Christi Iesu? in terrarum sola, natalitia eiusdem tanti Domini, cursum omnem vitæ suæ clarissimum integerrimumque, labores, vigilias, conciones, cruciatus omnes, virgas & spineam coronam, mortem & crucem suam sanctissimam, atque à mortuis excitati gloriam, & in cœlorum aulam ascendentis immortale decus, omnia postremò merita sua maxima quidem & immortalia & infiniti pretij & virtutis infinitæ tantam in terris habitura vim esse, nisi de cœlo diuinitùs Apostolorum cœtui, reliquoque generi mortalium bonorum impertito Spiritu diuino. Quemadmodum enim si quis pharmacum aliquod, aut medicamentum tantæ æstimationis ac roboris habuisset, vt illius viribus & præstantiâ nullum morbi genus, nullæ ægrotationes, nulla pericula valetudinis humanæ non propulsarentur, illud equidem, nisi ad corporis humani partes ægrotantes adhiberetur, nihil virium, nihil efficacitatis haberet: Ita sanè quid profuissent homini tot Christi Iesu merita, virtutesque præclarissimæ, tot vitæ actiones sanctissimæ, tot cruciatus & supplicijorum acerbitates, si spiritus diuini virtute non conaremur ad depellendos animi morbos, & ad gratiam recuperandam, & ad munera cœlorum, ac dona sempiterna consequenda? An quisquam cum in Indiam locupletem, & argento, auro, gemmisque refertissimam peruenit, vllos ex opulentissimis partibus fructus feret, nisi particeps esse studeat opum & diuitiarum Indiæ maximarum? Quam afferet homini in cubiculo delitescenti, foribus & ianuis omnibus occlusis, atque adeò quibuscunque foraminibus, per quæ lux Solis in cubiculum sese inferret, vtilitatem Sol toto orbe longè lateque diffusus, nisi per aliquem in lecto tibi iacenti vel in cubiculo latenti

fores

fores vel feneſtræ ad aſpiciendam lucem diei clariſſimam aperirentur? Videamus vim & efficacitatem Spiritus aduenientis in terrarum ſola, vt illius amore flagremus, illum ab æterno Patre, filio precante flagitemus. Quam enim Aſſertor humani generis victor bellorum aſcendens ab æterno Patre miſsendi Spiritus diuini in hæc terrarum ſola, ad animos menteſque diſcipulorum, cœleſtium donorum largitate complendas, fidem egregiam & illuſtrem dederat, hodiernâ die, quod fœlix fauſtumque ſit generi Chriſtianorum, vt cumulatius nihil fieri poſſit magnificentiſſimè cumulatiſſimeque præſtitit. Nam cum iam decem dies ab aſcenſu Chriſti in cœleſtem ciuitatem glorioſo præterijſſent, expectantibus ſocijs comitibuſque & eflagitantibus ſummis & aſſiduis precibus, promiſſus cœleſtis iſte Spiritus, in eorum animos intulit ſeſe magno ſtrepitu, & quaſi fragore ruentis cœli delapſus. Non quo crepitu maximo diſcipuli perturbarentur, & ſuis artubus atque membris contremiſcerent, ſed quo ſuauitate mirificâ afficerentur, & diuinâ cœleſtique voluptate perfunderentur omnes, quo vix apud ſe viderentur eſſe præ eximiâ gaudij lætitiæque magnitudine. Delapſus autem fuit Spiritus iſte cœleſtis in flatus vehementiſſimi ſpeciem & ſimilitudinem coruſcantis ignis; quo ſic omnes ferri viſi fuerunt magnitudine diuini Spiritus, & illius igne flammato flagrare, vt illius vim immenſam, infinitamque, ardorem inflammatum & flagrantem, qui præſentes erant, qui ex diuerſis terrarum partibus conuenerant, intentis oculis in diſcipulos & animis ſtupentibus admirarentur: multi, quique rebus Apoſtolorum & Religioni Chriſti Ieſu fuerant infeſti, vino obrutos putarent, ac dicerent temulentos Apoſtolos: ipſi tamen Apoſtoli ab illo puncto temporis, diuerſis in locis celebrioribus in plateis amplis ac patentibus, in templo Salomonis ampliſſimo magno ſemper conuentu hominum atque frequentia concionari, habere ſermones ad multitudinem, quæ innumerabilis ad audiendum nouitate rei ſtupefactâ confluebat, enuntiare myſteria noſtræ Religionis, prædicare Chriſtũ Ieſum Aſſertorem generis hominum, à Iudæis ſublatum in Crucẽ, excitatum à mortuis eximiâ ſuâ virtute, & in cœlorum ſedes ſuo quoque robore diuino iam ante dies decem elatum, adhibere teſtes fide egregia ſingularique præditos ex Solymorum, qui ſpectaculo tanto interfuerunt, gente clariſſima, hortari ad virtutem, ad nouos mores, ad cœlorum gloriam, ad colendam, ſuſcipiendamque tanti

Domini

Domini maiestatem. Atque idem munus obire videbantur, cum magnâ vi contentioneque verborum, tum ore vultuque diuinæ claritatis luce nimis inflammati, vt ex ore, ex oculis cœlestes flammas spirare viderentur: tam etiam animis flagrantibus id præstabant, vt in illis cœleste robur, & præsentiâ diuini spiritus emicare cerneretur. Quid quod illorum, qui præsentes erant, (conuenerant autem ex diuersis gentibus atque nationibus innumerabiles) patrio sermone concionantes Christi discipulos nemo non audire videbatur, & profitebantur omnes, planeque recognoscebant. Admirari etiam plurimi non desistebant, & illi sapientiæ celebritate clari, qui probè nouerant neque litteris imbutos, neque vllâ discipulos doctrinâ præditos fuisse, & ignaros diuersarum præsertim linguarum, tot res admiratione plenissimas, tam cœlestes ac diuinas, tam procul ab hominum cognitione disiunctas enunciare, & tam dissimilibus, longeque differentibus diuersarum gentium ac nationum sermonibus. Discipuli persequi conciones suas, & innumerabilem multitudinem ad Christi Iesu Religionem traducere, suarum vi facultateque cœlesti concionum omni contentione properabant. Quis hoc existimaret? quis in animum suum induceret, homines rudes & indoctos, ignaros & expertes litterarum, nullâ vnquam scientiâ, nec minimâ cognitione præditos prodituros in publicum, piscatores inopes, & victum piscatu antea comparantes, in conspectu tantarum gentium ac nationum verba facturos esse? Qui neque verbum vllum à præceptoribus acceperant, qui neque in studijs sacrarum litterarum versati fuerant, qui vulgo contempti erant, & nullius apud Principes, apud Pontifices æstimationis, in litteratorum & sapientissimorum legis antiquæ Doctorum oculis & ore concionaturos esse & interpretaturos diuinæ scripturæ res absconditas & abstrusas, & contra istorum Principum opinionem, contra auctoritatem venturos, & de Christi Iesu aduentu, de morte suâ, de resurrectione, denique de Ascensu in cœlorum sedes multa palam enuntiaturos? Atque quod Doctores veteris legis ægrè ferebant, quod audire non poterant de Messia Christo Iesu misso ab immortali Deo, de legis Mosaicæ tandem occasu, & interitu vltimo, iam succedente multo clariore & illustriore Messiæ, id est, Christi Iesu sanctissimâ, verissima que Religione, & ad salutem animorum, ad cœli gloriam consequendam planissimè necessaria, Apostolos dicturos quis putaret?

putaret? Atque ad hæc confirmanda, ad Principum infringendam auctoritatem, ad conuincendas opiniones illos tot rationes, tot argumenta afferre, exponere sacros libros & monumenta diuinorum vatum, quis non admiraretur? Quis denique apud se statuere posset, id quod postea vidit, tantam multitudinem omnis generis hominum, neque ex Iudæis solum, sed ex omnibus gentibus, ac nationibus, qui ad Iudeæ principem ciuitatem confluxerant, traducendam ad sacram Christi IESV Religionem, Moysis iam legis, & idolorum superstitionibus, & erroribus nefarijs nuncio remisso? O vim spiritus diuini præclaram! O virtutem singularem atque diuinam! Qui latebant in obscuro tenebrarum loco, prodeunt iam in publicum: qui nullas vnquam litteras, neque minimam notitiam acceperant, sacratum litterarum monumenta interpretantur: qui piscatu viuebant & arte capiendorum piscium alebantur, capiunt iam hominum animos, & ad veritatis cognitionem adducunt; qui nunquam à Iudææ finibus excesserant, omnium gentium ac nationum linguis loquuntur: qui in infimâ plebe numerabantur, in magno iam pretio & æstimatione habentur: qui probris & iniurijs afficiebantur, maximâ gloriâ & honore decorantur: qui deserti & derelicti ab omnibus fuerant, illorum modò audiuntur, & summâ cum admiratione conciones excipiuntur, & ad eorum pedes innumerabilis multitudo spectantibus & frementibus veteris legis Principibus & maximè Pontificibus, se abiicit atque prosternit. Quid hoc discipuli? Quid istud obsecro verborum socij ac comites Christi Iesu? Vosne illi, qui comprehenso Christo Iesu profugistis statim, & dispersi ac dissipati tenebras & caliginem quæsiuistis? vosne illi, qui abiecti debilitatique metu deseruistis præceptorem vestrum? neque in publico versari ausi fuistis in posterum? tuneille Petre, qui semel iterum ac tertio, vno verbo ancillulæ victus & cum iureiurando negauisti præceptorem Iesum? tune Thoma, qui certior factus de Christo excitato iam à mortuis, cum discipuli nunciarent; cùm confirmarent constantissime, cùm suis se oculis vidisse testarentur, nunquam fidem adhibuisti, neque crediturum id te esse constanter asseueraſti, nisi tuis eundem oculis aspexisses, nisi in pedes, in manus, atque adeò in latus lanceæ diritate traiectum manum & digitos tuos intulisses? vnde quæso tantum roboris? vnde tanta animi magnitudo? vos ne Iudæorum Pontificibus, vosne Principibus veteris legis

adeò

adeò vehementer obsistere ausi fueritis ? vosne cum illis argumentari , vos contendere velle atque disceptare persti eritis? Vos denique illis præsentibus suæ legis mysteria velle exponere , & tanquam ignaros & in peritos mysteriorum vestris concionibus instituere velle Doctores hos in scriptura versatos, magistros synagogæ, præceptores suæ legis vili fueritis? Magna vis est diuini Spiritus , magnum robur & planè cœleste. Lux de cœlo delapsa mentes discipulorum illustrauit Auditores , & tam fortes, tamque constantes in mediam Principum & Pharisæorum phalangem & turn am coniecit. Non videtis discipulos claritatis diuinæ splendore collucere ? non in capitibus eminere linguas ignis coruscantis ardore flagrantes? nou illorum ora, vultusque ardere cœlesti claritate fulgentes ? non in animis vim inesse diuini Spiritus robore ac virtute confirmat m ? Qui obiicere tantæ sapientiæ magnitudini, tanti luminis fulgori, tot radijs diuinæ doctrinæ , viribus Dei immortalis inuictis & cœlestibus armis audeant sese ? Non afferamus ad Spiritus diuini vim & robur ostendendum, admirationem multitudinis : Sileamus stuporem omnis generis diuersarum gentium ac nationum : Non ponamus in oratione fractos ac debilitatos Principum ac Pharisæorum spiritus insolentes : Recordamini vnam duntaxat B. Petri concionem, in qua sic tonare ac fulgurare visus fuit , sic infinitam hominum multitudinem commouere , tonitruis ac fulminibus verborum suorum , vt amplius triginta mortalium millia ad Fidei Christianæ veritatem cognoscendam colendamque Princeps iste Ecclesiæ clarissimus traduxerit. Recordamini conciliabula Principum , & Pharisæorum , fremitus eorum & furorem tædis ardentibus inflammatum , qui profectò cùm conciones Apostolorum audirent, cùm concursum & frequentiam omnis generis mortalium , cùm admirationes maximas, cùm denique traductionem infinitæ multitudinis ad Christi Fidem viderent , conuentus agebant suos, frequenter conueniebant, occultè & palàm ad Apostolos & Discipulos è ciuitate è Iudææ finibus eiiciendos , exterminandosque conspirabant. Recordamini testimonia alienigenarum & cuiuscunque nationis & barbaræ & humanitate cultæ mortalium , qui cum sermone suo discipulos Christi Iesu loquentes audirent , clamores plenissimos admirationis tollerent in cœlum : neque id fieri posse sine summo miraculo , sine virtute cœlesti con-

stan-

stantissimè, confirmarent, & planè conciones, planè fidem, quam discipuli enuntiabant veram summaque Religione colendam testarentur, atque hanc testimonijs clarissimis & miraculis stupendis comprobarent. Quòd si altius mentibus vestris contemplari volueritis, planè reperietis discrimen veteris & nostræ legis perspicuum. Illa lex scripta fuit in tabulis lapideis; hæc in hominum animis infixa: illa informabat animos & illustrabat; hæc clariorem lucem affert, & in Dei immortalis amorem faces ardentes admouet: illa viam solum ostendebat in cœlum; hæc & viam demonstrat ad iter faciendum, & ad ingrediendum in Beatorum sedes ingentes animos facit: illa pœnis & terroribus animos in officio continebat; hæc amore magis ad virtutis & Religionis studium allicit. Quamobrem illam legem timoris, hanc amoris; illam seruorum, qui metu supplicijrum à sceleribus deterreantur, hanc filiorum, qui magis amore ad parendum diuinæ voluntati ducuntur, putatote. Quamobrem cum illa ferretur, tanto timore fracti fuerunt, atque debilitati filij Israelis, vt totis artubus atque membris contremiscentes, vix suæ mentis compotes à Moyse efflagitauerint, vt ille, ille inquam, non Deus immortalis, ne repentina morte concideremt, legem populo Solymorum ferret. Quid quòd Moyses legem illam tulit, hanc verò Christus Iesus, Filius Patris Æterni? Quod si Iudæi quicumque toto terrarum orbè fuissent sparsi diffusique, relictis ciuitatibus, & oppidis omnibus, longissimis itineribus susceptis, magnis laboribus, & aditis periculis Paschatis sui ad diem statum solennemque celebrandum studiosissimè concurrebant, si alienigenæ ex plurimis disiunctissimis, longeque distantibus terrarum partibus in Solymorum vrbem huiusce diei celebritate totum orbem peruagata conueniebant ad Pentecostes sacras solennesque ferias, ad Spiritus diuini gloriosum & immortalem diem recolendum, inter seque instaurandum, quanta animorum religione flagrare debemus, & inflammari facibus veluti ardentibus accensi, tot præsertim donis ac muneribus diuini spiritus afficiundi, ad vitæ nostræ cursum alacriter, sancteque conficiendum? Cùm fratres Ioseph patri nunciassent, Ioseph filium suum, non solùm superstitem esse, sed opibus abundantem, imperio florentem, Ægypti tenere principatum amplissimum, magnitudine nuntij stupefactus, vix illud in animum inducere sibi poterat.

At vbi dona ac munera magnificentissima, diuitias & opes maximas, plaustra multitudine rerum ac donorum maximorum completa suis oculis aspexit, quasi è graui somno excitatus, nihil signi desiderabat amplius. Itaque Patris animus, & in Ægyptum adeundi, & filij inuisendi incredibili cupiditate flagrabat. Non fidem adhibebant Iudæi prius verbis discipulorum, Christi Iesu Resurrectionem prædicantium: At vbi vim, ardorem, dona ac munera magnificentissima, multitudinem miraculorum, claritatem lucis illustrem, flammarum facem, & illam virtutem cœlestem, magnanimitatem, pacem, gaudium, lætitiam, fortitudinem, & magnitudinem animorum, tam cœlestem sapientiam, ac planè diuinam spectarunt, & suis oculis & auribus acceperunt, tantorum operum admirabilitate commoti, sapientes veritatem plurimi profiteri & testari cogebantur: prædicabantque illam Apostolorum fidem vna cùm alienigenis tollentes clamores magnos in cœlum. Sed quid Apostoli non agerent? quid discipuli non præstarent claritatis tantæ radijs illustrati, tanto mentis ardore, tantis diuini Spiritus facibus inflammati, tantorum, & tam cœlestium cognitione mysteriorum imbuti? continere se possent, quin multis vocibus & magnis clamoribus immensam diuinæ virtutis magnitudinem enuntiarent? Quid aliud facerent, qui lucis claritate, magnitudine cognitionis Patriarchas omnes, vates omnes diuinos longo interuallo superabant? hoc igne cœlesti animis æstuantibus, quanam ratione flammas illius cohibere possent Apostoli? si aqua, quæ naturâ grauis est, & in inferiorem locum impetu naturali fertur postquam igni admota vehementem ignis calorem concepit, velut naturæ suæ oblita in superiorem locum nititur, nec intra vasis angustias continetur, sed erumpens & ex omni parte redundans, effundit ac proiicit sese foras; quid mirum si Apostolorum animi huiusce ignis flagrantibus facibus ardentes in has laudes, & prædicationis voces erumpant? id non linguæ solùm igneæ, sed flatus vehementissimus, quo tota domus commota fuit mirandum in modum testabatur. Hac enim de causâ Spiritus iste cœlestis in vehementis auræ similitudinem venit, vt ipsa species, quæ sensibus obiecta erat, latentem eiusdem vim & impetum, quo nos ad virtutis & sanctitatis amorem excusciat, demonstraret. Cùm aura enim vehemens & concitata flat, in quascumque res incurrit, eas impellit vehementissimè: sic impetu

magno

magno, celeritate mirabili naues incitatæ medium mare præ-
teruolant: vento minimè flante, non modò non perſequun-
tur ſuum curſum, ſed nec mouentur quidem. Sed quid in Apo-
ſtolis ſolum ſanctiſſimis; & Principibus Eccleſiæ vim tanti
ſpiritus oſtendo, & robur infinitum iſtius temporis, cum illius
cœleſti virtute muniti totum poſtea terrarum orbem peragra-
uerint, vniuerſa maria nauigauerint, & omnes gentes atque
nationes à Solis ortu in occaſum vſque in Chriſti Ieſu ditionem
poteſtatemque redegerint? Quòd ſi ſectatores huiuſce ſæculi
animaduerterent, ſi vellent attentiſſimâ cogitatione perpen-
dere vim diuinam & cœleſtem ſpiritus ſanctiſſimi virtutem, il-
lius amore flagrarent incredibiliter. An verò vos putatis ho-
mines iſtius ſæculi ſic appetere diuitias, ſitire honores, digni-
tates, & voluptates ſuas, imperia conſectari, an ſic exiſtimatis
Cæſares illos, Alexandros, reliquosque terrarum Principes
tantis vitæ periculis aditis, honoris & gloriæ humanæ deſide-
rio flagraſſe, atque cultores Chriſti fidei ſanctiſſimi huiuſce di-
uini Spiritus facibus ardentes, præter cogitationem omnem,
cœleſtium rerum amore flagrarunt, & ſeſe in labores, in pericu-
la, in aperta capitis diſcrimina coniecerunt? cuius obſecrò aua-
ri hominis ſtudium, ardor, labores & pericula, cùm B. Pauli ſtu-
dio, ardore, laboribus & periculis conferentur? Neque verò
Paulum dumtaxat, ſed Laurentios, Sebaſtianos, Vincentios, &
alios innumerabiles Martyrum inuictiſſimorum exercitus pro-
ferre potuiſſemus, qui flagrantiore ſtudio, & ardentiore chari-
tate ſuccenſi vitam cum ſanguine pro Chriſti Ieſu Religione
profuderunt, quàm honores & dignitates, quàm diuitias & o-
pes, quàm Regnorum ſceptra potentiſſimorum, ſectatores i-
ſtius ſæculi concupiuerunt. An non hoc facilè (vt alios omitta-
mus) Beatus Ignatius oſtendit, qui tam ingenti Martyris lau-
ream cupiditate ſitiebat, vt ad beſtias damnatus ſtudio eas &
auiditate flagranti deſiderauerit? O felices belluas, dicebat,
quæ comparantur mihi! & quando præſentes erunt? quando e-
mittentur foras? quando in me impetum facient? quando car-
nes dilacerabunt, dilaniabuntque meas? quando eiſdem veſ-
centur inſaturabiliter? Quas equidem in me cupio multo ve-
hementiores eſſe, quàm ad hoc vſque tempus fuerint: nec à
me ipſo, ab hoc corpore, ab Ignatij carnibus ora ſua inhian-
tia continere. Quæ ſi morabuntur, ego Ignatius vltrò laceſſam,
prouocabo belluas, & ad irruendum in me vehementer inci-
tabo, meque ipſum, ſi opus fuerit, in illarum os & fauces infe-

ram, & intrudam. Quid hac animi magnitudine præclarius? quid præsenti robore, ac fortitudine præstantius? vnde robur & animi magnitudo tam inuicta, nisi ab hoc spiritu vehementi, qui in Apostolorum animos hodierna die intulit sese? O diuinam spiritus vim! O roburinuictum! O vires admirandas, quibus quicumque munitus fuerit, non robore solum & magnitudine animi præstantissima præditus erit, sed omnibus ornamentis absolutæ sanctitatis illustratus. Ille præceptor est & magister actionum & virtutum maximarum. Ille auctor & princeps Ecclesiæ Christi Iesu conseruandæ, & ad tantam quantam aspicimus, dignitatem & amplitudinem euehendæ. Ille in rebus gerendis hominum animos luce suæ cognitionis illustrat, in rebus aduersis perfugium præbet, in dubijs & obscuris lucem affert, labantes sustinet & confirmat ad certamina subeunda, & ad pericula adeunda fortitudine maxima corroborat, diuitijs omnibus & ornamentis cœlestibus locupletat, mites reddit & mansuetos, benignos ac liberales, patientes in casibus & calamitatibus passim euenientibus, hominibus cœlestes quosdam spiritus, omnis sanctitatis absolutione cumulatos impertitur, qui quascumq; res huiusce sæculi contemnant, fecem & sordes ducant, nihil quod præter Deum immortalem sit, & ad illum dirigat, deducatque expetendum putent, vt quanquam corporibus in terra sint, animis tamen in cælo versentur, vt muneribus illius redundantes in cœlorum gloriam immortalem corporis compagibus soluti euolent. Vtinam his donis ac muneribus diuini Spiritus in hunc modum locupletemur, vt ad hæreditatem Beatorum acquirendam cumulum illorum & magnitudinem, felices ac verè fortunati consequamur. Dixi.

***

De Ora-

De Oratione funebri, ex Argumentis superioribus, auxilio tamen aliorum ornata.

ORatio funebris in hanc partem cadere potest: quæ maximè splendet & illustratur Similibus, Comparatis, & exemplis. Illa autem componitur locis & capitibus exornationum, & deliberationis. Nam continet laudem personæ, quæ excessit è vita: quoniam fuerit bona, sapiens, vtilis Reipub. Habet laudem personarum, rerum & factorum, diligenter obseruatis & descriptis ad commiserationem circumstantijs: loci communes & amplificationes inseruntur: in eum qui causa fuit mortis inuectiua adhibetur, si res postulet, querimonia ad Deum, qui passus fuerit tam vtilem, & tantum virum è medio tolli. Adhortatio etiam adhibetur & ad vindicandum, & ad imitandum. Vt si laudaretur Cæsar, miseratio adhiberetur descriptione mortis, denique adhortatio ad mortem vindicandam, insectatione Bruti, Cassij & occisorum. Talem funebrem teste Cicerone, habuit Antonius post mortem Cæsaris. Alter est modus, & hunc imitabitur Ecclesiastes, qui tractabit materiam ad Auditorum institutionem accommodatam, vt de præparatione ad mortem, de morte, de miserijs vitæ humanæ, de earum liberatione post mortem, de contemptione rerum humanarum, de expetenda fœlicitate Beatorum, de animorum immortalitate, de extremo iudicio, de reddenda ratione omnis anteactæ vitæ, de supplicijs inferorum, de Iustitia aut Dei misericordia: non lugendos immoderatè mortuos, sed agendas immortali Deo gratias, qui malis omnibus illos eripuerit: deinde data occasione de laudibus mortui, auditores ad imitationem excitare poterunt.

* *
*

De primo modo.

In obitu Domini Ioannis ab Austria, fratris Philippi, hoc nomine secundi, Regis Hispaniarum potentissimi.

MOeroris ingentis, quo fuerunt hisce temporibus affecta, Domini Ioannis ab Austria è viuis immaturo discessu nuntiato, Hispaniarum imperia partim tanti viri meritis maximis, partim nostrarum rerum iactura dolorem hodiernus dies renouabit: idemque necessitatem afferret obductarum aliqua ex parte cicatricum (quas fugit ac reformidat animus) diei præsentis acerbitate refricandarum. Tantam enim fortitudinem, tam incredibilem & inuictam virtutem, tantam in summo ornamentorum cumulo defendendæ Religionis auiditatem, tam expressam ac planè paternæ virtutis imaginem necessario in memoriam redigere debemus. Præcellentissimo enim Domino Ioanne Austriaco, & Philippo Regi potentissimo, & suis Regnis & imperijs ablato, non solùm illius virtutem amissam, sed Christianam Rempub. magnopere sauciatam, afflictamque videbitis. Dolent enim Hispani ac vehementer anguntur, cum vident talem Ducem, qui in Religionis causa suscipienda talem se præstiterit, quamuis mortali conditione natum, tamen non multo plures annos & sæculorum ætates plurimas, permansisse. Nec sibi persuadere possunt, neque fas esse quidquam aliud cogitare putant, quin Deus immortalis fuerit iratus hisce formidolosis & adeo calamitosis temporibus tanto defensore Fidei propugnatoreque acerrimo è viuis ablato. Sane & mihi de tanto Principe dicturo, & exequiarum cunctis spectatoribus, maximum animi mœrorem doloremque renouauit præsens spectaculum, & ad lacrymas eliciendas, & ad omnem sensum doloris acerbissimum occasionem & necessitatem maximam attulit. Quid agam Auditores? Quid primùm querar? aut quid potissimum deplorem? Sanctissime Deus, quibusnam tan is sceleribus nostris & flagitijs grauissimis spes tantas Hispaniarum Regnis præcidisti? tantum propugnaculum Reipub. Christianæ eripuisti? hocipso tempore, cum illo magis Religionis res indigere videbantur? cùm Flandriæ sperabatur ad nostram fidem vniuersæ traductio futura tanta

Impe-

Imperatoris fœlicitate clarissimi? cum Romana sedes, cuius armis tot & tantæ præclaræ res gestæ fuerant contra Mauros, contra Turcas, eius inuictissima dextera Flandriam matris Ecclesiæ gremio ac complexui reddendam restituendamque speraret? Cùm denique nouæ singulis propè diebus & secundi nuntij venirent in Hispaniam, & toto terrarum orbe commearent, litteræque volitarent creberrimæ de rebus in Flandria per tantum Imperatorem, fortiter gestis, de prælijs fœlicissimè commissis, de ciuitatibus captis, de expugnatis oppidis, de traditis imperio suo, deditisque populis atque prouincijs, de spe denique deditionis prope certa exploratáque hoc fœlicissimo tempore. Tam secundo vento, cum res Flandriæ, cum Hispaniarum status, cùm causa Fidei veheretur, ablatum est columen Imperij, præsidium Hispaniarum, propugnaculum Religionis. Si nostris sceleribus violauimus maiestatem tui numinis vtinam pœnis alijs nostra scelera lueremus! vtinam in nos alia supplicia statueres, & auctores & principes scelerum deleres potius, quàm tantùm decus & lumen extingueres! Eius interitu acerbissimo mæret Hispania, squalent Hispanorum Regna, Roma conflictatur, maximè sacra luget Religio omni veteri hilaritate exuta, omni splendore spoliatæ sedes & domicilia Christianorum in sordibus & squalore iacent: ipsi verò Principes terrarum quàm grauiter mortem tulerint, quàm dolenter Magnates Hispaniarum acceperint, atque ille ipse vnicum nostræ Fidei fundamentum frater tanti principis, cui æquè carus erat, atque sibi ipsimet Philippus Rex Hispaniæ potentissimus, quanto sensu ac dolore animi affectus fuerit, declarauit ille dies, cùm litteris nunciisque de morte venientibus, ad tantam maiestatem, qui redderent litteras, qui nunciare auderent, vix reperiebatur vnus, ne mortis nuncio mortem quoque tanto Regi terrarum afferre videretur. Videbant id quod re comprobatum fuit, aut morbum ex mœrore tracturum aliquem, aut ex dolore repentino non parum detrimenti accepturum esse Regem eum, qui videbat in fratre, quantum momenti positum esset, ad Fidei religionem defendendam, ad metum iniiciendum hostibus, ad Flandriam recuperandam, ad ægras & propè deplorandas tantarum prouinciarum partes sanandas. Qui si malum istud non deleret, quis obsecro delere posset? an Principes Germaniæ? at plurimi hæreseos labe contaminati? an Elisabeth crudelis & impia, quæ de perdenda Scotia, de tota Anglia delenda, & hæreseos,

erroribus ad inferos detrudenda, nunquam cogitare desinebat? An Ptincipes Flandriæ? an Princeps ipse Orangiensis, qui rebus Fidei contrarius erat & infestus? Videte quam iustas causas habuerit Philippus Rex Christianissimus mortem fratris istius sibi semper carissimi grauiter & acerbè lugendæ. Quam omnes Hispaniarum habitatores & ipsa mater Ecclesia immaturo Domini Ioannis obitu incredibiles plagas acceperit. Atque imprimis proponamus ante oculos vobis hunc Principem præcellentissimum admirandis corporis & animi ornamentis præditum. Quæ enim illius oris dignitas? Qui oculorum splendor? Quæ suauitas coloris? pauculæ erant in malis leuiter eminentibus, atque naturali robore perfusis maculæ leuiter sparsæ, quæ magis honestabant & illustriorem oris speciem atque dignitatem reddebant. Accedebat erectum & excelsum corpus, directa & habilia ad cohonestandum incessum crura. incessus cum grauitate summa dignissimus tanta nobilitate, tanto splendore adolescentis clarissimi, qui sic omnibus corporis lineamentis, omni ex parte mirificè congruentibus, summo cum lepore confirmatus fuerat, vt omnem iuuentutis Hispaniæ pulchritudinem sui aspectus præstantia obscurasse videretur, & omnium in se oculos & ora conuertere, quacunque præteriret, quacunque equitaret aulicorum flore stipatus, omnibus suæ ætatis adolescentibus elegantissima pulchritudinis specie præstabat. Quæ augebantur in illo comitate mirabili, amore cunctorum hominum in illum singulari, atque illa multa florentissimaque arte equitandi, & armis scienter vtendi & in omnibus sese ludis, & spectaculis ostentandi magnificentissimè: vt qualem se progressu temporis ducem præstiturus esset parente suo Carolo inuictissimo dignissimum filium, iam ab illo tempore videbantur in illo documenta clarissima. His igitur initiis, hac spe alebatur ab inuictissimo fratre ad omnes Regnorum expeditiones. Exortum fuit illis temporibus bellum, quod propter recentem memoriam præsentes obliuisci non potuerunt. Agarenis in Regno Granatensi concitatis, erant viri bellicarum rerum peritissimi, erant Duces ad illius belli periculum propulsandum fortissimi: erat inter alios Prorex Granatensis Marchio de Mondeiar, & scientia rei militaris, & summo consilio, & maxima fortitudine celebratus; erat denique Princeps cunctorum Dux præcellentissimus de Sesa, qui Agarenis rebellantibus bellum faceret, & illos turbulentos motus

tus bellicis rationibus sedaret. Quorum opera quamquam ad bellum conficiendum vsus fuit, tamen Ducem belli totius præposuit Dominum Ioannem Austrium adolescentem magni animi, magnæ spei, auidum paternæ virtutis imitandæ, & imperatoriæ suis egregijs facinoribus comparandæ. Istius videre erat per omne tempus (quod asperum & hyemale fuerat) industriam in agendo, consilium in prouidendo, tolerantiam in patiendo, fortitudinem in resistendo, quæ in bello maximæ clarissimæque virtutes perspectæ fuerunt in adolescente clarissimo. Cùm itinera facienda essent, transmittendi colles, prætereundæ syluæ, calcandæ niues, & aliæ innumerabiles superandæ difficultates, quàm ad omnia se præstitit diligentem, industrium, patientem, inuictum, vt Annibal iam adolescens videretur, qui Saguntho fame capto, altissimas Alpes, in Italiam descensurus, ducens exercitum, omni contentione penetrauit: vel alter Cn. Pompeius, qui adolescens à Sylla præfectus exercitui contra tres Duces fortissimos, & Principes Marianæ factionis exercitatissimos, fudit, fugauitque copias omni ferocitate, Romanam in nobilitatem, in Senatum & in totam Rempublicam, insultantes. Videretis circumuenire hostes, intercludere fugam, transitu prohibere, expectare, persequi, prælia plurima facere, cogere ad seditionem illum ex vna, ex altera parte Ducem de Sesa ad bellum conficiendum omni ratione contendere, donec confecerunt ac profligarunt partim hostes, partim coegerunt ad deditionem. Ita bellum magnum & periculosum per annos paucos summa contentione gestum Duce Domino Ioanne ab Austria confectum est. Cuius magnitudo belli non tanta principio videbatur, quanta postea visa fuit, & re ipsa nostros experiri necessarium erat. Nam cum omnes concitati essent, & ex Africanis sedibus euocati innumerabiles veniissent, in montes altissimos sese receperunt Agareni, Maurique coniuncti, quò propter difficultatem, propter altitudinem suam, propter locorum inscientiam, maximè propter asperitatem hyemis, propter paludes stagnantes, & oppositas niuium moles altissimas immanissimasque omnes aditus præcludebantur, neque nostri ad hostem nisi magno periculo, & hostilibus semper insidijs circumuenti accessum habere poterant. Ita quidē quem Silla Pompeio victori honorem tribuit, vt militibus audientib. Imperatorem appellaret, hunc omnes milites inclyto Ioanni ab

Austria fortissimo feliciſſimoque Duci impertiri potuerunt. Atque in hoc clarior Cn. Pompeio Dominus Ioannes ab Austria, quod ille fugauit copias inimicorum ; hic superauit & in deditionem accepit. Ille vno percusso reliquos equites peditesque perterritos in fugam coniecit ; Ioannes fortissimus, plurimis vulneratis, alijs interfectis reliquos belli viribus subiugauit. Quorum cum perfidiam metueret Rex Catholicus, neque fortunam tentandam iterum putaret, si fortasse defeciſſent, per totam Bethicam & alias Castellæ partes semen execrandi generis diſperſum ſtatim aſpeximus. Quid tam inuſitatum, quàm adoleſcentem rei militaris imperium gerere? at præfectus fuit bello, Granatenſi Dux præcellentiſſimus Ioannes ab Austria. Quid magis nouum, quàm in bello nunquam antea verſatum, diſciplina duntaxat militari inſtructum, & ipſa indole & animi virtute tanquam exercitatum multum diuque Ducem aſſuefactum rem bellicam adminiſtrare? quid tam inauditum, quàm id temporis exercitui præpoſitum eſſe, cum nunquam in hoſtem haſtam coniecisſet, nunquam in acie verſatus eſſet, neque ipſas vidiſſet ſuis vnquam oculis copias inſtructas tam fortiter belli munera difficillima præſtare, vt prælijs plurimis contenderet cum hoſtibus, & in illis cædes fecerit, & ſtrages plurimas? Quid denique magis ſtupendum? quid tam præter communem hominum expectationem, quàm adoleſcentem, vix annos viginti natum Ducis partes agere, præire Ducem, dare ſignum, acerrimè confligere, perſequi bellum, vſque eò progredi cædes innumerabiles facientem, quoad hoſtium copias tanta multitudine redundantes victor afflixerit atque perdiderit? Omnia hæc adoleſcens Dominus Ioannes ab Austria præſtitit. Satis longum ſermonem habuimus de primo bello, Patres, & non ſine cauſa, vt ex principijs his reliqua colligeretis. Audite, audite nunc nauale prælium, quod neque Cæſar neque Pompeius Imperator magnus, neque victores Imperatores Romani tanta cum felicitate confecerunt. Nota fuit omnibus conſpiratio Chriſtianorum Principum, Pio Quinto Pontifice maximo ſuadente in Turcarum Regem ſuperbiſſimum, qui poſteà quam maximam ornauit ædificauitque claſſem, innumerabilemque multitudinem quibuſcunque ex gentibus potuit, comparauit, Chriſtianæ genti cladem & calamitatem horrendam minitatus eſt. Liceat mihi paulò clariùs exponere mentem

Turca-

Turcarum insaniſſimam: liceat impetus & furores illorum nefarios proferre: liceat deniq; ſuperbiam & arrogantiam oſtendere eorum qui cum paucos ante annos freti victoria cõſequuta venirent, quos ſpiritus, quos animos ſumpſerant? inſtruxerat, & ornauerat impius Turcarum Rex claſſem talem ac tam ſuperbam, rebus omnibus bellicis militibus ſuis veteranis, & Ducibus fortiſſimis munitam atque confirmatam, qualem nunquam antea, nec ille, neque Maiores ſui vlla ſæculorum memoria, quæ inflammato ſtudio in noſtra Regna rapiebatur, vagabatur toto mari prædonum innumerabilis multitudo exultans atque furens, & noſtras ſanè fortunas, noſtra Regna, noſtrum ſanguinem, & ſi potuiſſent, noſtrum omninò exitium & interitum ſitiens, niſi noſtrorum hominum claſſis non tanto numero neque multitudine, ſed animis atque virtute freta maiore acriter obſtitiſſet. Conſpirauerant enim Duces multi Italiæ, Venetorum Senatus florentiſſimus, & Pij Quinti Pontificis maximi ſuaſu Rex ipſe potentiſſimus Hiſpaniarum; copias ſuas etiam Pontifex ipſe ſanctiſſimus adiunxerat, & cuncti vires ſuas ad perdendam delendamque Turcarum potentiam contulerunt. Talis claſſis inſtructa fuerat, ſic omnibus rebus ornata, & ad congrediendum paratiſſima, vt Religionis veritati fidens, & inuictæ virtuti Chriſti Ieſu, pugnam non recuſaret. Videre erat claſſem hanc tam florentem, tam munitam, tam ornatam ex omni Chriſtianorum flore delectam, vaſtiſſimum mare ſulcantem, quærentem aduerſariam, & inimicam, & illius hoſtiles congreſſus appetentem, & eum, qui præpoſitus fuerat, Imperatorem, qui totius claſſis ſummum Imperium tenebat Dominum Ioannem ab Auſtria in ipſo flore iuuentutis poſitum nondum ſex & viginti annos natum, excitantem animos ſuorum ad pugnam, paucos poſt dies committendam. Hoc interea ſpatio, quæ preces Chriſtianorum? quæ ſacrificia facta? quæ vota nuncupæta? vt immanes & efferos Turcas noſtri vincerent, & illorum exultantem audaciam ferocitatemque comprimerent? O Calendæ Octobris felices, atque fauſtæ, quæ tantum Chriſtianis gaudium, tantum boni, victoria de Turcis comparata attuliſtis? Venit in conſpectum noſtræ tandem aliquando claſſis inimicorum, quæ ventrs primo ſecundis in noſtros vehebatur, exaltare caput cœpit, & quaſi explorata victoria tota in noſtros parata iam ad dimicandum in mediæ Lunæ ſpeciem furens ac fremens ferebatur. Ecce ſubito, cum iam fugiendi ne-

mini daretur potestas, reflare ventus visus est & nostris spirare secundissimus: confligitur ab vtraque parte fortiter atque vehementer, & per multum tempus dubio & ancipiti Marte, suos semper hortante incitanteque milites ad pugnam Imperatore Ioanne fortissimo. Quid ego dicam fuisse superatos & victos hostes, cum pauci illorum fuga euaserint? quid captas triremes plurimas in Christianorum venisse potestatem, cum centum & nonaginta quinque Turcarum triremes, aliaque complura nauigiorum genera à nostris capta fuisse constet? Quid vulneratos hostes? & alios captos commemorem, cum quadraginta hostium millia cæsa fuerint & decem millia, & his amplius capta fuerint à nobis? An ignoramus ex captiuis nostris, quos secum remiges Turcæ habebant, plurimos recuperatos & seruitute liberatos fuisse, cum amplius decem millia captiuorum in libertatem vindicarentur? An verò victoriam extitisse nobis gloriosam prædicem, cum post hominum memoriam & veterum & Christianorum, similem nunquam, neque legerimus, neque audiuerimus vnquam? cum ex Turcarum tanta multitudine vix vnus immanissimus prædo, & vnus item sæuissimi piratæ Ariadeni filius fuga liberaretur, qui ad immanissimum Turcarum Regem tantæ nuncium insperatæ cladis miserrimum & luctuosissimum deferret? Possumus recordari Cruciferorum B. Ioannis fortitudinem, in quos immanissimi Turcæ furenter inuaserunt. Omnium maximè recordari debemus triremem Imperatoris inuictissimi Iohannis ab Austria ab hostibus circumuentam, totam oppugnatam acerrimè tormentis omnibus appetitam vehementissimeque verberatam, & puppim suarum iam iam illatam in Imperatoriam obstrusamque, quod factu facillimum erat propter hostilium multitudinem triremium. Scimus in his angustijs nostræ Prætoriæ triremi venisse subsidio Marchionem de sancta Cruce, ipsam Prætoriam fortiter se defendentem contra numerum tantum inimicorum pugnante semper & acerrimè resistente Imperatore fortissimo Ioanne ab Austria, quoad Christi Iesu effigies in edito fuit præcelsoque statua loco, caput Ducis Turcarum à ceruicibus abscissum, & elatum in sublime, vt à suis omnibus cerneretur. His iam cadere videres Turcarum animos, nostris cædere, dedere se plurimos, & triremes tradere, deprimi plurimas, & in profundum deijci, plurimas capi, & omnes in nostrorum hominum potestatem venire, præter nominati superius à nobis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0460
DFG

bis prædonis vnius pauculas, quæ in cæcis illis nubibus ac tenebris fuga elapsæ fuerunt. Inclamare continuo nostri victoriam. Qua victoria reportata, quæ glorioſior vnquam fuit? quæ commendatior hominum memoriæ ſempiternæ? Agoſt bi gratias ingentes immortalis Deus, qui tantum roboris ac fortitudinis Chriſtianorum genti tribuiſti: quod talem ac tantum Ducem, & Imperatorem in tanta annorum paucitate largitus es, qualem euentus fortiſſimus teſtari potuit. Quod igitur exultantem Turcarum audaciam compreſſam, quod maria ex omni parte prædonum refertiſſima poſtea parefacta, & omnino liberata, quod gladiorum mucrones à Chriſtianorũ iugulis depulſos, quòd cædes, quod incendia, quòd rapinas à noſtrorum tectis, fortuniſque ſublatas, quod à templis ſacrilegia, ab oppidis direptiones, ab Italia præcipuè vaſtitatem, ab omnium vita crudelitatem depulſam fuiſſe videmus, fortitudo fecit, & ſummum inuictiſſimi Ioannis conſilium, atque prudentia, cui nullas ſtatuas, nullos arcus triumphales, nulla trophæa, nulla inſignia laudis, nulla monumenta honoris pro magnitudine rerum ab eo geſtarum ſatisfacere poſſe putamus. Quò tantum & tam fœlicem Imperatorem & inuictum, tanta comparati nominis celebritate clarum reſerues, niſi ad Chriſtianæ Reipublicæ defenſionem, ad hoſtium Fidei conatus reprimendos? O verum Caroli Quinti Imperatoris filium! O filium memorem Patris, imitatoremque paternæ virtutis! Audieras adoleſcens, & ex Hiſpaniarum annalibus acceperas, fortitudinem parentis tui, inuictam Caroli fortitudinem, omnium Imperatorum Romanorum laudibus obſcuritatem afferentem. Audieras expugnatam in Africa, opibus & viribus florentiſſimam vrbem Tunetum, turpiter expulſo fugatoque tyranno. Audieras propulſatum ab Vngariæ Poloniæque finibus immaniſſimum Turcarum Regem. Audieras Rhenum ipſum fractis ſubactiſque Germaniæ Principibus ab eodem Imperatore occupatum. Audieras Italiam ſibi ſuiſque militibus deditam, & terrarum principem Romam imperio ſuo parentem. Audieras Argelium Turcarum receptaculum & aſylum commune, ad Hiſpaniæ mala paſſim inferenda repentinis incurſionibus & aduentu ſæpe inopinato, ab eodem Imperatore, ni ſæua tempeſtas obſtitiſſet, ferè captum, & in Imperatorias manus breuiter eſſe venturum. Audieras motus temporum turbulentiſſimorum abſente Carolo, tot populorum,

tot vrbium, tot Principum conspirationem Hispanorum compressam atque sedatam, totam Hispaniam, suas prouincias, sua Regna potentissima vnius parentis aduentu robore, consilio, pacata. Audieras tremuisse Mauros, metuisse valdè Turcas, formidasse Anglos, & gentes omnes ac nationes vnius Caroli inuictam virtutem exhorruisse. Audieras denique, & victoriarum monumenta clarissimarum consequutum Carolum Imperatorem, plusquam Cæsarem, plusquam Alexandrum fuisse, & honoratum ab omnibus orbis terræ propinquis remotissimisque nationibus. Hac tanta stirpe procreatus, hoc inuicto parente susceptus non peteras, non animum inuictum, non spiritus magnos, atque verè Imperatorios in Turcas immanes, in vniuersos Christianæ Religionis hostes, in dies confidentius non suscipere. Rato equidem otio torporeque iacent, quos paterna auitaque laus ad res fortiter gerendas exuscitat. Quo igitur ibis, post tot spes excitatas præcelentissime Ioannes? ad cuius rei studium post naualem pugnam incumbes, vt parentis te similem, vt suarum virtutum, æmulum, & imitatorem præbeas? Ad te se nostra tandem aliquando conuertat oratio Philippe potentissime. Audio enim fratrem à te mitti Ioannem in Flandriam, vt quam neque Duces multi, neque Dux Albani sedare potuerit, eam aduentu suo frater tuus quietam reddat atque pacatam. Feciſti Rex Catholice, quod tuos consilio, quod prudentia, quod fide tua religioneque sanctissima dignissimum est: Dediſti fratri segetem copiosam & materiam abundantem, in qua illius fortitudo latiùs potuisset excurrere. Quem enim tanta fortitudine, tantis bellicis laudibus victorem naualis pugnæ, represſorem Turcarum & extinctorem, tantæ felicitatis Flandri audierunt, timebunt omnes, & illi se libentius animis subijcient. Complectimini vos iam cogitationibus vestris Dominum Ioannem ab Austria ingredientem in Flandriam, accipientem tot Flandriæ prouinciarum gubernacula, res multas præclarè gerentem, horum deditionem oppidorum, aliorum timorem, & paratissimam voluntatem ad omnia, quæ ille vellet & imperaret. Denique res illius semper secundo fortunæ flatu vehi, hæreseos imminutionem fieri, fidei restitutionem in multis Flandriæ partibus amissæ videri, atque vt concludam breui totam Flandriam venturam in tanti Principis potestatem ditionemque fœliciſſimam. Quid tanto Principe fœlicius? quid Domino Ioanne ab Austria fortunatius esse videbatur? O di-

ram,

tam, & immanem mortem! O crudelem & atrocem Parcam quæ in tanta rerum secundarum fœlicitate, vitam in secundo suæ vitæ flatu, cursuque tam prospero de medio auferes! è vita tolles nobis & vniuersæ Reipub. Christianæ tantum & tam insignem Imperatorem? Heu cum magis putabamus victurum esse & conseruandum ad persequendum conficiendumque cursum prouinciæ demandatæ tam fœliciter institutum, audimus mortuum esse, diem suum obijsse præcellentissimum Ioannem ab Austria, columen Hispaniarum, Granatensis Regni conseruatorem, depulsorem Turcarum immanissimorum, victorem gentium ferocissimarum. Atque priùs mortuum audiuimus, quàm in morbum incidisse nuncij litteræque detulerunt. Non ego hic consistam? non deplorem casum miserabilem? non ærumnas nostras & miserias, non vestram O Flandri sortem miserrimam? Qui si iacetis adhuc in sordibus & in squalore, si vestris in erroribus versamini, si laqueis hæreseos implicati constrictique tenemini, si a gremio Matris Ecclesiæ abstracti diuulsique; à cœlorum regionibus tam procul aberratis, si ab hinc tot annos neque pacem, neque otium habetis, si semper bella, semper arma tractatis Hispaniarum Regi Philippo vestro Domino, vestro Regi legitimo, & ipsi Matri Ecclesiæ bellum omni crudelitate imbutum facitis, si tot millia vestrum quotidie deturbantur in inferorum regiones, neque vlla ferè spes est abiectis sacris, dirutis templis, prostraris simulachris, deleto cultu, Religioneque extincta, conculcato Christo Iesu ad vos redeundi, quam causam dicam fuisse huiusce mali communis pestisque deterrimæ, quæ vos adhunc vsque diem depopulatur & absumit? quæ fuit (& vos mihi date veniam Duces Hispaniarum, ignoscite Leones fortissimi) quæ fuit inquam causa naualis pugnæ contra Angliam non committendæ, non reprimendæ Anglorum Reginæ Elysabethæ deterrimæ, & totius Angliæ ad fidem Christianam Religionemque reuocandæ? quæ denique videtur causa hisce proximis miserrimis temporibus belli contra hostes alios non confecti, quos neque alij Duces, neque nostri Hispani reprimere potuerunt? insultarunt potiùs illi, & contra nos bellum voce præconis, & tubarum clangore flamma ferroque gerendum prædicarunt. Si tu superstes esse fortissimè Ioannes, si tantum de terris præsidium ablatum non esset, haberemus, quem hisce furijs omnibus, atque procellis Religionis opponeremus. Sed quando nostris sceleribus superstitem retinere

nere non meruimus, deploremus miserias nostras, lugeamus casus miseros & ærumnosos, lugeamus calamitates & clades rebus nostris inuectas: nihil esse mali, quod peccatum non possit inferre, nihil calamitatis, quam non importare soleat rebus humanis intelligamus. Nos ipsos moresque nostros corrigamus, si voluerimus viros viles Reipub. necessarios Religioni conseruare, neque nostras spes, ex animis excidere, sed ali, augerique successu quotidie maximarum rerum secundissimo. Cum Flandria, cum reliquæ partes, tu præcipuè Hispania vulnus grauissimum acceperis, huic quemadmodũ mederi valeamus, nescio. Auditores, nisi precati à mitissimo Iesu fuerimus, vt quem habemus Regem, diu per multos annos saluum & incolumem conseruet. In illo omnia Hispaniarum Regna, omnis salus & incolumitas nostra, omnis propulsandæ delendæque hæreseos spes, omnis denique defendendæ Catholicæ sedis hisce temporibus in sua dignitate, vires positæ sunt atque facultates. Hunc Regem per clementiam & mansuetudinem tuam Christe Iesu, per caritatem incredibilem, & æterno Patri tributam obedientiam, per liberalitatem, & in omne genus hominum beneficentiam inauditam, per cruciatos tuos, per sanguinem profusum, & mortem in crucis ligno pro generis humani salute libenter oppetitam, tuere atque conserua. Nam de præmijs tanto Duci pro suis diuiuis atque immortalibus in Christianam Religionem meritis solita tua liberalitate tributis, cùm virtus Ducis fortissimi, tum tuæ maximæ fidelesque pollicitationes, ne dubitare debeam, certam mihi & explorata[m] auditoribus spem afferre potuerunt. Dixi.

De secundo modo orationis funebris in morte Sebastiani Regis Lusitanorum.

Omnis consummationis vidi finem.

VEllem Deus immortalis fecisset, illustrissimi viri, vt viuo potius Rege Sebastiano gratias ageremus, quàm mortuo iusta celebraremus. Nec verò dubito, quin si Rex ipse reditum ad nos habuisset, victoria nobis esset, & illius fortitudo prædicanda: sed quoniam ita tulit casus infestus, vt in grauissimo periculosissimoque prælio, fortiter & acriter confligen[t]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0464
DFG

fligens occubuerit, mortem exultantem in Regum funeribus aspiciamus, vt quantum nobis ipsis consulere debeamus & sibi quoque Magnates Lusitaniæ, qui propius ad Regiam maiestatem accedunt, cùm prouiderint mortem propter incertos casus quotidie imminentem, sibi suisque animis consulant, quæ quamuis longè abesse videatur propter adolescentiam, & corporis vires valentes, eam tamen præter opinionem aggressuram, & nobilissimum quemque pignoraturam fuisse sibi genus omne hominum ex præsenti casu miserrimo persuadere potest. Quæ enim Regibus non pepercit, minimè parcet mediocribus, aut in aliquo dignitatis gradu collocatis. Præclarè serenissimi Regis discessum à mortalibus in Beatorum regna vates ille diuinus ante oculos statuit, cum inquit, Omnis consummationis vidi finem: vt nullius eorum, qui præsentes sunt, cuiuscunque status, atque fortunæ, fuerit, mortem euasurum se esse putet, sed moriturum certè, & incertum se esse quando, quando nihil est in humanis tam illustri specie, neque absolutione perfectum, quod non aliquando necessariò sit occasurum. Consideremus terram hanc vestitam herbis ac frugibus, decoratam violis ac rosis, & omni pulchritudinis varietate distinctam. Quæ in aeris circumfusi regione multitudo varietasque auium volatus conficit incredibili celeritate sublatos in cœlum, aut demissos in terram? quæ sunt animantium siue mitium, siue immitium genera multiplicia? Omnis in rerum natura ad vsus & ad delicias nostras varietas & pulchritudo creata spectatur. Quidquamne futurum esse putatis perpetuum? nihil est, quod permanere possit ad perpetuitatem. Hæc natura sunt, quæ infra Lunam procreata fuerunt, vt alijs alia succedant, & omnia futura non sint perpetua. Qua lege minimè quidem solutum est genus hominum: sed cum naturæ conditione fuerit, susceptum in hanc lucem, tum grauioribus malis expositum est calamitatibus, vt nulla pernices, neque calamitas aliarum rerum genus & diuersitatem quancumque peruadere possit, quæ per homines cuiuscunque status & conditionis liberius & impunius non peruadat, & ab initio nascentis mundi, non peruaserit: Vt melius videretur actum cum multis hominibus, nunquam natos, quam illos in tantas miserias & ærumnas fuisse coniectos, quas quomodo declinent, neq; quemadmodũ ad eas propulsandas animos instruere valeant, intelligunt. sic illos vndiq; mala circunstant; sic mors semper insequi videtur à tergo miseros & calamitosos, siue debilitate naturæ, siue virium

imbe-

imbecillitate, siue casibus repentinis, siue periculis intentis aut impendentibus malis, aut morborum varietate grauissimorum vel impetu subito, nullo habito discrimine neque ratione personarum. Quòd si quis propter nobilitatem generis putat serius se moriturum esse, non parentes iam, & principes & auctores sui generis ac sanguinis antiquissimi mortuos considerabit? si propter florem iuuentutis, quot iuuenes, pulchritudine sua, & ætate præditos in memoriam rediget? si propter bonorum abundantiam, quot seipso locupletiores, & qui maiores redditus habebant in hoc sæculo, recordari poterit mortuos? si propter vires ac bonam valetudinem, quot illo valentiores? quot constitutione mira corporis præditos leui de causa de medio sublatos meminerit? si propter ingenium & litterarum cognitionem, non plures Theologi præstantiores, & omnibus artibus, atque disciplinis maximis ornati spectaculum præbebunt generi mortalium miserum satis atque luctuosum? Quid de Thiaris, quid de dignitatibus dicam? reperti sunt Pontifices creati, sed qui sedem suam non occuparint; & in his rebus humanis spem vllam habebimus? in nostris viribus, in bona valetudine, in elegantia corporis, in affluentia bonorum, in litterarum cognitione, in honoribus & dignitatibus confidemus? Non is benè profecto recordatus vatis diuini sententiam, non præpositum Psalmi versiculum, nõ illa paucula verba in memoria habet, aut si habet, animum non attendit ad ea, quæ tanti sua interfuit attendisse. Nihil vnquã ad tantam amplitudinẽ ad tantum fastigium ascendit, quod non mole sua ruerit, vel temporum inclinatione, vel vicissitudine fortunæ, vel aliarum incursu grauiore calamitatum. Cerno animo montes altissimos, & cœlo ipsi propter altitudinem suam quasi imminentes, tanta firmitate stabilitos, atque inhærentes in imis terræ visceribus paulatim prolatos erectos & excelsos, & ad altitudinem infinitam elatos, quorum verticem & summa iuga neque consequi possunt oculi mortales, neque in summum & præcelsum cacumen ascendisse scimus vnquam: Aues mehercule, quasi metuere videntur, & in aere medio tutiores videntur esse, quàm in summo istorum montium altissimorum iugo, ne vento perflante vehementissimo, alarum debilitate suarum, contra vim magnitudinemque ventorum frustrà contendentes, ad saxeta deferantur, & illidantur miserrimè. At quoties montes hos vidimus vetustate excisos multis in partibus, in alijs horridos atque deformes, inæqua-

les &

les & lacunosos, atque decursu temporis sedibus suis euulsos, deiectos in planiciem aliquam, cum campis patentibus, cum infimis vallibus adæquatos? *mons cadens defluit.* Hæc verba facit Iob, post expositam communem humani generis conditionem, & necessitatem moriendi cunctis mortalibus impositam, quos cum prædixisset, sicut flores agrorum albente cœlo nasci, ad Solis occasum occidere, & ad breue tempus, ad punctum, vt ita dicam & momentum videri, quasi speciem aliquam & vmbram ostendit, quæ cum apparet, nihil habet firmi, nihil solidi. Conqueri videtur de misera nostra ærumnosaque conditione; & quantum inter illam, & ligna contemptissima interest? mortuus homo in lucem hanc non reuocatur, neque redeundi spem vllam ad vitam habet: lignum præcisum cum fuerit, rursum reuiuiscere constat, & pullulare ramos illius, germinare folia, flores & fructus restitui, ac veterem speciem, & pulchritudinem suam arborem recuperare: hominem semel mortuum recipiendæ lucis, & vitæ semel amissæ recuperandæ spem non habere. Nec tamen hac lege fuisse solutos potentes: nec in hanc vitam redeundi diuitijs, nobilitati, honoribus, gloriæ prærogatiuam immanitatemque datam fuisse videmus. En Iob montes addit etiam cadere: Montes, intellige nobiles scilicet & generis claritudine præstantes & parentum stemmatibus antiquissimis insignes. Montes, copiosos ac benè nummatos, omnibus in hoc sæculo bonorum copijs circumfluentes. Montes, honoribus multis, & dignitatibus ornatos, per populos, per prouincias, per Regna cum dominatu, cum imperio volitantes. Montes, litteratos, Iurisperitos, Theologos, Principes Ecclesiarum, atque thiaris Præsules oculorum aciem perstringentes. Montes, quos aspicio in hac Ecclesia, in hoc sacello Regio tanta cum auctoritate, tanta cum dignitate confidentes: qui nihil loquuntur, nihil cogitant, nihil gerunt, nisi principatum, nisi ditionem amplissimorum Comitum, Marchionum, Ducum: quibus nihil clarius, nihil illustrius, nihil potentius esse potest. Qui magnates Regnorum sunt, à Rege secundi, præpotentesque Domini in Regno Lusitaniæ, hos omnes non mors excipit, non eximit. Non enim inuadit solum, sed eos de culmine celsissimo deijcit vno ictu, quasi turbine repentino statuas de loco celliore electas, vt non à mortuis excitandi sint, non ad hanc vitam reuocandi. At quomodo? ruina, Auditores sæpe miseranda, qua cadunt, euertuntur

tuntur suis bonis, fortunis omnibus, honoribus amplissimis, dignitatum gradu celsissimo, acerbiore sensu, graviore dolore, fortunæ gradu celsissimo deiecti; quia cum laqueis districti, & implicati vinculis rerum humanarum tenerentur, eos solui profecto summis anxietatibus, & totius corporis & animi cruciatibus necessarium erat. Quod in pauperem, in bonum virum minimè cadit. Quid enim est, cur pauper mortem metuat, qui viuens vitam viuebat miserrimam? Neque ad victum, neque ad vestitum corporis habebat quidquam? qui cottogare vicatim stipem cogebatur, si se vellet alere, semper se videbat famelicum, nunquam saturum; nudum, non vestitum, contemptum ab hominibus, non honoratum, patientem frigoris hyeme, calorum æstiuo tempore, sub dio, aut in Xenodochio, non sub tecto, non in ædepernoctantem, operas præstantem, sudantem, & anhelantem, & inseruientem fortasse duro semper & difficili quidem hero. Scilicet is mortem æquo animo non feret, cui nihil melius accidere possit, neque ad corporis vtilitatem, neque si in gratia Dei immortalis fuerit, quidquam ad animi requiem sempiternam optatius. Cadent equidem, non stabunt montes, licet videantur, qui erecto collo, lætantibus oculis, excelso corpore, multo grege famulorum, in equis pulcherrime stratis, aut inlecticis summo fragore percrepantibus, vias omnes, plateas, loca celebriora peragrent, seipsos suamque fortunam magnificentissimè iactantes. Qui quo in altiorem gradum ascendunt, magis periculis omnibus, telis fortunæ, & morti passim imminenti videntur expositi fuisse. Vt fumus superiora loca petit & in mediam aeris regionem ascendit altissimus, sic calamitates, mala, febres, ægrotationes mortiferæ, potentissimos homines inuadunt. Quid Athenienſium viros summos, quid Persarum imperatores? Quid Rom. Reipub. Pompeios, Scipiones, ex veterum annalibus eruamus? Inspicite in Cænotaphium mole superbissima extructum, in parietes hos amictu pullo coopertos, in multitudinem tantam funalium accensorum, in præsentem luctum atque mœrorem, in vos Magnates mutata veste squalidos & sordidatos, in tantum florem Portugalliæ Principum attatorum, in exequias & iusta, quæ hoc tempore luctuosissimo persoluuntur. Quid dicam Auditores, prohibet me sensus acerbissimus, prohibet gravissimus animi dolor, & vestrum omnium gemitus & suspiria, luctus & lamenta, vel vna recordatione tanti Regis prohibent dicere. Heu mulie-

mulierum eiulatu, adolescentum luctu, fletu vestro, lamentis omnium personat Ecclesia: neque cum ad iusta Christianissimo, potentissimo, sanctissimoque Regi Sebastiano persoluenda conuenimus, quemadmodum vellemus animos nobis facere possumus ad dicendum. Hic qua ætate mortem obijt? in ipso flore iuuentutis, telis inimicorum traiectus. Atque vbinam ille iacet? mortuum scimus, cadauer illius vbinam iaceat ignoramus: scimus tamen insepultum iacuisse suo sanguine imbutum, arena fœdatum atque deformatum, in campis patentibus, in horrido atque sterili Africæ solo, sine nomine, sine honore inter reliqua subditorum cadauera iacentium, & longè lateque multa camporum iugera occupantium. Non igitur in hoc cœnotaphio, non in magnifico sepulchro iacet: id si saltem de malis omnibus nobis reliquum feciſſet fortuna nostra, misera multumque iactata conditione Portugallenses mei aliquid consolationis haberetis: si corpus illius inter Portugallensium Regum, inter Manuelis, inter Ioannis cadauera suo in loco, pro antiquitate dignitateque fuisset asseruatum, suis vnguentis suauissimis conditum iacere videremus ad memoriam habitæ Regiæ maiestatis sempiternam. Appulerat fugatus post Pharsalicam pugnam exercitu fuso Pompeius in Ægyptum, & Regis non solùm ingrati, sed etiam impij perfidia fraudeque necatus, in littoris Ægyptij media arena relictus obtruncatus relinquitur. Magnus Imperator sine specie, sine forma iacens, corporis sui sanguine cruentatus fœdissime! in fugientem, sed iam mortuum, quem magna festinatione insequutus fuerat, Cæsar incidit: Ad huius cadauer constituisse dicitur, multum diuque, & similis stupentis & attoniti, collacrymasse spectaculo ante suos oculos proposito, misisse denique voces plenas doloris & sensus acerbissimi, quo cor illius disrumpi diuellique videbatur. Hiccine (dicebat Cæsar) est ille Cn. Pompeius decus & lumen Imperij Romani? hiccine tot honoribus & Consulatibus plurimis illustratus? hiccine socius & comes in triumuiratu potentissimus? hiccine victor tot gentium atque nationum? hiccine Dominus (vt ita dicam) populi Romani, ad quem honores omnes, dignitates omnes, imperia summa deferebantur? hiccine quem extremis vitæ temporibus Imperatorem bellorum ciuilium S. P. Q. R. delegit? quem flos nobilitatis, quem Senatores, quem Consulares, quem Prætores, quem Tribuni plebis, quem Consules, quem Magistratus, quem omnis Resp. suis quasi sedibus euulsa, tot

Reges externi, orbis ipse terrarum toto quasi humano genere conueniente in campis Pharsalicis prosequi videbatur? vbi tot honores? vbi Consulatus? vbi terrarum imperium? vbi tot res præclarè gestæ? vbi tot insignes victoriæ reportatæ? vbi denique de tribus terrarum partibus acti tres triumphi glorioſissimi? Tune Pompei Tygrannem Regem ad tua genua procumbentem manu subleuasti, in Regnum restituisti? Tu Ptolomæum Ægypti Regem, supplicem & tuam opem implorantem in amissam sedem Regiam reduxisti: te ipsum tu neque reducere, neque quos tu reduxisti, ijdem te ad recuperandam veterem tuam dignitatem adiuuare potuerunt? O quantæ sunt in hominibus fallaciæ, quantæ fraudes & scelera! si te viuum, si superstitem, nactus essem, te in tuam sedem restituerem, vt te restituto maiorem gloriam, quàm hac mea manu confecto, consequerer. Quod Pompeio Imperatori Maximo, id tibi Sebastiane sereniſſime, accidit. Neque quisquam fuit eorum qui in tua ditione ac potestate erant qui te nosset, qui te iacentem subleuaret, ex aceruo cadauerum iacentium interciperet, & ad condendum in auitis sepulchris, & asseruandum extraheret: tanta multitudo cadauerum congestorum, tanta vis & copia hostium erat, & Maurorum fluctus irruentium, vt neque Regis internoscendi, neque extrahendi facultas daretur. Ex Regijs insignibus, ex armis splendentibus, ex corporis habitu, ex forma & dignitate Regis internoscere nemo potuit. Quod hostis Cæsar in Pompeio, tui multo libentius, si nossent, si potuissent, in te vno facient asseruando. Sed saluum te & incolumem, superstitem multi putabant: neque tam feram & immanem mortem futuram esse, quæ Regem Portugalensem tam crudeliter mulctaret, quisquam fuit arbitratus? Quæ tua Rex sereniſſime profectio? qui tuorum comitatus? quæ classis? quàm instructa? quam rebus omnibus ornata? quod robur Portugalensium? qui flos nobilitatis? quàm delecti milites? quàm fortes? quàm parati ad dimicandum? quæ tua animi magnitudo? qui splendor? quæ Regia celsitas? quacumque præteribat classis, quemcumque capiebat portum, illuc omnis multitudo propinquarum vrbium & populorum confluebat, tuæ maiestatis inuisendæ spectandæque classis causa. Dicant Gaditani qui se fœliciſſimos duxerint excipiendi Regis Sebastiani, & ludis & spectaculis omnibus honestandi valde cupidi, & appetentes, totque dies continuos intenti. Cum classis postea nullo amictu cooperta, demissis

missis & deiectis regijs vexillis in tabulationem nauium infimam, plenissima sordium & squaloris, magna ex parte nauibus vacuis & inanibus, sine Ducibus, sine Principibus, sine suo Rege reuerteretur, qui luctus Gaditanorum? qui mœror omnium? qui florentem & ornatam antea viderant, & in Africam incitato cursu properantem, postea in Portugalliam, miseranda specie, luctuosaque forma, summo silentio redeuntem reuiserunt? Versabatur ante oculos captiuorum multitudo, horum militum spoliatio, gemmis antea auroque fulgentium illorum vexatio, aliorum vulnera, plurimorum in prælio prostratorum, cæsorumque sanguis profusus, cadauerum plurimorum super alia iacentium acerui, tot Principum, tot Magnatum mortes indignissimæ & ipsius Regis Sebastiani miseranda nimis & tam immatura mors. Inde insedebat in animo classis accessus ad Portugalliam, paucorum redeuntium fœditas & dissipatio, eiulatus mulierum, lamentationes Virginum, ploratus puerorum, fletus tota Portugallia, motusque vniuersè facti propter suorum, & mortem Regis miserandam. Hi propinquos, ille parentes suos, alij fratres, omnes amissum Regem, & repentinam Regni conuersionem lugebant. Tragica hæc res est & vehementer calamitosa, Auditores, quæ necessitatem affert omnibus mortis eiusdem subeundæ mortalibus, quæ tenet dominationem, & imperium amplissimum in Reges etiam potentissimos. Commemoremus, si placet, breuiter virtutes tanti Regis, vt plus admirationis afferat Regis Sebastiani mors immatura: quæ meditata nobis in perpetuum esse debet. Non ego hic indolem Sebastiani, & à natura ad virtutem colendam propensionem insitam commemorabo. Non dicam à puero bonis moribus imbutum, & virtutis præceptis salutaribus informatum. Non ostendam politioribus litteris, & studijs illis, quibus Regia dignitas informari solet ad omnem elegantiam excultum politumque: quis est, qui nesciat ad virtutis studium semper à pueritia Regem incubuisse Sebastianum? An vero maiora virtutis documenta dare potuit Rex inclytus, quàm cum sæpius ille per sacram confessionem expiaret conscientiam per vnum annum, quam alij per vitæ suæ curriculum principes huiusce sæculi? Qui sæpius cum viris omni sanctitatis laude cumulatis egit, quam alij cum hominibus etiam sæculi eo fuerunt interuallo versati? sæpius de diuino numine colendo suspiciendoque sanctissime castissimeq; suo in Regno sermones habuit, quã alij Principes de

humanis opibus acquirendis cumulandisque? Cuius puerilia non ad licentiam puerorum vsitatam, sed ad carnem cohibendam à libidinibus; non ad Mundi leges, sed ad Dei mandata exequenda; non ad inanem iactationem, & aulicorum insaniam, sed ad Dei placita diuinamque voluntatem; non ad exhauriendam Rempub. compilandasque Prouincias, sed ad benè merendum de genere mortalium liberalitate, misericordia, magnanimitate, & omni genere virtutis informata fuit. Non illum peccatum capitale fugisse semper, non se castum & integrum in mortem vsque seruasse scimus? Quid maius, quid illustrius in Rege prædicari poterat? omnes fuerunt in illo Regiæ virtutes, quas vos ignorare non arbitror, sed præcipuè Religionis amplificandæ studium inflammatum. Illud iure quasi hæreditario à parentibus acceperat, qui ad Iaponium vsque Regnum classem tanta distantia locorum, & interuallo per maria maxima periculosissimaque ad fidem diuulgandam singulis annis miserunt. Qui Patres Societatis Iesu & inter alios primum Beatissimum Patrem Franciscum Xauerium æterna memoria dignissimum, miraculis omnibus, & absoluta Christianæ vitæ perfectione præstantissimum ad Indiarum gentium conuersionem à Romanis Pontificibus impetrarunt. Cuius de virtute quoniam non est locus hic tempusque dicendi in Sebastianum parentum imitatorem mentes & animos intendamus: qui nouas alias Indias: noua Regna, non ad amplificandam Portugalliæ ditionem, sed ad Christi Iesu honorem, ad suam fidem in Africam reducendam, restituendamque quærebat. Et quoniam duæ causæ Sebastiano Regi Christianissimo expeditionis huiusce fuerunt, vna Regis restituendi, qui ad Sebastiani fidem, supplex & Regno spoliatus confugerat; altera Religionis in Africam reducendæ; qui in adolescentia tam ingentem animum, tam cœlestem spiritum sumpserat, quem ostenderet, cum se corroborasset, & iam vir inter viros fuisset, quid magis regium erat, quàm vt Regem è suo patrio auitoque Regno expulsum, afflictum ac peditum, rebus omnibus diffidentem, qui fidem illius suppliciter implorauerat, suum in Regnum reducendum curaret? Neque per duces suos, neque per classes solum, sed per seipsum, suis armis, suo robore discrimine ac periculo vitæ reddendum curauit? Id fecit Sebastianus, quod Pompeius quondam, qui, vt prædixi, Tygranem ad genua pro-

procumbentem in priſtinam dignitatem reſtituit: Quòd Cæſar in duobus conſeruandis Regibus, Patre & Filio Dejotaro non minus ſe oſtendit munificum & liberalem: Quod Tygranes qui Mitridatem Regno fugientem non excepit ſolùm & exercitu omni copiarum genere abundante adiuuit, ſed cum illo in acie contra Romanos Imperatores fuit, Mithridatiſque hoſtem populum Rom. hoſtem eſſe duxit ſuum: Quod ſenatus Populuſque Rom. qui in nullum genus hominum liberalior fuit, neque magis profuſus, quàm in Reges, in ſuum Regnum dignitatemq; reſtituendos: Sebaſtianus hos omnes partim imitatus eſt, partim ſuperauit ipſa magnificentia liberalitateq; Regis reſtituendi. O ingenium Sebaſtiani planè Regium! O verè Regalem animum! qui quod in Regibus obſeruauit potentiſſimis, & in Populo Romano, victor cunctarum gentium ipſe adoleſcens, nondum ætate firmatus, maiore cum præſtantia præſtitit & laude Regia. Habetis vnam belli contra Africanos ſuſcipiendi cauſam, accipite nunc alteram, eamque videte omnes clariorem & illuſtriorem, Sebaſtiani inſtitutione digniſſimam, dignam parentum ſuorum Religione, dignam denique Rege ad omnem pietatem & virtutem ſingulariter inſtituto. Illa fidei defenſionem continet: vnde fides ipſa eiecta fuerat, in Africam per ſe reſtituenda videbatur. Huius rei conficiundæ cauſa claſſem armauit, inſtruxitque rebus omnibus, & tanquam alter quondam Scipio Carthaginis debellandæ gratia claſſem in Africam vſque tranſmiſit: venit in hoſtium conſpectum, caſtra poſuit, fortiter conflixit, pro reducendo Rege, pro Fide Chriſtiana reſtituenda, Barbarorum circumuentus multitudine cecidit. Si hoc eſt cadere, vnde perpetuam ille gloriam, & cœlorum immortalitatem comparatam conijcimus: quod fortiter rem aggreſſus fuerit, laus eſt Sebaſtiano tribuenda; quòd non reportata victoria, illa fortuna fuit belli, quæ ſæpe exultantem deiecit de gradu & perculit ab inferiore. Quotenim Imperatores in re bellica exercitatiſſimi, aut loci difficultate, vel hoſtium multitudine, vel alia calamitate ſuperati? Exemplum à Pompeio petamus, qui poſt tres terrarum partes bello ſuperatas, etiam opportunitate loci, numero, militum & robore, victoria propè explorata cum ſuperior eſſet, fuſus tamen atque fugatus fuit à Cæſare. deſinamus cauſas quærere partæ vel amiſſæ victoriæ, quæ exiguis momentis pendet, & rerum inclinatione ſæpè parua; deploremus noſtram vi-

cem, nostrum lugeamus casum, qui non tanti Regis præstantia digni fuerimus. Tempus aderit, & illucescet illa dies, qua Portugallienses in Africam reuententur instructa classe, vlciscentur allatam Regi Sebastiano mortem, calamitatem Regno Portugalliæ importatam, denique conuersionem, & commutationem regni semper florentissimi repentinam. Tunc Heroes magni recuperabitis animos, excitabitis vestram fortitudinem, qua quondam in Indorum gentes barbaras & immanes vestri maiores vsi fuerunt. Qua homines vestri noua Regna non magna sæpè classe duobus aut tribus nauigijs non patefecerunt solum, sed in Portugallensium ditionem imperiumque redegerunt, qua ijdem Lusitani Regnorum sæpe maximorum exercitus plurimos, & copias prostrauistis. Qua mucrones gladiorum vestrorum Africano sanguine manantes, post stragem Maurorum infinitam in Portugalliam reportabitis exultantes atque triumphantes de genere aduersariorum deterrimo. Tu, tu ipse vlciscceris præcipue Rex Enrice clarissime. Vlciscetur etiam, qui te iure hæreditario sequetur Rex Catholicus, ad quem propter sanguinem suum, propter mortem generi allatam, magis quàm ad aliarum terrarum Reges, Regiæ mortis vlciscendæ causa pertinebit. Vlciscetur Deus ipse immortalis, qui in suum tempus pœnas tantæ calamitatis reseruat, & quanquam morari videatur, non remoratur, mihi credite, vindictam, sed ad gladium in perfidos Fidei hostes acrius ac vehementius distringendum, vt Portugallensium manu ac ferro concidant belluæ immanissimæ, & in Africam Christianæ Religionis arma victores inferamus. Interim spectaculum præsens intueamur, Regias exequias, luctum & mœrorem attendamus: non frustra tantam calamitatem, nos accepisse putemus, nisi vt de Regibus æstimetis, quid vobis, quid cunctis Principibus futurum sit? quemadmodum in media ætate, in flore iuuentutis, tum cum minus opinemini Magnates ante tribunal supremi Iudicis sistendi sitis, vbi stetit iam vester Rex Sebastianus, cui de vestris actionibus, de vita præterita, de cogitationibus minimis rationem estis reddituri? & quàm summo iure, quàm ad viuum omnia resecanda sunt? velletis tunc in causa Fidei, in causa Religionis, in prælio, pro Christo Iesu in Africam reuocando, vitam cum sanguine profudisse. Magnam habet laudem in homine fuisse Magnatem Portugalliæ, vnum de Principibus Lusitaniæ clarissi-

rissimis, vos honore, dignitateque secundos ab ipso Rege fuisse: sed virtute, castitate, liberalitate, beneficentia, fide, fortitudine, reliquis virtutibus Regem tantum imitamini, qui docuit in vita exemplo suo, & mortis spectaculo, nihil infra Lunam futurum esse perpetuum. Vbi pulchritudo Sebastiani? vbi dignitas oris? vbi conformatio lineamentorum? vbi diadema Regium? vbi sceptrum? vbi solium? vbi spes illa capiundæ Africæ? vbi expectatio diadematis imperatoris in Africæ Principe Marrochio consequendi? vbi reditus in Portugalliam? vbi nuptiæ, quæ comparabantur cum Hispaniarum infante celsissima? vbi denique reliquus apparatus? gaza Regia? Regius splendor? omnia ad nihilum redacta cernitis, & nihil infra Lunam esse quòd varias non possit habere mutationes, quod non innumeris fortunæ telis expositum sit, & tandem aliquando periturum. Tu Christe Iesu, cuius maximè gloriam & honorem Sebastianus augendum curauit illatis armis & copijs in Africam, adleniendum mœrorem hunc & luctum, in quo sumus ex morte Christianissimi sanctissimique Regis, signum aliquod infinitæ tuæ in gentem Portugallensem placatæ maiestatis munificus ac liberalis in posterum dare non desinas, nos oculis tuæ benignitatis respiciens, ac potiùs alijs supplicijs grauissimis, quàm bonorum Regum de medio ablata virtute nostrorum scelerum ac flagitiorum multitudinē magnitudinemq; mulctans. Dixi.

De Consolatione.

Quoniam magna pars Consolationis ex voluminis huiusce locis petitur, ea nobis prætermittenda non est. Consolatio *est præsentis doloris dissuasio, medicina & remedium. Consolari enim est dissuadere dolorem. Consolationis quæstio sit. An sit, verbi gratia, propter hunc casum dolendum homini Hispano. Consolari afflictos, & iacentes erigere, quicunque volet, principium consolationis prudenter capiet ab insinuatione: primumque dicet merito esse dolendum, simul atque suum dolorem significauit additis rationibus, & sensu publici mali se vehementer affici demonstrabit, augendo casum acerbum, quod magnus sit & multa mala importarit.*

Augebit hic orator interdum imbecillitatem naturæ humanæ, breuitatem vitæ, commutationem fortunæ, similitudinibus & comparationibus, & exemplis & testimonijs ad rem accommodatis, vtetur locis, & facibus misericordiæ.

Confirmatio sumetur ex locis deliberationis, ab honesto, ex prouidentia Dei, à iustitia diuini numinis, à signis paternæ dilectionis, ab effectu electionis diuinæ: Quia quos Deus elegit, hos glorificauit: à promissionibus Dei, qui vires suppeditat, & tentari non patitur suos vltra quàm vires perferre possint: ab exemplis sanctorum, & Christi Iesu, quem imitari debemus. Ab exemplis Ethnicorum, vt Socratis Reguli: adhibebuntur comparationes, similitudines & testimonia. Hic locus communis fortitudinis ostendendæ in rebus aduersis sedem habet.

Ab vtili, id est præmijs, quæ manent post mortem, patientes: ab exemplo, quod ex mea patientia reliqui petent rerum aduersarum ferendarum patienter. Tum hic quantum mali mœror, afferat, ostendatur.

A iucundo: gaudebant Apostoli, D. Laurentius alij quasi in palatijs ac violis stratis inambulare videbantur.

A necessario: ne in impatientiam incidamus, ne superbire videamur. Nam aut in hoc sæculo patiendum, aut in altero, melius est autem pati in vita breuissima quàm in altera æterna cruciari per omnem sæculorum æternitatem.

A facili: statuet Deus his malis omnibus finem: à præsenti auxilio Spiritus Sancti nostram infirmitatem adiuuantis. Deum amanti nihil est difficile, ob quem omnia difficillima facillima sunt factu: mala quæ nos premunt, Deum adire compellunt. Ostendemus rem exiguam esse comparatione aliorum malorum, quæ vel paria, vel maiora passus est, & gratulabimur propter aliorum declinationem malorum, quod exemplis confirmabit.

Cohortatio adhibebitur ad execrationem scelerum, ad peccata lugenda, ad mores & vitam commutandam, vt diuinum numen placemus.

Con-

Consolatio ad Hispanos, propter classem in Angliam profectam, subita tempestate submersam.

MAgno in dolore sumus, & summo quidem in mœrore, Hispani fortissimi, ex classe in Angliam profecta, ante prælium cum hostibus commissum subita tempestate partim dissipata, partim submersa, paucis nauibus, ex his, quæ soluerant Vlisippone, saluis & incolumibus. Tantam enim iacturam, tantum & tam delectum Hispaniarum florem, tam fortes & inuictos Duces, tam denique instructam & ornatam rebus omnibus classem amissam dolere quidem vehementer debemus. Classe enim submersa, maximis & illustrissimis orbata Principibus Hispania, non solùm se afflictam, sed in multum tempus amissam ac perditam putat. Dolemus enim iure quidem optimo ac vehementer cruciamur, cum videamus tales viros, qui ad fidem defendendam animati tantopere contendebant talibus studijs, & animis incensos interijsse, nec verò adduci possumus, nec vllo modo à nobis impetrari posse putamus, vt versemur nos in aliquo gaudio illis præsidijs & propugnaculis fortissimis ab Hispania nostra sublatis. Ergo & mihi faciundum, & singulari vestræ pietati consentaneum, vt medicinam expectandam quasi de cœlo temporibus hisce calamitosis allatam arbitremur. Difficilis est consolatio, cum mortiferum est vulnus; non facilis est Medicina, cum desperata fuerit curatio: sed vbi malum redundat, consilium & virtus moderatur omnia, de quorum præstantia cum cogito, facilè ad dolorem leniendum adducor. Atque vt omnes intelligatis me huic calamitati, tantum impertiri grauitatis, quantum grauissimis acerbissimisque malis, & omnibus miserrimis casibus tribui videatur; dico istius grauitate mali classem ornatissimam, quæ in Anglia inflammato studio rapiebatur, tempestate partim dissipatam, partim fuisse submersam, fortesque viros, & inuictos Duces vi eiusdem tempestatis obrutos: eadem tempestate robur maximum nostrorum militum, & incredibilem nobilissimorum adolescentum partem, quæ prima belli stipendia faciebat, & rei militaris via ire constituerat, per iactationem multam vehementissimamque perijsse, non paucas naues refertas plurimorum militum veteranorum ab hostibus captas, atque aliquot, quæ se dedere recusarunt vi tormentorum depressas, magnam copiam clarissimorum hominum

num, omne firmamentum classis atque præsidium, ipsos Duces Ildephonsum Leiuam, & huius alios similes non paucos eiusdem maris turbulentissimi fluctibus perijsse, paucos saluos & incolumes euasisse, atque hos triremium dissipatis armamentis omnibus, magis diuino beneficio, quàm vlla nauigandi scientia in portum eiectos fuisse. Satis opinor hoc esse mali, atque ita reputo, vt hoc vos etiam intelligatis, à nullo istorum, qui classem amissam dolent, calamitatem nostram grauius amplificandam esse. Requiretur fortasse, quemadmodum cum hæc ita sint, nostra iactura tolerabilis esse possit. Attendite Hispani: non sine causa consolationem videbor instituisse. Primùm nihil factum putetis sine summa immortalis Dei prouidentia, qui nouit causam vtriusque partis, & nostram multò sanè superiorem: quæ contra hæreseos fraudes fictasque fallacias venit, venit contra iniurias Christianis, & nobis præcipuè Hispanis illatas, quæ ad gentem Catholicam tristem ac mœstam erigendam, ad Christianorum animos prostratos & iacentes subleuandos, ad fidem ex illis Regnis eiectam, reddendam, restituendamque contendebat. Atque idem Dominus istius tantæ vniuersitatis, nihil nisi summo consilio, & bono suorum ad cæli felicitatem sempiternam delectorum facit, siue cum illis adest & indulget, propter virtutem suam; siue pœna afficit, propter improborum scelera ac flagitia Christianorum, vt ex bonis & ex malis semper comparet suis bonis cultoribus commoda maxima, ad vtilitatem & emolumentum animorum spectantia, quæ pluris hominibus esse debent, quàm corpora, quàm fortunæ fluxæ atque caducæ. Neque putemus cum nobis res prosperè cadunt, atque flatu vehuntur fortunæ secundo, tum melius nobis esse, melius cum animis actum esse, quorum in calamitatibus præcipua semper ratio haberi debet. An verò quidquam magis in vulgo iactari solet, quàm id, quod ex sacris annalibus petitum est, qui filios caros habuerint, in hos supplicia parentes maximè statuere, atque pœnas de mortalibus sumptas magno quidem argumento esse diuinæ in homines eximiæque caritatis? Si Deus igitur immortalis nostris rebus adest, si respicit de cœlorum sedibus præcipuo quodam amore ac singulari, cum pœnam irrogat, cum malum inuehit, cum re cariore, nobisque (quomodo iudicarent homines) vtiliore, magisque necessaria priuat, & id temporis, quod alienum à malis, beneficijs accipiendis opportunum videtur, si gerere

visus

visus est se liberalissimè magnificentissimeque, quid est quod de tolerantia rerum aduersarum dubitemus? scilicet milites Christi Iesu fortissimi non afflictati, non incommodis maximis vexati, non fortunis, bonis, vita, & honore spoliati fuerunt? an Iob obliuisci possumus, & alios diuinæ maiestatis amicissimos, qui in medijs calamitatibus, in suis ærumnis atque miserijs, in fluctibus grauissimarum vehementissimarumque tempestatum magis erecti, magisque confirmati videbantur, & ad carceres, vincula, & ad mortem, & ad omnes cruciatus intolerabiles læti alacresque properabant? Necesse quidem est, si veri volumus esse Christianæ Religionis alumni, & ad Christi Iesu mores similitudinemque sanctissimam deduci, nos discipulos & filios suos, Dominum eundem ingenti ligno Crucis suis humeris impositio præeuntem sequi. Quod si hæc à nobis considerata non fuissent, neque præuisa, tamen cum in viris clarissimis, etiam Religionis expertibus hanc animorum patientiam, tolerantiamque laborum aspiceremus, ad fortitudinem & constantiam ostendendam spiritus & animos maximos sumere debuissemus. An verò Socrates cum sententijs impiorum hominum damnatus esset, non æquissimo animo dixit se mortem oppetere? neque iudicibus supplex fuit, sed adhibuit stabilitatem & magnitudinem animi constantissimam, cum ipso vitæ supremo die de animorum immortalitate iucundè nimis disputauit? Cùm fugiendi data facultate, fugere noluit? cum ad mortem porrexit lætus & hilaris, tanquam ad honores, & ad Academiæ gymnasia? Denique vt alios multos præteream, Regulus primo bello Punico missus Romam à pœnis retineri non poterat à propinquis & amicis, sed ad supplicium rediit, & resectis oculorum palpebris, illigatus in machina, vigilando necabatur acerbissimè, & ferebat patienter constanterque mortis acerbitatem. Non ille derelictionem patriæ, non orbitatem suorum, non spoliationem honoris, non mortis crudelitatem metuit: nos Christiani diuinis præceptis instituti, tot exemplis docti Sanctorum, ipso Christo Iesu præeunte duce, dolebimus, angemur, cruciabimur? Non agamus iam generatim, sed speciatim de nostro casu quæremus. Cum in illa expeditione quæreretur gloria Dei immortalis, cùm dignitas fidei Christianæ, cum tranquillitas afflictorum in Anglia Catholicorum, cum recuperatio veteris status Reginæ Mariæ fœliciſſimi, cum sacrorum restitutio, cum Religionis

nostræ

nostræ defensio quæreretur ; minimum erat iniurias à prædonibus factas vlcisci, vindicare latronicia, prædas, direptionem insularum, purgare maria omnia, & ab his nefarijs prædonibus tuta reddere ac libera, comprimere sceleratos impetus, tantam audaciam & insolentiam frænare, qui Domino præpotenti terrarum Catholico Regi audebant insultare, & ex angustijs, & ex latebris suis erumpere, & in nostras insulas inuadere, attentare Portugalliæ Regnum, & in nostris oculis in Gaditanorum conspectu, luceque volitare: Quid dicam solicitare Regna aliena, concitare Reges suæ sectæ terrimos, & ad immanissimum Turcarum Regem mittere litteras legatosque suos contra Hispaniarum vires, atque Philippi potentiam formidandam ? Parum erat nefarios piratas occupare maria nostra, infesta reddere suis nauigijs, expectare nostras classes, si quam à cæteris disiunctam, aut tarde nauigantem, aut reliquis longo interuallo præeuntem viderent, in hanc euadere, multis eandem circumsistere, vsque eo multitudine tormentorum opprimere, quoad deprimerent, aut caperent, captam ingrederentur, & in omnibus bonis, & mercibus rapacissimè impudentissimeque prædarentur : nam ad manus peruenire, naues nostras oppugnare nisi magno numero prædones circumsistentes ab omni parte, non audebant. In hac causa tam æqua, tam iusta, tot præsertim factis & illatis iniurijs an mori non æquum videbitur? non glorioſum, & illustre erit? & ad immortalis Dei gloriam & decus pertinebit? Quid ergo dolebimus? quid suspirabimus? lamentabimur? Quanto magis afficeremini si luctuosum Angliæ statum videretis ; si vestris animis, quando oculis non potestis, cerneretis, si primum Catholicos, qui sunt in Anglia afflictos videretis latitantes domibus, nunquam prodeuntes in publicum, in agris, in solitudine vagantes, ab vrbium celebritate disiunctos? Cùm veniunt in vrbes, tenebris, atque caligine, mutata veste in habitu peregrinorum, aut militum, aut mercatorum, quibus nihil solicitius, neque miserius videtur, veniunt: quod hostes illorum reditum odorari, inuestigare sciant, suis ex latebris extrahere, in custodiam tradere, multis iniurijs afficere, in caliginosa tenebrosaque loca coniicere vinclis constrictos, ferroque oneratos Christianæ Fidei veros cultores, quibus cibum introferri nec permittant hæretici nisi pauculum panis atri, neque sæpe, sed eum collibitum fuerit, & iam morituros certò sciant, nisi

quid

quid detur ad retinendam animam, quam fame enecti vix trahere videntur, in præcordijs propè morte concepta. Sed quid ego Catholicorum miserias Anglorum commemoro? cum eiecta sit de suis finibus Fides Christiana, nullum templum, nullæ aræ sint, neque sacrificia Religionis, nullæ videantur sanctorum imagines: si quæ repertæ fuerint in angulos coniectæ sunt, plenissimæ puluеris, plenissimæ sordium, pedibus conculcatæ sacrilegis, perditæ, attritæ, comminutæ, aliæ sine capite, sine forma, tanquam lapides parietibus adhærentes, aut tanquam ædificiorum ruinis, humi iacentes confusæ permistæque cum reliquis parietinis. Iacent humi plurima prostrata templa disiectis parietibus, tectis euersis, & cum areis coæquata, quo baiulorum, quo infimorum multitudo confluit corporis necessitatibus obtemperare volens. Multa conuersa sunt in popinas fumo nidoreque redundantes ganearum: multa in vsus & habitationem hæreticorum mutata, quo ganeones, cerdonesque nequissimi sua conciliabula, sua nefaria sacra, suorum fermonum virus pestilentissimum, ad se, cibo vinoque complendos statis diebus inferunt. Nullum rei diuinæ sacrificium fit in Anglia, nullæ preces neque recitatæ, neque decantatæ exaudiuntur, nullis personant concionibus præconum diuini verbi templa Catholicorum, sed dissonis & horrendis clamoribus hæreticorum, confessiones ablatæ de Regno, sublata sacramenta, hostia abiecta conculcataque sanctissima, Romano Pontifici nullum obsequium, nulla obseruantia, nullus denique diuinæ maiestati cultus tribuitur. Hæresis erecta ceruice, euagata ato gladio mortem & crudelitatem spirans latissimè dominatur: quo se conuertant Catholici, nisi ad Regem Catholicum, habent neminem. Philippi auxilium implorarunt, Philippi fidem adhuc tellantur, & illam repetunt maiestatem Regiam, quàm primum cum Mariam Reginam duxisset vxorem, restituit in Anglia: satis hoc causæ esse videtur? cur non illi solùm, sed vos etiam vitam cum sanguine profunderetis. Sulpicius, quod difficillimo Reipublicæ tempore contra vim grauitatemque morbi contendens, vt ad castra M. Antonij perueniret, in obeundæ legationis meditatione nondum congressus cum Antonio, diem suum obijt, quasi re confecta præmio afficitur S. P. Q. R. consentiente. Vos honore iam & gloria vestris hominibus in regione cœlorum debita præstitaque, & vt coniicere potestis, pro suis in

Religio-

Religionem animis, iam persolura, mœrorem & luctum non deponitis? si pro patria fœlices quondam putabantur, qui acerrimè dimicantes occumbebant; quod decus satis illustre, putandum est, deberijs, qui pro Fide Christiana nihil maris illius immensitatem, nihil fluctus intumescentis pelagi, nihil vehementissimas tempestates passim concitatas timuerunt? An vero ignorare potuerunt pelagus illud periculosum multis mutationibus, & ventorum varietati subiectum? in quo cum Cæsar in Angliam nauigaret, ea tempestas fœda vehemensque commota fuit, qua parum à morte legimus Imperatorem abfuisse. Quid hic Decios admotis calcaribus equos incitantes, & in medias acies irruentes pro patria fortiter tanta nominis gloria cecidisse dicam? Quid Curtios nobilissimos Romanos, armis fulgentibus munitos pro salute patriæ in medium se terræ patentis hiatum dedisse præcipites commendem, cum vtriusque virtutis factum Reipub. salutem, nostrorum Hispanorum expeditio Religionem Christianam attingeret? O fortunata mors, quæ naturæ debita pro Religione est potissimum reddita! in prælio ipso Mars ex acie fortissimum quemque pignorare solet. Quid igitur miramini, si in medio mari, mors tot viros fortissimos, nondum ad arma congressos præoccupauerit? Quanquam quid est, quod dico, nondum in prælio versantes, nostros fuisse præoccupatos morte? Iam ab illo puncto temporis cum se dederunt in hostium conspectum, & nostra classis aduersatiam exspectabat, & illam nostri alacres insequebantur, appetebant prælium, non deposcebant solum, nisi continuisset illos Imperator, & ad suum tempus congressum reseruasset. Est gloria quidem huiusmodi, quæ luctum omnem debeat abstergere. Quid si vtilitates animorum perceptas consideremus, desinamus lugere vitam ablatam, quod antiquorum erat, quod miserorum hominum est, quod improborum proprium, qui mortui ad inferorum sedes pœnas flagitiorum suorum luent: Nostri vero, qui in expeditione vim tempestatis subierunt, cum à tempestate ad tranquillitatem, à fluctibus ad quietem, à laboribus ad præmia, ab hoc sæculo ad cœlorum immortalem gloriam vocati fuerint, quid est, quod nobis angorem aliquem aut luctum afferant? Qui tam sanctè comparati, qui maculis omnibus peccatorum elutis in difficilem hanc nauigationem se dederunt, & ad mortem pro Religione subeundam alacres volitabant piorum sedem & locum non consequuti

quuti fuisse putabuntur? Breuis futura quidem est vita, quam acturi erant, atque hæc non multos annos duratura, plena laborum, plena solicitudinis, plena miseriarum: Cur non igitur actum præclarè cum illis, quibus breuitas cum longitudine, fortunæ humanæ cum cœlestibus, fletus cum gaudijs, labores cum quiete, miseriæ cum fœlicitate, spes cum immortalibus præmijs, vestri honores humani cum cœlestium sempiternis dignitatibus, vester aspectus eum oculis & ore sempiterni numinis commutatus fuit? Abiecti quidem animi, & parum de immortalitate cogitantis videtur esse, gaudia fœlicitatemque nostrorum hominum lachrymis & luctu præsenti quenquam videri contaminare. Sed hæc ad illorum vtilitatem pertinent: Vestræ etiam res aguntur Hispani, & vtilitates non vulgares. Quibus de rebus cum agam, non salutem hic, quam fletu plurimo constat debilitari, viresque infringi mortalium pensandam intelligite. Nec enim ij esse debetis, si vultis de numero illorum, qui sapiant, haberi, qui vos angoribus conficiatis, quibus multi malo suo cum se dedissent, breui confecerunt sese: sed per Deum immortalem vtilitates plurimas conspicite vobis allatas. Quis est qui nesciat, nos natura superbos esse, sæpe pares rebus, vno flatu secundæ fortunæ efferri nos plurimum, & inani iactatione intumescere, neque scire modum, neque moderationem tenere? Quamobrem diuino consilio incidunt sæpe aduersa tempora, quibus iactamur tanquam tempestate vehementi, & parum abest, quin fluctibus intumescentibus obruamur. Dat occasiones plurimas & præclaras Deus immortalis, quibus demittamus nos ipsos & abiiciamus suppliciter atque demissè cœlestem opem implorantes, potestatem diuini numinis dignitatemque celsissimam sitientes. Quod igitur nostri classe munitissima mittebantur in Angliam, quod tantus flos & robur excesserat ex Hispania, quod congressi victoria reportata fortasse non tantam Deo gratiam relaturi essent, ante susceptum facinus, quum se munierant ad prælium, positi in Christi Iesu gratia, de medio ablati fuerunt. Quid quod cum victoria comparata ad Hispaniarum Imperium adiunctam Angliam extulissemus, fortasse superbiæ materiam præcidit Deus immortalis, qui nos vult esse summa demissione? Quid ergo nos tot ac talibus Ducibus orbati faciemus? non desunt alij viri fortissimi, qui Ducibus occisis, cum successerint, nomen illorum & gloriam sustinebuntur. Alia sunt tempora, & expectantur illa quidem op-

portuna hostium vlciscendorum, quin delatione temporis vires augebuntur nostræ, exhaurientur aduersariæ, qui cum nos quotannis classes parare, delectus habere, exercitus facere audiunt propter immensam ac prope interminatam Hispaniarum potentiam, & multitudinem hostium diuersitatemque locorum, quo milites mittendi sunt, aut exercitus debeant venire subsidio, cum ignorent, semper in armis sunt, sumptus nunquam facere desistunt. Magnum nomen Hispaniarum, magna dignitas, magnus honos: Neque vlla gens, non Anglorum dicam, quorum vsque ad hanc memoriam vires nunquam cum Hispania conflixerunt, non Maurorum, quorum gentem Hispani semper contempserunt & aspernati fuerunt, non Germanorum, quorum fœlicitas multis prælijs acerrimè commissis ab Hispanis fracta fuit, atque compressa, non Indorum, quorum in disiunctissimas oras Hispaniarum imperia peruenerunt, non denique Turcarum, qui latissimè dominari videntur, quibuscum Hispani pedestres sæpe, equestresque pugnas commiserunt, neque defenderunt arces solum Christianorum, sed soluere obsidionem, mouere castra, ac fugæ se se præcipiti mandare Regem ipsum Turcarum coegerunt, sed prælijs naualibus post hominum memoriam maximis superarunt partim captis, partim depressis nauibus, paucissimis & his dissipatis, laceratisque omnibus armamentis, fuga plena dedecoris & infamiæ prætet opinionem euadentibus; sed Reguin omnium potentia nostris hominibus & potentissimi Philippi viribus obsistere profecto non potest. Non videtis quanta inuidiam excitarit apud omnes gentes nomen Hispaniarum, quemadmodum in illam conspirasse videantur Reges omnes ac Principes terrarum, quod tantam molem Regnorum, tantam Imperiorum potentiam, tam ad veterum Romanorum amplitudinem & culmen peruenientem ferre non possevidentur? hæccine parua vobis videntur, aut non eiusmodi, quibus tuti possimus esse, & nos contra quascumque gentes, atque nationes terrarum opponere? Quantopere aberratis, si classis amissæ, malum maximum ducitis, cum grauiora passi fuerunt Lusitani in Africano bello? Cum viderint exercitum amissum, florem Portugallensium partim confectum, partim captum ab hostibus, & suum Regem, & qualem Regem, & quantum, omni virtutum genere florentem, inter reliquorum cadaueta permixtum, & iacentem, vt internosci non posset, neque reperiri præ cadauerum incredibili cumulo camporum

immen-

immensam latitudinem longitudinemque cooperientium: Quid quod minimè nunc primum classem hanc amisit? Hispania amisit alias classes alijs temporibus fœda tempestate iactatas. Amisit classem illis temporibus, cum Carolus Imperator inuictissimus Argelium traiiciebat: amisimus sæpe naues ex Indijs redeuntes, aut nauigantes in vtramque Indiam, & iam quidem consuetudine nauium amittendarum sensum omnem doloris amittere debuissemus. Quod si aut consuetudo, aut iactura facta alijs temporibus nostros animos non præmunisset & instruxisset contra iniuriam omnem tempestatemque turbulentissimorum temporum; tamen cum Hispaniarum Regna iam sua mole quodammodo laborare videantur, quin in maximis lateque patentibus imperijs iacturæ faciendæ sint aliquot, persuasum nobis habere debebamus. Quos modo tumultuari, quos oblatrare videtis Hispaniæ, quos vni & alteri insulæ minitari direptionem, interturbare partes à nobis disiunctissimas, contemnite hos Hispani: qui nihil equidem ausi fuissent, si sua Regna finibus exiguis non continerent sese, atque eadem continuata coniunctaque non essent ex omni parte, vt vno penè puncto temporis ad defendendum quemcunque locum confluere possint sui in finibus, angustissimisque limitibus manentes. A Philippo Rege prudentiam petite; discite sapere vos oro, atque obsecro; cui cum Principes pro veteri more misissent legatos ad dolorem ex amissa classe abstergendam, post mutua Regiæ munditiæ, & elegantiæ officia consecta, post gratias actas iustas ac debitas, eorum cuidam illum respondisse scimus, quod ad classem amissam attineret, nihil sua referre, rem id incommodi habere, quod annus ad alteram classem comparandam fuisset expectandus: atque in istud tempus deferretur in Angliam reditus Hispanorum. O vocem magnificam atque liberalem! O verè Regiam & excelsam! O dignam cum Regibus, tum potentissimo Hispanarum Philippo Rege! sic visus est Rex Catholicus sese habere cum his hostibus, vt vir fortis cum catello, qui cum latret semper, & oblatrandi prætereuntibus finem non faciat, non metuit, latratus aut verbo, aut manu fugat & deterret; aliquando fessus & in illum impetum volens facere, cum fustim, quem habebat fustulisset intentum ad feriendum, antequam ictum infigeret, catellus fugit & è conspectu subduxit sese, in quem si ictus fuisset infixus, proculdubio non latraret iterum, ita cum prædones isti nauibus aliquot prædandi cupidissimi toties no-

ſtros laceſſant, & inſultis & portubus Hiſpaniarum imminere non deſinant & inſultare, ad illos hoſtes comprimendos, claſſem armauit, quæ ſi appuliſſet in Angliam, actum de Anglis proculdubio fuiſſet, ſed vim illius & incitatos impetus, antequam in Angliam veniret, fluctus concitatæ tempeſtatis fregerunt. Quis conſilia Domini recondita conſequetur? ſed frangentur aliquando furores hæreticorum, & Catholicos Anglos, & noſtros Hiſpanos reſpiciet ſuo tempore Deus immortalis. Ætas ſuccedit ætati, & ijdem ſunt qui fuerunt id temporis Reges Hiſpaniarum: redibunt ad vlciſcendas noſtris hominibus illatas iniurias, redibunt ad cauſam Religionis agendam, redibunt ad Catholicos Principes, ad Chriſtianos Anglos, ad homines temporum iniquitate depulſos in patriam reducendos, redibunt ad perditum Angliæ ſtatum in veterem dignitatem reſtituendum, redibunt denique ad eiectam & exterminatam Fidem Catholicam in ſuas ſedes & Regna reuocandam. Vos erigite & confirmate veſtros animos, & à luctu, & mœrore auocate, robore ac præſidio inuictæ fortitudinis corroborate, quid cauſa honeſtatis, quid animorum vtilitas poſtulat conſiderate. Quam facilia recuperatu ſint, quæ amiſimus, & quæ exſpectentur vlciſcendi tempora legitima, ne obliuiſcamini. Quam neceſſitatem afferat moles imperiorum, quam multa grauiora gentes aliæ perpeſſæ fuerint cogitate, neque nobis genus iſtud mali nunc primum inauditum oſtendite. Denique quod ex magnanimitate Philippi debeatis exemplum petere, veſtris animis complectimini. Cum in Rege noſtro, tum præcipuè in cauſa fidei, in ſummo præpotentique cœlorum opifice veſtras ſpes collocate, futurum equidem ſpero, vt horum memoria repetita, luctum omnem & animi dolorem leniatis, & contra omnes fortunæ tonitrus, & contra fulminum ictus terrificos magnos animos & inuictos geratis in poſterum. De clariſſimis viris, quos amiſimus in claſſe, quoties cogitabimus, toties de ſua fortitudine, toties de virtute Hiſpaniarum, toties de præmijs conſequutis, toties de Religionis ſtudio, de noſtrorum ad Chriſtianam fidem defendendam ardore, toties de gloria Dei immortalis, pro qua tutanda in maris vaſtiſſimi concitatiſque vehementiſſime tempeſtates ſe coniecerunt cogitate. Denique precemur ſupplices Deum immortalem, vt nos, qui hoc genere fortiſſimorum virorum nati ſumus, virtutem tantorum Ducum retineamus, & ad honorem, & ad gloriam diuinæ maieſtatis

statis defendendam in hac tertiarum sede diuino robore & auxilio muniti, vires omnes neruosque contendamus.

De Querimonia.

Querimonia ex causis & adiunctis, exemplorum ope, similium & comparatorum exornata.

SI querar apud vos scholasticos de cathedra, quã me cunctorum ferè suffragijs obtenturum esse sperabam, nemo mirari debet Auditorum. Nam neque iustior vlla querela videbitur vnquam fuisse, quam præsens, quæ non iracundia quidem vlla, neque verbo me vlciscendi causa, qui mali vobis nihil afferre possim, ad hunc locum venire compellit; sed vt meum in Academiam animum, nonnullorum voluntatem minus cognitam ostendam, qui si fuissent ij, qui debuerunt, grati & memores nostræ disciplinæ, nunquam in hunc locum adduxissent hominẽ de Academia bene meritum, & mattis honorem suis commodis, laboribus, & offensionibus, ac periculis anteponentem. Sed quoniam ita tulit fortuna misera, vt in hac contentione cathedræ repulsam passus fuerim, tam præter hominum opinionem, & bene de studijs, de nostris laboribus iudicantium, ferã æquo animo casum Audiores: neque tanta rerum nostrarum inclinatio à voluntate seruiendi Academiæ parenti nostrę abalienauit, vt sine cuiusquam offensione causas quæram, quas habueritis ad me de Cathedrę possessione deturbandum, & ad alium me ipso multo recẽtiorem, tanto cum plausu collocandum. Quod si nunquam antea moderatus fuissem cathedram hanc, si tunc primum ad eam petendum surrexissem, si nostram non illi probassent doctrinam, aut desiderassent vnquam diligentiam, nunquam quidem ad deferendam querelam hanc, aut os, aut animum ostendissem. Quid igitur erit causæ, cur cathedra præterito die tam ignominiosè priuarer? Adolescensne eram, vobis ignotus, aut si notus, adeo ineptus, vt illo, quem contendebam, honore viderer indignus? Primùm ætas nos is auctoritatem affert, oboriri incipientes cani, barbaque ex aliqua parte canescens hunc errorem eripit. Notus qui non poteram non vobis esse, qui octo iam continuos annos prælegerim, qui bis

de cathedra decertaueram, bis cum doctissimis hominibus cõtenderam, bis cathedram plurimorum suffragiorum numero detuleram, bis me in cathedram Authomedon Achillem suum in currum imposuistis, quem præceptorem tot annos ante habuit Academia, & vos Theologorum Scholam nostris vocibus personare audieratis, quibus nostra scientia, nostra methodus, nostra scripta probata fuerunt semper, ad quem audiendum primum omnium tanto concursu confluxistis omnes (quod intenta voce dicam) Theologo absente nemine. Placuit tot ante annos scientia mea doctissimis hominibus: placuit magistris cuiuscumque artis & facultatis: placuit præceptoribus mei laboris & studij consortibus, quorum semper in hac Academia valuit auctoritas: placuit idem, quod cunctis, vestrum cuicumque, cum multi meas prælectiones admirantes laudaretis, cum me prælegendæ sacræ Theologiæ natum præceptorem iactaretis. Maximè verò meum prælegendi modum, Rector ipse doctissimus comprobauit, qui vt me prælegentem audierat, discedens è gymnasio gratulatus Academiæ, mea disciplina Theologiæ gymnasium auctoritatem maximam retenturum esse dixit. Sed quid ego singulos commemoro? frequentissimo Patrum ordini sic placuit, vt esset nemo, qui mihi non, vt Primario Professori, & de disciplina tanta bene merito Theologorum difficultates, & ancipites tantæ disciplinæ quæstiones afferret. Sed quoniam illos, quos tales ac tam locupletes testes produxi, quotidie videtis, & alloqui potestis, proferamus absentes, qui Principes ex ordine Theologorum duo maximi sunt. Episcopus Salmanticensis summa scientia, incredibili auctoritate, ingenio, doctrina, laude ornatus, meis scriptis, quæ vos me dictante prælegenteque excepistis, quantam auctoritatem tribuit? eisque illi ipsi, vt ex illius litteris, & multorum sermonibus amici sui exceperunt, magni Doctores Salmanticenses assensi fuerunt, qui honos cathedram bis consequuto habitus est de Academia Complutensi præterea nemini. Episcopus etiam Cordubensis, quibus pecunijs, quibus librarijs, ad scripta nostra describenda conductis, & ad id muneris præstandum delectis potissimum vsus est? Reliqui de nostra, de alijs Academijs, de sacris Religiosorum cœnobijs quibuscumque nostra describenda & modis omnibus comparanda scripta curarunt. Hos ex sacræ Theologiæ facultate delectos homines, cum auctores & Principes suffragiorum vestrorum potuisse is habere, aliorum vos fauto-

res

res suffragatorum esse malustis, quàm mei ipsius Primarij iam Professoris. Doctior, credo, erat aduersarius, aut in Theologorum disciplina magis versatus, ad quem in Academia continendum vestros animos, viresque cuncti contendistis, ad idque prælegendi lepos, sacræ Theologiæ cognitio, gradus inter doctos consequutus ingenij monumenta, vt enixè contenderitis, compulerunt. Non est in animo de scientia doctissimi hominis, in tanto præsertim gradu collocati, vestrum omnium, præsertim Primarij Professoris approbatione renunciati verbum vllum facere: quod vos, quod Academia nostra recognoscere incipit, id vt recognoscat magis indies cupio, vehementerque precor: sed fructus vellem nostros, labores, & vigilias, nostra scripta, nostros in hac disciplina consumptos annos, opinionem de nobis conceptam non conseruatam solum, sed auctam & amplificatam non parum animaduerteretis, & recordaremini vellem: tum conferre potuissetis annos meos, cum aduersarij nostri ætate; nostros cum illius fructibus; mea, cum illius beneficijs maximis, in Academiam merita; cursum meorum studiorum, cum competitoris mei laboribus; honores in Academia consequutos, cum præmijs ab eodem acceptis; sermones hominum de laude nostra, cum opinione de competitore nostro vulgo concepta; denique spes vnius & alterius excitatas: si superior fuisset candidatus, non dubito, quin ad vestra suffragia meum ego libens adiungerem: sed si in nulla re superior saltem erat, quia par fuisset, non illi potius, quam mihi suffragari debuissetis: cùm apud Doctos valeat antiquitas, valeant anni, valeant in Academiam officia, valeat denique nostra in vos explorata voluntas. Cui mutuam non præstare voluntatem, non parem referre gratiam ingratorum quidem hominum videbatur esse. Nam vbi compensatio laborum? vbi nostrarum remuneratio vigiliarum? vbi fructus vtriusque rei percepti? vbi obseruantia discipulorum in præceptores, qui parentum loco haberi debent, & debita coli semper & obseruari pietate? Non dico id, quod verissimè testari possem: præceptorem nullum fuisse, cui non vel amore, vel labore vel pietate, vel perseuerantia in labore, vel vllo genere, meritorum in discipulos vlla ex parte præstarem, sed si nulla in re meum officium desiderauistis, si nunquam me vobis defuisse dicetis, si non requisitis minimis in rebus studium & operam nostram (& vestrum omnium animos &

conscientias testor) cur ita mihi cathedram ademistis, & cathedræ spoliatione commodum, commodis ablatis honorem & gloriam comparatam? cur feciſtis me in luctu & squalore iacere tanquam expertem totius Theologiæ parietum vmbraculis tectum, & occultatum in posterum, nulli iam vsui non Academiæ modò, sed neque priuatim amicis futurum, carentem huius Academiæ celebritate, Doctorum augustissimo consessu, priuatum, & orbatum scholasticorum, qua semper tantopere delectabar, vsitata frequentia, vestro deinde sermone, suauissimis colloquijs, disputationibus, congressu cunctorum, communique aspectu, & omni humana consolatione destitutum? Nam ego vt adduci possim ad vestrã Academiam, ad reperendas litterarias concertationes, ad hanc respiciendam Academiæ lucem, neque erit quidem animi mei, & cum ad vos redirem toties, putarem ego tacitè me ab omnibus impudentiæ vel temeritatis notari, vel, quod minimum vellem, stultitiæ, qui tanta iniuria accepta ad vos reuerterer, neque haberem rationem honoris, neque dignitatis meæ. Vidi enim, vidi multos candidatos, qui prima contentione cathedram non assequuti per multos dies domi se continuerunt, & non ausi fuerunt in publicum prodire, deiectis oculis in terram præ pudore maximo, præ sensu doloris, quasi fracti debilitatiq; inter Scholasticos versabantur. Audiuimus omnes de alijs viris doctissimis, qui cathedra priuati, sua diuersa fortuna iactati, non modò ad vos, ad scholas vestras non redierunt, sed repulsæ nuncio accepto, continuò ascendentes in equum ex vrbe exierunt, neque manu prehensi detineri potuerunt, non ab amicis vi facta in vestrum conspectum retrahi, salutem Academiæ vestræ dicentes in perpetuum, quæ scientiam & dignitatem adeptam per alumnos suos tam indignissimis modis tractasset: multi verò Doctores, quoties à litteris ad otium, quoties ab Academijs ad curiam Regiam, quoties à prælegendi munere ad causarum patrocinia conuerterunt sese, plus quietis habituros se esse rati mutata tatione viuendi, quam inter tantas dimicationes contentionesque litterarias expositi periculo, quem semel consequuti fuerant cum honore gradum, cum ignominia summa, & dignitatis suæ detrimento ventis contrarijs voluntatum reflantibus admittendi. Hanc scilicet gratiam retulit Archiæ Cicero, qui quod in se fuit ingenij, quæcunque exercitatio dicendi, in qua magnopere fuerat versatus, quæcumque

cumque vllius rei ratio ab optimarum artium studijs & disciplina profecta, earum omnium rerum vel imprimis ad Archiam defendendum, fructus vberrimos contulit: ita se memorem præstitit Alexander victor orbis terrarum Aristoteli præceptori suo. Cicero in iudicio defendit magistrum suum Archiam; vos me præceptorem vestrum in contentione cathedræ vestris suffragijs oppugnastis. Cicero omnem orationis vim & facultatem conuertit ad honorem præceptori tribuendum; vos me vestrorum spoliatione suffragiorum ignominia affecistis. Cicero non destitit, quoad in ciuitate retinendum, & pro ciue habendum Archiam Iudices suis sententijs confirmarunt; vos vsque eo in meam perniciem conspirastis, vt ex Academia eijciendum relegandumque curaueritis. Alexander Aristotelis patriam, matrem indulgentissimam, ferri viribus excisam, soloque adæquatam petenti, vel significanti potius præceptori instaurandam curauit & dixit: vos me à gremio complexuque parentis meæ Academiæ abstraxistis animorum alienatione vestrorum, & à gymnasijs exulem & extorrem fecistis. Testor Academiam parentem omnium communem, testor officinas omnes & tabernacula studiorum, teque imprimis sedes ac tabernaculum sacræ Theologiæ, testor in calamitate mea, nihil mihi grauius neque molestius accidisse, quàm à te diuelli, quàm abstrahi, inuitum me cedere, cedere fortunæ, cedere inuidiæ, denique cedere temporibus. Cùm vis affertur, ratio non valet: ante opprimimur, quàm nos possimus defendere: si manerem, quam ego de meis rebus, de consilio, de litteris redderem rationem necessarijs, qui factam sibi ducunt iniuriam, & nos sibi confirmant iniuriam facturos esse mansione nostra? Ibo quò me fortuna duxerit, vbi gratæ sint & acceptæ litteræ: vbi compensentur hominum labores, & cum nihil suppetat ad remunerandum, voluntas tamen præstetur, & præclarus animus. De tuis Mater Academia in me beneficijs, de maximis & immortalibus in me meaque studia meritis exstantibus nullo silebo tempore, sed præ me feram beneficia, quibus vsus fuerim: tu mater indulgentissima veniam dabis, cui melius fortasse erit discessu meo, aut saltem hoc consequeris boni, vt filij tui sapientiam non eijciant sedibus tuis: vt enim prosequar querimoniam meam, si sunt auidi sapientiæ filij tui, si virtus colitur in academijs, præcipuè si iusta merces ac debita persoluitur laboribus, non video abitu meo, quem ferat fructum sapientia, quem labores, qui

si iustitiæ partes desertas fuisse dixero, non mentiar. Qua de causa Academiæ conditæ fuerunt, nemo ignorat, quam vt bonæ litteræ percipiantur, colantur studia, ingenia acuantur, limetur doctrina, perficiantur & consummentur omnes disciplinæ, & ea de causa præmijs incitati maximis & disiunctissimis terrarum partibus euocantur præceptores, qui veherint, detineantur, ornentur cumulenturque honoribus. sunt Academiæ officinæ bonarum artium, emporia disciplinarum maximarum, altrices summorum ingeniorum, lumina gentium & nationum cunctarum: quæ tunc his distincta luminibus micabunt, cum præceptorum præstantia excelluerint, & illis eiectis & expulsis iacebunt semper in luctu & in squalore, neque vllam habebunt veram ac solidam sapientiæ rationem, sed fucatam & ementitam speciem. Neque me putent istud, Auditores, insolenter iactare, & hominibus doctissimi, atque Theologiæ principis meis sermonibus nomen inane prætendere; non is sum, qui tantum velim mihi præripere nominis atque gloriæ: sed qui sum, quicumque sim, qui scio quam sim nullus, is totus ego sum beneficio academiæ, sapientia præceptorum suorum: sed vt si quem locum nacti fuerunt, quem tueri valeant præceptores boni cum aliqua Academiæ laude, hunc non adimendum intelligant egregiè præceptorum amantes filij, si bonorum copia præceptorum abundantem videre voluerint parentem suam. Nam de me quod factum fuerit, si qua vel inscientia vel alio modo, (neque enim grauissimum sceleratissimumque prauitatis nomen mihi venit in mentem) alumni Academiæ iniqui in me fuerint, nihil curo, totum vobis remitto atque condono: tantum abest, vt vobis succenseam: vt his tot tantisque damnis, in fortunas, in honorem meum factis nullam querelam haberem, nisi putarem me ad has scholas redituru esse nunquam, neque vobiscum, quod antea mihi summum fuit semper gaudium, deinceps versaturum: sed cum me ab incunabulis studiorum meorum, multis maximisque beneficijs & honoribus ornatum vidissem, præmonendos putaui vos alumnos, vt academiæ progressionibus, vt bonorum præceptorum honori consuleretis in posterum; ne matrem, quam omnibus ornamentis & honoribus afficere debetis, vestris factis discerpatis atque dilanietis. Quod procul dubio futurum vobis persuadere, si sapientiam in Academia non retinendam conseruandamque curaueritis. De me vobis istud persuasum habe-

habere, vbicunque locorum fuerim, siue auocer in aliam litterarum officinam, siue ad honorem aliquem beneficio Dei immortalis, qui in illo sperantibus benignè solet succurrere, prouehat, neque me vestrorum meritorum, neque academiæ obliturum esse. Vestrum erit nostros labores, nostra scripta, consequutos in academia honores, doctorum de nobis iudicia facta, præceptoribus officium debitum, dignitatem sapientiæ, iustitiæ vim, mercedem laborum, academiæ damna facta, diligenter considerare: si deinceps in creandis præceptoribus, in deferendis cathedris, in mandatis honoribus officium vestrum iustum ac debitum deserere nolueritis. Dixi.

FINIS.



INDEX



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn810785692/phys_0494
DFG

INDEX RERVM NOTABILIVM VOLVMINIS SECVNDI CAMPORVM ELOQVENTIÆ.

A.

Ablutio pedum à Christo facta. 901
Abraham Isaac & Iacob à Philosophia docti. 735
Abrahami cum Christo collatio. 925
Abrahami sacrificium. ibid.
Academia honores confert alumnis suis. 869. vsq; ad 878. palæstiæ vel Castello veteris militiæ comparatur. 879 educat litteratos publicis officiis aptos. 879. hortis delitiosis præferenda. 883
Academiæ similes hortis Excultis. 860. 883
Academiarum vtilitas, situs, laudes. 747. & sequent. studia. 748
Academia parentes alteri. 744. Academia Complutensis & Salmaticensis fundatores Rex & Cardinalis. 745
Academiarum laus. 1018
Adamus à Dei Iustitia punitus. 816
Adamantis Robur & Natura. 558
Adrianus Imperator poeta. 787. 774
Adolescentis peruersio. 579
Aduentus Spiritus S. 971. cur in anima vehementi. 976
Ægesias potens orator. 843
Æneas nouum regnum condit. 684
Æstas similis extremo diei Iudicij. 548
Æthopæia quid, quotuplex sit, quæ tempora spectet. 694. Exemplum. 695. & 699. 719.
Affectus dolorosi in morte Christi. 937
Agarenicum bellum qui confectum. 989. quam periculosum. ibid.
Agamemnon nestorem ob Eloquentiam magni facit. 801
Ager cultus & inultus cum villa. 556

Agricolarum labor. 852. *spes frugum in eis.* 864
Aiacis gesta. 571
Alapa Christo impacta. 947. & *seq. autor eius graviter arguitur.* 949
Alexander Praeceptorem honorat. 1017
Alexander Magnus medicinae peritus. 808
Alexandri affectus ad Poesim. 781
Alphonsius Rex astrologus. 710
Ambrosius S. Chrysostomo comparatur. 740. & *seq. laus utriusque.* *ibid.*
Amplificatio ab Exemplo. 621. *à similibus & dissimil.* 557
Ab Ethymologia. 674
Angelus confortans Christum. 905
Angeli arte medendi vtuntur. 808
Angli Catholici dura passi ob fidem. 584
Angeli gaudent ascendente Domino. 964
Anglia regina in sanctos impietas. 662
Anglica Ecclesia succurrendum. 1012
Anglorum Catholicorum afflictio. 1006. *vastitas templorum.* 007. *petunt auxilium à Rege Hispaniae.* *ibid.*
Annas Pontificis Socer. 947. *quid Christus apud eum passus.* 948
Anima volatus, contemplatio est caelestium. 561. 566
Anacephaleosis perorationis. 804
Antithesis Christi inter & mundi doctrinam. 891
Antithesis vera religionis & Haeresis. 846
Antitheses Christi & Iudae. 90. *nati Christi & crucifixi.* 932. *Christi & Isaaci.* 926. *Christi patientis & Petri.* 916. *Christi & peccatoris.* 606. *sitientis Christi, & hominum helluonum.* 933. *gaudij & latitiae in Maria.* 939. *patientis Christi.* 944. *Christi passi & rediuiui.* 966
Antitheses bonorum & malorum Rhetorum. 803
Apes in orepindari. 779
Apostoli Spiritum S. accipiunt. 971. *quid postea egerint.* 972. *eruditi à Spiritu S.* 972. *conuertunt homines.* 973. *fortitudo animi Apostolorum.* 974. *ardor eorum.* 977
Apostoli tres in horto, & Thabor. 905
Apostrophes. 657. 662. *Ad studiosum Adolesc.* 572
Appollo inuentor medicinae. 806
Aristoteles praeceptor Alexandri. 711. *dialectica eius à magnis & sanctis vsurpata.* *ibid.*
Aristoteles à discipulo Alexandro honoratus. 1017

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0496
DFG

Archias Poeta à discipulo Cicerone defensus. ibid.
Arborum plantatio loco apto. 859
Arbusculis similes studiosi. 894
Arma prohibita Iudæis quare. 716
Armi lustrium. 887
Arrogantiam hominum luit Christus. 923
Artium principes imitandi. 658
Artes variæ. 829. 830. *Artes aliæ deseruiunt Theologiæ.* 847
Ascensus fit gradatim. 855
Ascensus Christi in cœlos. 964. *pompa eius. ibid. quæ nobis inde bona sint.* 967. *ascendendum nobis quo?* 969
Astrologorum & Astrologiæ laudes, cultores, vtilitates. 720. *& seq. quid doceat.* 721. *pestes auertit.* 722. *Astrologes qui persecuti.* 724. *Astrologia quæ bona, quæ mala.* 725. 725. *aliis Artibus præfertur.* 726
Athenienses principes Eloquentiæ studuerunt. 795. 796
Athenienses ignari veri Dei. 838
Attentionis & beneuolentiæ captatio. 805. & 806
Athlas cur cœlum ferre dicatur. 720
Auaritia Iudæ. 670
Auaritiæ detestatio. 577
Auari insana cupiditas. 577
Auis in libertate describitur laqueos fugiens. 560
Aura vehemens Spiritus S. 976
Autores latinitatis imitandi. 648

B.

Baccalaureatus dignitas. 855
Bacchus ebrius describitur. 689
Baiulatio Crucis Christi. 925
Balthasar Rex punitus. 771
Barbaræ S. virtus sceleri Patris opponitur. 586
Basilius & Gregorius condiscipuli. 669
Belli fortuna varia. 999
Belli mala. 728. *& seq.*
Bellici duces Græciæ. 637
Bellica laude clari. 632
Bellicæ virtutes. 989. *belli duces adolescentes.* ibid.
Bellum Agarenum Ioannes de Austria confecit. ibid.
Belgarum mala ex hæresi. 989
Bethlemiticum stabulum, & pompa eius. 618

Bona mundi caduca. 1001
Bona per Christum parta. 966. 967
Byzantiani Ebrietati dediti. 689

C.

Cæsar fere mersus tempestate. 1008
Cæsaris oratio pathatica ad cadauer Pompei. 995. *pietas in Deiotaros.* 999
Cæsaris clementia. 644
Cæsaris mors narratur. 703
Cæsaris mors misera. 625
Cæsaris amicitia à Pilato prælata Deo. 957
Carolus V. naues perdit. 1011
Caroli Quinti egregia facta. 987
Carolus Quintus multa gessit pro patria. 571
Caro nostra proditori comparatur. 557. *duriter habenda.* 558
Carnis studia & opera. 891
Cœlestia magis quam humana quærenda studiose. 567
Cœlestis patria describitur. 752
Cœlum Deus. 856
Cato pacificus bellicoso Cæsari præfertur. 829
Cadauer inhumatum. 995. *cadauer pompeij proiectum.* ibid.
Caduca omnia in mundo. 1001
Cardinalis Ximenij laudes. 746
Carthusiani vtiles Ecclesiæ. 634
Castellum Doctorum & Academia. 880. 881
Castigantur filij. 1004
Captiuitas Christi. 908. 911. *arca.* 912
Caput Christi spinis coronatum. 920. 921. 922
Cayphas, & quid in domo eius luerit Christus. 949
Cathedra non adepta iusta querimonia. 579
Catellus latrans ostentatione fustis compescitur. 1011
Cerberus triceps Philosophiam signat. 735
Chria à sententia qui differat. 690
Christus verbo milites prosternit. 908. *fert magnam crudelitatem.* 909. *flagellatio eius.* 913. *coronatio spinea.* 920. *irrisio.* 921. *nocte passionis mala tractatio.* 922. *Crucis baiulatio.* 925. *Abraham eius figura.* ibid. *Crucifixio.* 931. *& seq. splendor eius & obscuratio.* 931. *miracula in morte eius.* 933. *dignitas passionis eius.* 944
Christus paupertatem, contemptum, crucem eligit. 648

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0498
DFG

Christus abluit pedes. 901. *Iuda benefacit. ibid. orat in horto.* 905. *Christi luctа in horto. ibid. captiuitas.* 908. *beneficia eius in Iudaos.* 934. *bona in eo.* 942. 943
Proditio Iuda. 901. *antitheses eius cum Christo.* *ibid.*
Christi familiaritas cum dilectis suis. 634
Christi Iesu humilitas & patientia. 756
Christi cruciatus pro peccatore tolerati. 660
Christi crucifixio Iudais exprobratur. 611. *deflenda Christianis.* 612
Christi lex amoris. 975. *dona Spiritus Sancti.* 976
Christi leges. 891. *beneficia in hominem.* 931
Christi excarnificati descriptio. 944. 945. *alapa ei impacta describitur.* 947. *& seq. damnatur ad mortem.* 953
Christi doctoris boni laus. 691
Christi damnationis iniquitas. 956. *resurrectio Christi.* 958. *& seq. figura eius.* 960. *corpus eius male tractatum.* 959. *vulnera corporis Christi.* 960
Christiani ad omnia dura ferenda parati. 657
Christo compatiendum vt congaudeamus. 961. *Ascensus in cœlum.* 963. *& seq. pompa ascendentis.* 964. *&c. bona per ipsum parta.* 966
Chrysostomus B. Ambrosio comparatur. 740. *& seq. laus vtriusque.* *ibid.*
Chrysostomi nominis ethymologia. 675
Chria quid sit, quottuplex, & partes eius. 686
Ciceronis laus. 637. *Eloquens ante annum 20. contra Roscium.* 639
Cicero ab exilio detinendus suadetur. 659
Cicero Praceptorem defendit. 1017
Cicero Imperator dictus. 651
Cicero cultus & amatus à condiscipulis. 669. *ob eloquentiam quantus consul Imperator.* 797. *facta eius bellica.* 800
Cicero honore dignus ob coniurationem depulsam. 591
Ciuitas pessime constituta. 733
Claritas rediuiui Christi. 959
Classis Hispana tendens in Angliam pessundata. 1003. *dolor ob eam. ibid. prouidentia Dei in eo.* 1004
Classis parata magno plausu excepta. 996. *victa magno luctu.* 991
Classis Turcarum & Catholicorum. 985
Cœnobij descriptio. 589
Columba fuga in desertum. 890. *similitudo eius cum probo viro. ibid.*

Collegia studiosorum diuersa. 749
Collegij ius petitur à studiosis. 882
Cometes in Lusitania quid portenderit. 712
Comparatio quid, & eius partes ac materia. 544. 716. Exempla eius varia. 590. & seq. 744. 751
Comparationes variæ ad amplificationem vtiles. 590. vsq; 614. diuersi modo comparationum. ibid.
Compassio creaturarum cum Christo. 933. 946
Contemptum Christus eligit. 648
Contraria quæ dicta. 542. eorum species. 543. amplificationes ab eis. 584 & seq.
Conuiuij apparatus magnus. 898. 899
Concionatores militibus collati. 887. officia eorum. 888. eligere optimos oportet. 889
Corpus Christi male habitum, & lucidum. 959. 960
Consolatio quid sit, & quomodo facienda. 1001. 1002
Consulatus, & Imperatoriæ dign. discrimen. 636
Corona spinea Christi. 920. corona ornatus Regum. 921
Corpus ornatur, anima negligitur. 571
Condiscipulorum magna coniunctio. 668
Consuetudo virtutis. 673. peccati facti. 674
Contrariorum varia conflictatio. 584
Concha gemmam occulit. 849
Creaturæ congaudentes Christo. 962
Creaturæ Christo compatientes. 931. 946
Crudelitas in Christum. 910. 911. & seq. vsq; ad 936
Crudeles homines. 642
Crux Christi patientiæ & humilitatis index. 760
Crucis Christi laudatio. 925. & seq. crucis laus. 935. symbola. ibid.
Crucis supplicium ignominiosum. 957
Crucifixio Christi quantum scelus. 611
Cursus per viam virtutis suadetur. 568
Curtij mors pro Patria. 1008

D.

Damasus B. comparatur Adamanti. 559
Daniel lacu ereptus 960
Dauid contemplatur cœlestia inter regni curas. 561. 566. currit viam mandatorum Dei. 568
Dauid inter curas rebus diuinis vacat. 616

Dauid

Dauidis genus, fortitudo, pugna, victoriaque contra Goliat. 762. & seq. S. Michaeli comparatur. 765. Torquato, Horatioq; præfertur. 767. cum Christo comparatur. 770
Dauidis pœnitentia. 918
Dæmon aucupis instar homini insidiatur. 560. Lupi instar. 563
Dæmon hostis hominis. 892
Decij mors pro patria. 1008
Deorum veterum & Dearum multitudo. 835. cœlum, terra, lupus, Leo, cœpe, allia & dij veterum. 856
Deus infirma manu hostes debellat. 763. & seq.
Deus lex homini sapienti. 821
Dialectica cultores & eius utilitas. 655
Dialectica laudes, necessitas, cultores studiosi. 711. & seq. utilitates. 712. mures aliarum artium. ibid. pugna ibid. necessaria ad alias artes. 713. studendum ei. 714. abrogantes eam. 716
Dialectica difficultas refutatur. 717. via, sepulcro, virgæ Moisis comparatur. 718
Dies lætæ resurrectionis. 960. 961. creaturæ omnes illi adgestiũt. 962
Difficilia sæpe utilia. 717
Diligentis & negligentis scholastici dissimilitudo. 575
Dissimilitudo quid sit & quottuplex. 541. unde ducatur. 542
Dissimilium varia conflictatio & exempla. 569. usq; ad 580
Diuites an pauperes studijs aptiores. 609
Diuites à pauperibus iuuantur, ut vites adminiculis. 550
Diuitijs arca inclusis comparatur sapientia. 850. 851
Δίκαιον & δικαῖον. 821
Doctus Scholasticus. 612. & ingeniosus. 652
Doctus ad obeundas legationes aptus. 629
Docti ad officia euehendi. 887
Docti, indocti q; comparatio. 601
Docti laus. 854. Rebuspub. utilis. 860. honores. 869. usq; 873
Doctis honor confertur. 869. usq; 875
Doctrina gemmæ pretiosæ comparatur. 849. necessaria est reipub. 850. arcæ diuitias includenti similis 850. serico similis. 885
Doctrinæ experimenta capiuntur in Academijs. 885
Doctoratus honor petitur. 869. usq; ad 877
Dolor ob præteritam vitam malam. 700
Doloris affectus. 937
Domitius proditor. 671

Dominici S. Spiritum Religionis fax & stella indicat. 553
Dominici S. infantia dura. 556
Dona Spiritus S. 976
Dura ferre Christianorum est. 657

E.

Ebrij famuli pueris lacedamoniis ad detestationem obijciuntur. 687. ebrij descriptio. 688. exempla ebriorum. 689
Ecclesia bonum zelant Ambros. & Chrysost. 742
Elisabetha anglica proditrix. 671
Elisabetha Anglica impia in Christum & SS. 662
Eleemosyna eroganda suadetur. 599. pro captiuis redimendis praestat data mendicis. 608
Eloquentia vide Rhetorica.
Eloquentia Ciceronis quanta fecerit. 800
Eloquentia magni facta apud Romanos & Athen. 666
Eloquens homo. 631
Ennius poeta qualis genere. 788
Epilogi seu perorationes. 659. & seq.
Epularum descriptio. 666
Equis bonis emendis diligentia adhibetur. 606
Ermenegildi S. animus supra res creatas. 566
Ethymologia quid sit & quottuplex. 546
Ethymologia nominum plurimum SS. 675. 676
Eucharistia dignitas & vtilitas. 591
Eucharistia sacra beneficium maximum. 581. Manna vincit. 595. gratitudo ob eam. 593. 594
Eudoxia Imperatrix à S. Chrysostomo castigatur. 743
Exempla quomodo amplificanda. 615. varia genera eorum. 626. quomodo perorandum ab his. 660. quomodo ab his exordiendum. 663
Exempla multum faciunt ad virtutem. 760
Exordium exempla. 663. 665

F.

Fabula quid sit. 681
Fabulae partes. ibid.
Facies Christi. 948. 951. pulchritudo eius. ibid.
Familiaritas cum Christo. 634
Fides ianua ad cœlum. 705

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0502
DFG

Filius prodigus receptus in gratiam. 564
Filij bene educandi. 605
Filij boni parentibus chari. 878
Filij castigantur. 1004
Finem habent omnia creata. 991
Flagellatio Christi. 913. 914. flagellorum usus & modus. 915
Flandria subuenit Ioannes ab Austria. 988. Flandria mala. 989
Fortitudo Pastorum Ecclesiæ Dei. 628
Fortitudinis Christianæ Exempla. 632
Fortuna belli varia. 999
Fortunæ humanæ mutabilitas in Pompeio. 995. & seq.
Franciscus S. carnem duriter habet. 558
Franciscus stigmata Iesu accipit. 635
Franciscus paupertatem mire amat. 621. coram Patre & Episcopo vestibus se spoliat. 622. Christo similis mori voluit. 624
Francisci humilitas. 615
Francisci S. humilitas meruit honorem summum. 755
Franciscus Ximenius Archiep. & Cardin. fundator Complutensis Academiæ laudatur. 745
Fuga seculi suadetur similitudine Columbæ. 890
Fumus alta petit. 994
Funebris orationis partes & modus. 979
Funebris oratio de Ioanne de Austria. 980. Sebastiani Regis. 991
Furtis assuetus. 674

G.

Gaudia mundi amantes gaudijs Christi priuantur. 961
Gemmæ æstimatio magna. 848. conchâ tecta vilescit. 849. gemmæ & sapientiæ comparatio. 849
Goliath superbia, vires, pugna, mors. 761. & seq.
Gradus literatorum postulandi mos. 848. vsq. 878
Gradatim ascendendum. 855
Graci duces belli. 637
Gratiarum actio ob visitatas scholas. 895. 896. 898. 899
Gratiæ habendæ cum reddi nequeunt. 744
Gratia Deo reddenda. 595. 596
Gubernatori nauis perito similes viri probi in vita hac. 626
Gygantum superbia. 695

H.

Hæretici peccatorum pessimi. 705. 706. bellua immanes. ibid. in

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0503
DFG

omnes flagitiosi. 706. flammis iuste exuruntur. 707 & seq.
Hæreticorum machinæ & ausus. 845. & seq. antitheses
Hæreticorum cum Doctoribus Catholicis. 846. effectus hæresis. ibid.
Hæresis gesta in Anglia. 1006. & seq.
Hannibal Romanis negotium magnum facessit. 641
Hannibal adolescens dux belli. 589
Hannibalis laus. 737. Comparatur Scipioni. ibid. & seq.
Helena rapta causa belli Troiani. 683
Helimors. 912
Hercules Cerberum domans Philosophus est. 735
Herodes Rex turbatus ob Magos. 617
Hierosolyma euersa. 919
Hispani fidem martyrio propagant. 638
Holofernes in ebrietate perit. 689
Homo, efferus fuisset sine lege. 823
Homo habet laqueos multos dæmonis & carnis fugere. 560. passeri elabenti rete comparatur. 61. columbæ ad supera volantis. ibid.
Oui errabunda homo peccator similis. 563
Homines viles virtute nobilitatem & triumphos assequuntur. 650
Homo laude dignissimus, alter vituperio. 569
Homerus Alexandro carissimus. 781
Honor familiæ defendendus urgetur. 572
Honor doctis conferri solitus. 869. usq; ad 875
Honorem & gloriam fugientes Ethnici. 646. Christiani. 647
Horatius Cocles vir fortissimus. 767
Horatij Lyrici laus. 681
Horatius Poeta qualis genere. 787. turpiu. 791
Horatius unus tres Curiatios sternit.
Horti & Academiæ collatio. 860
Hostes hominis potentes. 891
Hostes tres homini aduersantes. 930
Hostiles clades. 766
Humiles describuntur. 692
Humilitas homini necessaria. 771
Humilitas Christi exemplo suadetur 903. 904. effectus eius contrarij effectibus superborum. ibid.
Humilitas è cœlo allata à Christo. 751. Deo gratissima. 758. hortatio ad eam. 760
Humilitatis exempla. 642
Humilitatis & Patientiæ comparatio. 751. è cœlo data. 752. magnitudo

tudo vtriusq. 753. & seq. exempla vtriusq. 755. & seq.
Hyemis effectus. 947

I.

Idololatria veterum. 835. cultores Romæ & Athenæ 838
Iesus nomen cordi Ignatij impressum. 549
Ignea columna Israelitarum. 554
Ignis amoris Apostolos vrget. 976. 977
Igni similis S. Ignatius M. 548. 549
Ignatius M. Igni similis ostenditur. 548. Virtutes eius. ibid. nomen Iesu in ore & corde gessit. 549
Ignatius Loiol. plenus spiritu Dei fulget. 553. 554
Ignatij ethymologia ab igne ducta. 675. 676. 677. 678. 679
Ignatij Martyris ardor animi. 977
Ignatij ignis illustratur. 581. scientia eius hausta diuinitus amplificatur. 582. Extasis eius. 583
Imitandi Artium principes 658
Imperium diu Roma non tulit. 635
Indignitas in Christo patiente. 944
Indoles ficta ad bonum. 609
Innocentia oppressa. 944
Inuectio grauis in peccatores. 919. 930. 986. in colaphizantem Christum. 949
Interrogationis figura exempla. 654. 657
Ioannes 22. Pap. medicinæ peritus. 810
Ioannis ab Austria mors, & iactura quanta. 980. zelus propagandæ fidei in eo. ibid. Luctus Magnatum ob mortem eius. 981. Philippi Regis fratris luctus. ibid. in adolescentia omnes coætaneos superat. 982. Exercitui præfectus adolescens ob virtutes bellicas. 989. Agarenũ bellum confecit. ibid. Nauali prælio contra Turcam victor. 984. & seq. expeditio eius in Belgium. 988. mors eius luctuosissima. 989
Ioannis Euang. compassio in morte Christi. 941. 945 Annuntiat B. Virgini eductionem Christi. 927
Ioannis ab Austria egregia facta. 600
Ioseph patriarcha. 960
Ioseph iustus dictus. 826
Iosephi vita vix creditur à patre. 975. munera ab eo Patri missa. 976
Ionas rediuiuus. 961

Iracundia reprehenditur. 601
Isaacus cum Christo collatus. 926
Iudæ proditio & durus animus. 901
Iudæ proditoris crimen exaggeratur. 670
Iudæi Messiæ aduentum negligunt. 618. *vitijs se dedunt.* 619. *bellua & portenta in figura hominum.* ibid.
Iudæorum mutabilitas circa Christum. 909. *beneficia Christi in Iudæos.* 934
Iudæorum crudelitas in Christum. 908. *vsq;* 936. *Messiæ præsentis signa habent.* 934
Iudith Holofernum occidit. 689
Iugum mundi graue. 930
Iulianus artes tollit maxime Dialecticam. 716
Iusiurandum falsum graue peccatum. 667
Iurisprudentia ambitu tuntur aliqui. 827. *militari scientiæ præfertur.* 728. 829. *affectus Iurisprudentiæ* 829 *medicinæ præfertur.* ibid *Rhetoricæ alijsq; scientijs præfertur.* 830. *Reipub. bonus status ab eo pendet.* ibid.
Iurisprudentia à Philosophia pendet. 732
Iurisprudentia medicinæ præferenda. 605. *eius effectus.* ibid.
Iurisprudentiæ laus. origo, 819. *Iurisperiti Minos, Lycurgus, aliiq;.* ibid *in maximis officijs hominem constituit.* 824
Iurisprudentia cum medicina confertur. 815
Iustitia sceleratos castigat. 826
Iustitia quid sit, quomodo totum Orbem regat. 810. 821. *quos effectus in reipub. habeat.* 823. 824
Iustitiæ effigies. 821
Iusti Zacharias, Elisabeth, Stephanus, dicti. 825
Iusti nomen cui competat. 825
Iustinianus Imp. ius promouet. 824

L.

Labor ad studia literarum requiritur. 587
Labor pro cœli gloria adhibendus. 567
Labores Adolescentum apud Lacedæmonios. 687
Labores litterarij comparati varijs. 852. *vsq;* 871. *præmia ijs debita.* ibid.
Lachrimæ S. Petri. 916
Lacedæmoniorum laus in Educatione puerorum. 687
Lætitia in Christi resurrectione. 958. 960

Latitia orbis in Christi resurrectione. 962
Latitia cum resurgente Christo. 958. 962
Latinitatis autores imitandi. 648
Laurentius S. Hispanus. 638
Laurentij tormenta omnem crudelitatem superant. 643
Laurea Doctoralis petitur. 869. vsq; ad 877
Lex homini sapienti Deus est. 821. lex iusta requirit. ibid. leges Tyrannorum non sunt leges. 821. lex donum Dei. ibid. Leges à Deo omnes. ibid. Legis & decreti differentia. 823. murus ciuitatis lex. ibid.
Leges arcent omnia vitia & mala. 814
Leges sunt sepimentum spinosum contra feras. ibid.
Legislatores. 819. à Deo impelluntur. 823. Dij legum autores habiti. ibid. & 820
Legis noua & veteris discrimen. 975. lex timoris & amoris fuerunt. ibid.
Libido inimica Deo. 620. 685. quo supplicio digna. ibid.
Libido fugienda. 685
Libidinosi Christum flagellant. 913. 914. collatio eorum cum Christi carnificibus. 913
Libidinosorum pœna. 620
Liberalitas in pauperes. 607. in captiuos pro fide. 608
Lingua ignea super Apostolos. 974
Lignorum vita præfertur hominis vitæ. 993
Liberarum amantes Scipio & Hannibal. 438
Literarum bonarum hostis 584
Literatorum labores. 869. 870. comparati Nautis, Palæstritis, alijsq;. 867. & seq.
Locus communis quid, & eius regula. 704
Lucifer à Deo Iustitia punitus. 826
Lucifer superbia & omnis mali origo. 751
Luciferi casus & ruina. 765. Goliatho comparatur. ibid.
Luciferi superbia. 693
Lucerna noctu lucenti spiritus Religionis simili. 552
Ludouici Regis S. humilitas & patientia. 756
Ludouicus Rex Sanctus, virtute præstans multa. 566
Luctus ob classem pessundatam. 997
Luna Dea veterum. 856
Lusitania Regum pietas & Zelus religionis 998
Lusitani in Africano bello cladem passi. 1010

M.

Maccarij S. laus. 665
Magdalena mortem Christi luget. 941.946
Magdalenæ pœnitentia. 918
Magi ab Oriente venientes. 617. *eorum virtus & fides. ibid. cum Iudæis conferuntur.* 619
Magnates omnes morti subiecti 993
Magistri boniflos sunt Academiarum. 1018
Manna Hebræorum. 595
Manlius Torquatus fortissimus. 767
Maria Virgo omnium SS. merita & gloriam superat. 601
Maria & S. Ioannis compassio. 660
Mariæ Deiparæ dolor & amor in passione. 928. *Prosopopœia eius dolorosa ad filium.* 929.943. *alia eiusdem ad mortuum.* 937. *Lamentatio eius post filij mortem.* 936.943. *querela eius pia ad Gabrielem.* 939
Mariæ dolor in filij morte. 945. *& seq. peccantes emendat.* 947
Martyres fortes. 632
Martyrij expetendi causæ, & impulsus. 638.640
Martyrum causa fuit Deus. 625
Mardochæus Christi figura. 960
Mardochæus exaltatus. 960
Mecænates studiosorum. 894
Medicina Iurisprudentiæ posthabetur. 819
Medicina etsi circa sordida versatur, nobilis est. 817
Medicinæ effectus. 604
Medicinæ artis origo ab Adamo. 806. *ab Apolline & alijs Dijs. ibid. Christus Medicus* 807. *Medicina in S. Scriptura laudata. ibid. Reges Medicinæ docti.* 809. *Pontifices medicinæ periti* 810. *Vtilitas medicinæ.* 811. *animo etiam medetur.* 813. *Sancti medicinæ periti.* 814. *Iucunditas* 815. *Iurisprudentiæ præfertur. ibid.*
Medicamentorum varia genera. 812
Medauia Arx expugnata. 747
Menelaus Helenæ raptum vindicat. 683
Mercurius inuentor medicinæ. 806. *Mercurialis herba. ibid.*
Mercatorum labor & pericula ob lucrum faciendum. 858.864
Messiæ præsentis indicia. 934
Michael S. medicus. 808. *in gargano beluam confícit. ibid.*
Milites strenui cum Concionatoribus conferuntur. 887. *militum strenua gesta.* 888
Militum labor & honor Literatorum labori minor. 864

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0508
DFG

Minus argumentum ad maius. 813. 814
Miracula in morte Christi. 933. 935 946
Mons altissimus. 992 æquatur solo. 993. Montes qui. 993
Mors pro religione felix 1008. non lugenda. ibid.
Mors misera Pompeij & Cæsaris 625
Mors bonorum principum ob peccata populi. 990
Mors nemini parcit. 991. nec doctis, nec fortibus, nec diuitibus. 992
Mortem non timet pauper. 994
Mortis desiderium. 816
Morborum magna utilitas. 816
Motus animorum quis excitet. 843
Moyses Christi figura. 960
Moyses Pharaonem mergens. 960
Moysis Lex. 975
Muliebris fucus & ornatus prohibitus. 687
Mundi Leges 891
Musicæ abusus. 726
Mutabilitas humanæ fortunæ. 996. 997

N.

Narratio quid, & quomodo fiat. 702
Naualis copia Turcarum & Catholicorum. 985
Naualis victoria contra Turcas. 986
Nautarum pericula & labores. 868. comparantur his studiosorum labores. ibid.
Nicolaus S. Pont medicinæ peritus. 810
Nicephorus Rex astrologus 720
Nobilitatem factis viles assequuntur. 650. nobilitas non triumphat sed virtus. 651
Nestoris eloquentia quanta. 801
Nubes opaca & lucida Christus fuit. 959
Nubibus similes Religiosi homines. 562

O.

Obuiam ire Principi decens. 654
Oculi custodiendi. 699
Occasiones peccandi. 892
Olympicorum labores & præmia. 870
Oratio funebris qui tractanda. 979
Oratio Christi in horto. 905

Oratores

Oratores clari, Reges, Imperatores, diuites, &c. 796. & seq. sacri. 803
Ouidius poeta qualis genere. 787. turpis. 791
Ouis vaga, cui homo peccator similis, describitur. 563
Ozæ punitio. 949

P.

Paridis fabula detestandas voluptates carnis indicat. 682. describitur factum. 683
Parentes in bonos filios liberales. 878
Parentes Filios puniunt sancte. 555
Pastor bonus Christus. 564
Passiones Christi. 660
Passione Christi cor hominis molliendum. 596
Patria à doctis viris suis laudatur. 551
Patria defensores sua eloquentia & virtute. 640
Patria cœlestis descriptio. 752
Patria amor mortem superat. 1008
Patientia opus sæcularibus hominibus. 962. cum humilitate comparatur. 751
Patientia opus ad probam vitam. 621
Patientia exempla Christiana & Ethnica. 1005
Paupertas B. Francisci. 621. S. Dominici & Ignatij 623. paupertatis laudes. 624
Pauper non timet mortem. 994
Pauperibus studiosis collegia seruiunt. 749
Pauperibus subueniendum. 599
Pauperes præstant diuitibus in labore studiorum. 610
Pauperes diuitibus vtiles. 550
Peccator cœcus, & tenebris mersus est. 597
Peccator à peccatis per Christi pœnas auertitur. 661
Peccata populi mortes bonorum Principum causant. 990
Peccatorum conuersio suadetur. 919. 924. 930. 946. in peccatores inuectio ibid. & 930. 935
Peccandi occasiones in homine. 892
Pentecoste. 969
Permanens nihil in orbe terrarum. 991
Peroratio grauis ac vehemens. 804
Peroratio cum anacephaleosi. 718. 818
Pericles orator potens. 843

Perfectio Christiana & Religiosos & Seculares decet. 962
Pestem astrologi prauident, præcauentq;. 722.723
Petrus conuertit 30000. vna concione. 974
Petri Apost. humilitas in pedum lotione. 901. *Prosopopœia eius.* 905. *Prosopopœia deflentis suum peccatum.* 916. *pœnitentia.* ibid.
Pharao aquis obrutus. 625
Philippus 3. Hisp. Rex inducitur loqui. 695. *eius regna & opes.* ibid. *educatio & institutio eius in latinis & græcis.* 696. *Conuersatio.* 697. *zelus boni communis.* 698
Philippi regis fortitudo in classe amissa. 1011
Philosophiæ laus. 730. *& sequent. Reges ei studuerunt.* ibid. *est supra corporis & fortunæ bona.* 730. *creatarum rerum contemptum docet.* 731. *eius incrementum.* 732. *necessaria Medico & Iurisperito.* ibid. *Poesi præfertur.* 734. *eius effectus.* ibid. *tres eius partes tribus Patriarchis, Cerbero, tribus Dijs comparatur.* 735
Philistæi vetant arma tractare Iudæos. 716
Philistæi hostes populi Dei. 763
Pilatus Christum iniuste damnat 952. 953. *inuectiua in eum dura.* 954 *Vxoris eius pietas.* 955. *Cæsaris amicitiam Deo præfert impie.* 957
Pindari Poesis per apes significata in ore. 779
Pius 5. Pontifex contra Turcam bellum excitat. 985
Plantis paruulis similes literarum studiosi. 894
Poesis abusus. 726
Poesis dignitas & laus. 773. *& seq. Poesis cultores & amatores.* ibid. *Artes aliæ per poesim traditæ.* ibid. *&* 782. *Deus & Principes maximè poesi celebrantur.* 775. *vsus in bellis.* 776
Poeseos præstantia. 777. *ad omnes animi affectiones bonas mouet* 778. *iucunditas.* 779. *pictura excellenti similis.* ibid *populorum ad eam affectus.* 781. *Laudes poesis refutantur.* 783. *& seq. Poesis turpis.* 791
Poetæ veteres. 773. *magni à Regibus facti.* 780. *& seq. poeta humili loco nati.* 787. *turpes.* 791. *Sirenibus similes.* 791 779. *ciuitatibus electi.* 792
Pompeius adolescens dux belli. 989 *Imperator à milite dictus.* ibid.
Pompei cadauer inhumatum. 995. *Cæsarem ad planctum mouet.* ibid. *Pompei gloria.* ibid. *præclare gesta.* 996. *pietas in Tygranem.* 998. *Fortuna aduersa belli vltima.* 999
Pompeij laudes. 645. *Imperator dictus primus.* 646. 651. *Tres triumphi ei decreti.* ibid.
Pompeij mors misera. 625

Pompa cœlestis in ascensione Christi. 965
Pontifices se contra Haresim fortiter opponunt. 627
Potentia Hispanica quanta. 1010
Praceptor doctus & perfectus. 588
Pramia aterna magno quarenda 633
Pramia Iustis danda extremo die iudicij: 548
Pramia debita laboribus studiosorum. 869. usq; 879. debita virtuti. 876
Praesentia Dei ubiq; peccatores continet. 649
Prator iustus & iniustus. 672
Prateritiones. 766
Frateritionis figura. 652. 653. & seq.
Praterita vita mala pœnitudo. 700
Proborum & Improborum similitudo cum Hyeme & Vere. 547
Prodigus Filius à Patre in gratiam receptus. 864
Prodigus omnium diuitiarum. 603
Proditores impij. 670. pluribus sceleribus redundant. 672
Prosopopœia Mariæ V. ad filium patientem. 929. ad mortuum. 937. Ioannis ad Christum mortuum 941. Magdalena ad eundē. ibid.
Prouidentia Dei in classe submersa. 1004
Pullus cur penna inscisa. 856
Pulchritudo Christi. 948

R.

Regis decora in Christo cumulata. 921
Regis Hisp. visitantis Academiam exceptio. 663
Reguli fortitudo animi. 100
Reipublica necessaria est doctrina. 850
Religiosi gloriam mundi fugiunt. 647
Religiosi homines nubibus similes. 563
Religiosi non tantum perfecti esse debent. 961
Religiosi ordines bono proximorum student omnes. 633
Religiosa vita voluptas. 699. exercitationes. ibid.
Religionis iactura in Anglia. 1006. & seq.
Religionis solitudo suadetur 891. 892. 893. petitur. ibid.
Religionis Spiritus: vide Spiritus Relig.
Religionis vera effectus. 840
Repetitio figura. 652. & seq.
Repugnatium varia conflictatio. 580. usq; ad 581
Resurrectio Christi lata. 958. & seq. claritas eius. 959

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0512
DFG

Respectus humani in Pilato. 954 955
Rhetor Grammatico haud coniungendus. 625
Rhetorica arte clari Reges & Principes. 797. *viles ad magna euecti. ibid. Diuites sunt Rhetores, Poeta pauperes* 798. *Reges & Imperatores belli & vrbium.* 799. *Ciceroniana rhetorica ius.* 801. *vtilitates rhetorica.* 802
Rhetorica classis turbata omnino. 604
Rhetorica poesi præfertur. 784. *& seq. origo.* 793. *vis & potentia.* 795. *Romæ & Athenis floruit.* 795
Rhetorica artis abusus. 726
Roma Cicerone felix. 637. *prope deleta ab Hannibale.* 641
Romani bellica laude clari. 631
Romani haud flagellati. 915
Romani imperij amplitudo. 873. *propagatio. ibid. triumphi cur apud Romanis inuenti.* 873. *mos comm.* 968
Romani populi hostes. 641
Romani Principes Eloquentiæ studuerunt. 795. & 796
Romanorum liberalitas in petentes auxilium. 999
Rusticus stragem edit hostium in lusu Schachij. 764

S.

Salomon medicinæ peritus. 808
Samson Christi figura. 960
Samson excæcatus peccatorem refert. 597
Samson victor. 960
Sapientia gemmæ comparatur. 849. *arcæ etiam diuitias includenti.* 850
Schola à morbo vastata & imminuta. 576
Schachij lusus fortuna. 764
Scipionis laus. 737. *comparatur Hannibali.* ibid. & seq.
Sebastiani Regis mors. 995. *cadauer inhumatum ibid. pietas.* 997. *confessio crebra. ibid. virtutes aliæ. ibid. causa belli in Africa gesti ab eo.* 998. 999
Sententia quomodo tractanda 690
Senectus pro conuersione non exspectanda. 919
Senes honorandi à Iunioribus. 654
Sententia à Chria qui differat. 699
Sepulchrum rude desoris, alterum politum. 718
Sericum probatur quale sit. 884. *ad quod adhibeatur.* 885
Silla Imperatorem belli Pompeium statuit. 989

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0513
DFG

Simon Machabæus in ebrietate perit. 689
Similitudo quid & quottuplex. 140. unde ducenda. ibid.
Similitudo hominis probi cum Aui erepta laqueo. 560. religiosi cum nubibus. 562. peccatoris cum Oue erratica. 863. cursoris cum homine iusto. 565. negotiatorum cum eodem. 567
Similitudo ignis cum S. Ignatio M. 548. Horti frugiferi cum patria Doctorum virorum. 551. Lucernæ cum spiritu in Relig. statu. 552. Carnis nostræ cum proditore. 557. hominis cum Aui libera. 560
Similitudo proborum & improborum cum hyeme & vere. 547. æstatis cum die retributionis bonorum. 548
Sirenibus cur Poetæ comparantur. 779. 792
Socrates discipulos futuros speculum intueri iubet. 731
Socratis patientia, & contemptus mortis. 1005
Sodalitatis Magistratus. 636
Sodomæ & Gomorrhæ peccata puniuntur diriter. 616
Solitudo homini pio quærenda. 890
Solitudinis amans studiosus amore sui profectus. 589
Somnus nimius arguitur. 557
Speculum cur discipuli Philosophiæ intuiti. 730
Spinea Christi coronatio. 920. & seq.
Spiritus S. causa bonorum omnium in Ecclesia. 970 datus ex promisso Christi. 971. modus aduenientis. ibid. dona eius. 976
Spiritus verus Religionis. 551. lucernæ similis. ibid. gubernatori nauis similis. 553. hostes eius. ibid. eluxit in S. Dominico & S. Ignatio. ibid.
Spolia hostium. 766
Stella trium Magorum. 554
Studiosus improbus, seditiosus. 653. ingeniosus. 652. doctus. 612. propensus ad studia. 656
Studiosis literarum labores deuorandi. 587
Solitudo amanda. 589
Studiosi literarum opus habent Mecænatibus. 894
Studiosi pauperis & Diuitis collatio. 585
Studiosorum labores comparati Nautis, Palæstritæ. 868. 870
Studiosorum labor agricolarum laborem superat. 852. vtilior est. 854. Mercatorum labori superior. 858. Hortulanis similes. 860. Militibus superiores 864
Superbia causa est quod vincamur. 1009
Superbia fugienda. 903. superbiæ effectus. 904. 923. superbiam nostram luit Christus in spinea corona. 922
Superbiam mundo innexit Lucifer. 751

Superbi describuntur. 691. *exempla Gygantes & Lucifer.* 693
Superba Deus sternit. 771
Sylla crudelitas. 644

T.

Tarpeia cupiditate auara periit. 577
Tempestatis descriptio. 868
Templorum vastitas in Anglia. 1007
Tenebra peccantis animæ magnæ. 596. *Ægyptiorum tenebras superant.* 597
Terra à fertilitate commendatur. 551
Terra Dea veterum. 856
Theologia facit omnia terrena contemnere. 841. *omnia vitia coercet. ibid. prima ei debentur.* 842. *efficacissima ad motus animi concitandos.* 843. *Hæreses debellat.* 845. *aliarum scientiarum regina est.* 847
Theologiæ dignitas supra omnes artes. 831. *autor eius Christus.* 832. *cultores eiusdem magni.* 833. *ius Pontificium comprehendit, & excellit.* 834. *vtilitates maximæ.* 835. *Deum manifestat.* 838. *docet SS. Trinitatem.* 839. *mysteria eius aliqua Philosophi veteres didicerunt.* 839. *quæ mysteria alia doceat. ibid. & 840*
Theodosius Imperator à S. Ambrosio punitur. 743
Thesis quid, quottuplex & quomodo tractetur. 710
Thomæ Cantuariensis virtus commendatur. 614
Tirteus dux Laconum luscus claudus sed poeta. 777
Trebonnianus ius collegit. 821
Triumphus Christi cœlum ascendentis. 964
Triumphi Romanorum mos. 968. *Christi triumphus maior.* 968
Triumphus virtuti non nobilitati decretus. 651
Triumphatores clari. 631
Triumphi cur inuenti. 833. *mos apud Romanos.* 968
Trinitatis SS. mysterium Theologia explicat. 839
Trium Magorum stella. 554
Turcarum bellum contra Ioannem de Austria. 985
Turcæ ducis caput resciſſum animat Christianos. 986
Tygranis pietas. 999
Tyranni. 643
Tyrannorum decreta non sunt leges. 821

V.

Verba ſcum herba. 806
Veris & Hyemis effectus. 547
Vernum tempus. 896. 897
Vexationes Chriſto illatæ. 913. *vſq;* 936
Via virtutis decurrenda. 568
Victoria nauali magna contra turcas. 986
Victoriam Deus non concedit ad Humiliationem. 1009
Virga Moyſis nodoſa, ſed apprehenſa edit miracula. 718
Virgilius & Homerus Ciceronem & Demoſthenem ſuperant. 778. *quales poetæ.* 788. *turpes.* 791
Virtutes bellicæ. 989
Virtutes cum vitijs contrariis. 570
Virtutis conſuetudo quantum poſſit. 673
Virtutum autor Deus & Chriſtus. 751
Viſitatio Academiæ à Rege. 663
Viſitatio Scholarum ab illuſtri perſona. 896. 898. 899
Verno tempori comparatur. ibid. Conuiuij apparatui. 898
Vituperium probi abſtergitur. 613
Vita hæc, Mare. 626
Vitæ humanæ fragilitas. 993
Vites non cultæ. 547. *Viti innixi adminiculis diuites ſimiles fiunt.* 550
Vlyſſis geſta. 571
Vlyſſis virtus in Troiana expeditione. 627

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0516
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn810785692/phys_0517
DFG







Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0518
DFG

is in tabulationem nauium infi-
ualoris, magna ex parte nauibus
us, sine Principibus, sine suo Re-
ditanorum? qui mœror omnium?
ea viderant, & in Africam inci-
ea in Portugalliam, miseranda
mmo silentio redeuntem reuise-
captiuorum multitudo, horum
antea auroque fulgentium illo-
a, plurimorum in prælio prostra-
rofusus, cadauerum plurimorum
tot Principum, tot Magnatum
Regis Sebastiani miseranda ni-
Inde insedebat in animo classis
ucorum redeuntium fœditas &
, lamentationes Virginum, plo-
Portugallia, motusque vniuersè
m Regis miserandam. Hi propin-
ratres, omnes amissum Regem,
rsionem lugebant. Tragica hæc
itosa, Auditores, quæ necessi-
eiusdem subeundæ mortalibus,
imperium amplissimum in Re-
ommemoremus, si placet, breui-
us admirationis afferat Regis Sa-
meditata nobis in perpetuum es-
m Sebastiani, & à natura ad virtu-
insitam commemorabo. Non
us imbutum, & virtutis præce-
Non ostendam politioribus lit-
Regia dignitas informari solet ad
m politumque: quis est, qui ne-
nper à pueritia Regem incubuisse
ora virtutis documenta dare po-
um sæpius ille per sacram confes-
m per vnum annum, quam alij
ncipes huiusce sæculi? Qui sæ-
tis laude cumulatis egit, quam alij
i eo fuerunt interuallo versati? sæ-
do suspiciendoque sanctissime ca-
ones habuit, quã alij Principes de

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn810785692/phys_0523
DFG